FŒDERA,

CONVENTIONES, LITTERÆ,

ET CUJUSCUNQUE GENERIS

ACTA PUBLICA,

INTER

REGES ANGLIÆ

ET ALIOS QUOSVIS

Imperatores, Reges, Pontifices, Principes, vel Communitates:

AB

INGRESSU GULIELMI I. IN ANGLIAM, A.D. 1066,

AD NOSTRA USQUE TEMPORA

HABITA AUT TRACTATA.

EX AUTOGRAPHIS, INFRA SECRETIORES ARCHIVORUM REGIORUM THESAURARIAS, ASSERVATIS; ALIISQUE SUMMÆ VETUSTATIS INSTRUMENTIS, AD HISTORIAM ANGLICANAM SPECTANTIBUS, FIDELITER EXSCRIPTA.

Primum in lucem missa de Mandato Serenissimæ Principis

ANNÆ REGINÆ

CURA ET STUDIO THOMÆ RYMER, HISTORIOGRAPHI,

ET ROBERTI SANDERSON, ARMIG.

Denuò aucta, et multis locis emendata,

JUSSU SERENISSIMI REGIS GEORGII TERTII

ACCURANTIBUS

JOHANNE CALEY, S.R.S. ET S.A.S.

ET

FRED. HOLBROOKE, S.A.S.

VOL. IV.

AB ANNO M.CCCLXXVII. AD ANNUM M.CCCLXXXIII.

LONDINI:

1869.

The ensuing Pages contain the only portion of Volume IV. which was printed under the direction of the late Commissioners on Public Records in 1830. The Volume (though incomplete) is now published by order of the Master of the Rolls.

Public Record Office,
June 1869.

FŒDERA, LITTERÆ, ET ACTA PUBLICA.

RICARDUS II.

Incip. regn. 21° die Junii, A. D. 1377.

Super obitu Edwardi Regis, et liberatione magni sigilli.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 46. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod, defuncto nobili et potenti principe domino Edwardo ultimo Rege Angliæ et Franciæ, avo domini Ricardi nunc Regis Angliæ et Franciæ, qui quidem dominus Edwardus, vicesimo primo die Junii, videlicet, die Dominicâ proximâ ante festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, et regni ipsius Edwardi quinquagesimo primo, circa horam septimam post horam nonam, in manerio suo de Shene, spiritum reddidit in manus Creatoris, Willielmus de Burstall custos rotulorum cancellariæ Regis, Ricardus de Ravensere archidiaconus Lincolniæ, et Thomas de Newenham, clerici dictæ cancellariæ, tunc custodes magni sigilli dicti domini Edwardi Regis, in absentiâ venerabilis patris Adæ episcopi Menevensis cancellarii ipsius domini Edwardi Regis, tunc in partibus transmarinis in negotiis regni existentis, vicesimo secundo die Junii tunc proximò sequenti, videlicet, in festo Sancti Albani Martiris, hora vesperarum, apud dictum manerium de Shene, in camerâ ipsius domini Regis Ricardi, dictum sigillum, in quadam bursâ albi corei, sigillis suis signatâ, liberaverunt dicto domino Ricardo Regi, in manibus suis propriis, in præsentiâ venerabilium patrum Simonis archiepiscopi Cantuariensis et Henrici episcopi Wigorniensis, Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, Johannis de Mountfort ducis Britanniæ, Edmundi de Mortuo Mari comitis Marchiæ, et Thomæ de Bello Campo comitis Warwicæ, et aliorum magnatum ibidem existentium, et prædictus Johannes Rex Castellæ dictum sigillum cepit de manibus dicti domini nostri Regis Ricardi, et illud liberavit Nicholao Bonde militi, de camerâ ipsius domini Regis Ricardi, custodiendum.

Memorandum de liberatione sigilli Ricardi Regis nunc cancellario.

ET postmodum, regresso præfato episcopo Menevensi, dictus dominus Rex Ricardus, xxvi. die Junii nunc proximò sequente, apud manerium suum de Kenyngton, in capitali camera dicti manerii, in præsentia dictorum, Johannis Regis Castellæ, et episcopi Wigorniensis, ac venerabilis patris Johannis episcopi Herefordensis, Roberti de Assheton nuper camerarii dicti domini Edwardi Regis, et Simonis de Bureley camerarii dicti domini Regis nunc, et aliorum de familia dicti domini Regis nunc, magnum sigillum suum, pro regimine Angliæ, in quadam bursa inclusum, liberavit præfato episcopo Menevensi cancellario suo, capto prius ab eo sacramento suo de officio prædicto benè et fideliter faciendo;

Præcipiens eidem cancellario ut id, quod ad officium cancellarii pertinet, faceret et exerceret; qui quidem cancellarius, eodem die, in capella sua, apud hospitium suum in vico de Fletestrete London, dictam bursam aperuit, et dictum sigillum extraxit, et diversas literas patentes, de diversis officiariis regni, ibidem fecit consignari.

Officium constabulariæ Angliæ Thomæ de Wodestok comiti Bukyngamiæ, conceditur.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 7. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, cum officium constabularii Angliæ, per mortem Humfredi de Bohun nuper comitis Herefordiæ constabularii Angliæ, et ratione minoris ætatis hæredum ejusdem, ad manus domini E. nuper Regis Angliæ avi nostri, devenerat, et in manu nostra, eâ de causâ, et per mortem ipsius avi nostri, jam existat;

Et nos, de fidelitate et circumspectione carissimi avunculi nostri Thomæ de Wodestok comitis Bukynghamiæ pleniùs confidentes, concessimus eidem comiti officium constabulariæ prædictæ;

Habendum, regendum, et excercendum, cum omnibus ad officium illud spectantibus sive pertinentibus, eodem modo sicut alii constabularii officium illud ante hæc tempora habere, regere, et excercere consueverunt, quamdiu nobis placuerit, et idem officium in manu nostra, ex causâ prædictâ, contigerit remanere.

Damus insuper universis et singulis ducibus, comitibus, baronibus, militibus, justiciariis, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis quod eidem comiti, tanquam constabulario Angliæ, intendentes sint, consulentes, respondentes, et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum requisiti fuerint vel præmuniti ex parte nostrâ, quamdiu idem comes officium habuerit supradictum. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per ipsum Regem et concilium.

Super custodiâ filiorum Caroli de Bloys.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

CESTE endenture, fait parentre nostre seigneur le Roy Richard d'une part, et monsieur Roger de Beauchamp d'autre part, tesmoigne que le dit Roger ad empris de sauvement garder, pur et en noun de nostre dit seigneur le Roy, les deux filz Charles de Bloys, esteantz devers mesme nostre seigneur le Roy en hostage, du jour present tanque a la fyn d'un an prochein venant:

Et prendra le dit Roger, de mesme nostre seigneur le Roy, par celle cause, deux centz livres par le dit an, pur la sustenance et vesture de les ditz deux filz, c'estassavoir, cynquante livres chescun quarter, a l'eschequer de nostre dit seigneur le Roy, tancome les ditz deux filz serront ensy en la garde de mesme celui Roger.

En tesmoignance de quele chose, a la partie de ceste endenture demorante devers nostre dit seigneur le Roy, le dit Roger ad mys son seal.

Don' a Westm', le xxii. jour de Juyn, l'an du regne de nostre dit seigneur le Roy primer.

Custodia castri de Arde Johanni domino de Gumeney committitur.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni domino de Gumeney, salutem.

Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate vestrâ plenius confidentes, constituimus vos capitaneum castri ac villæ nostræ de Arde, in regno nostro Franciæ: ita quod vos castrum et villam prædictam ad opus nostrum salvò custodiatis, et custodiri faciatis, percipiendo pro custodiâ illâ juxta formam indenturæ inter dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum, et vos confectæ:

Ballivis etenim, ministris villæ prædictæ, ac universis et singulis habitatoribus ejusdem villæ, ac in eâ existentibus, et accedentibus ad eandem, damus, tenore præsentium, in mandatis, eis nichilominus sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, firmiter injungentes, quod vobis ac locum vestrum tenenti ibidem, ac deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, cum ad nos in Angliam, seu alibi extra villam prædictam ad mandatum nostrum, seu aliis causis necessariis, accedere vos contingat, in omnibus, quæ ad salvam et securam custodiam dictorum castri et villæ nostrorum, tam de nocte quam de die, pertinent, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et quando per vos, seu dictum vestrum locum tenentem, ac deputatos à vobis, ex parte nostrâ fuerint præmuniti:

Damus insuper vobis ac dictum locum vestrum tenenti, et deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, sicut prædictum est, potestatem contrarotulandi omnes solutiones et liberationes per thesaurarium nostrum in hac parte, in villâ et castro prædictis; necnon puniendi et castigandi omnes vobis contrarios seu rebelles, in hiis, quæ ad castri et villæ prædictorum pertinent salvationem, prout de jure et rationabiliter fuerit faciendum; ac etiam amovendi omnes et singulos, qui in dictâ munitione indebitè se habebunt, et alios, loco eorum, ponendi: ita quod munitio prædicta, prout vobis meliùs videbitur, firmiter teneatur.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per concilium.

De custodiâ castri de Outherwyk, W. de Weston commissâ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti armigeri nostri Willielmi de Weston plenius confidentes, commissimus ei custodiam castri nostri de Outherwyk; habendam, cum omnibus ad custodiam illam spectantibus, quamdiu nobis placuerit, juxta formam cujusdam indenturæ inter dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum, et ipsum Willielmum confectæ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per concilium.

De custodiâ castri de Merk, Roberto Salle commissâ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Roberti Salle plenius confidentes, commissimus ei custodiam castri nostri de Merk, habendam cum omnibus ad custodiam illam spectantibus, à tempore quo idem Robertus custodiam dicti castri receperit, quamdiu nobis placuerit, juxta formam cujusdam indenturæ inter dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum, et præfatum Robertum confectæ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per concilium.

Custodia castri villæ Calesii, Thomæ Fogg chivaler committitur.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Franc. 1 Ric. II. p. 1 m. 29. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis capitaneis, castellanis, custodibus castrorum et fortaliciorum, ac fidelibus nostris dominiorum nostrorum in partibus Calesii, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Thomæ Fogg chivaler plenius confidentes, constituimus ipsum capitaneum et custodem castri nostri villæ Calesii, quamdiu nobis placuerit, juxta formam cujusdam indenturæ inter dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum, et ipsum Thomam indè confectæ:

Et ideò vobis mandamus, quod eidem Thomæ, tanquam capitaneo et custodi castri prædicti, intendentes sitis et respondentes. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per concilium.

Pro Hugone de Calvyle, capitaneo villæ Calesii.

A.D. 1377. An. 1 Ric. II. Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 30. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Hugoni de Calvyle, salutem.

Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate vestrâ plenius confidentes, constituimus vos capitaneum villæ nostræ Calesii in regno nostro Franciæ, ita quod vos villam prædictam ad opus nostrum salvò custodiatis et custodiri faciatis, percipiendo pro custodiâ illâ juxta formam indenturæ inter dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum, et vos confectæ:

Majori etenim, ballivis ac omnibus aliis ministris villæ prædictæ, necnon universis et singulis habitatoribus ejusdem villæ, ac in eâ existentibus, et accedentibus ad eandem, damus, tenore præsentium, in mandatis, eis nichilominus sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, firmiter injungentes, quod vobis ac locum vestrum tenenti ibidem, ac deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, cum ad nos in Angliam, seu alibi extra villam prædictam, ad mandatum nostrum, seu aliis causis necessariis accedere vos contingat, in omnibus, quæ ad salvam et securam custodiam villæ nostræ prædictæ, tam de nocte quam de die, pertinent, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et quando per vos, seu dictum locum vestrum tenentem, ac deputatos à vobis, ex parte nostrâ fuerint præmuniti:

Damus insuper vobis ac dicto locum vestrum tenenti et deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, sicut prædictum est, potestatem puniendi et castigandi omnes vobis contrarios seu rebelles, in hiis, quæ ad villæ prædictæ salvationem pertinent, prout de jure et rationabiliter fuerit faciendum; ac etiam ammovendi omnes et singulos, qui in munitione dictæ villæ indebitè se habebunt, et alios idoneos, loco eorum, ponendi; ita quod munitio prædicta, prout vobis melius videbitur, firmiter teneatur:

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per billam thesaurarii.

Acquietantia de monetâ Scotiæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Rot. Scot. 1 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

LE Roi a touz ceux, qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Savoir vous faisons que nous avons en accompte et resceu de tresnoble et puissant prince Robert nostre cher cousyn d'Escoce, et des autres grantz de sa partie, quatre milles marcz d'esterlinges, de nostre monoie d'Engleterre, pur ceste presente terme de Seint Johan le Baptistre, en deduction, rebat, et partie de paiement de vint et quatre milles marcz, les queux nous sont clerement duez de la somme de cynquant et sys milles marcz d'esterlinges, les quelles nostre dit cousyn, et autres prelatz, countz et nobles de roialme d'Escoce nous ont accordez et promys a paier, par lour lettres obligatoirs, a cause de la reste de la ranceon de nostre cher frere David de Bruys, qi Dieu assoille:

De la quelle somme de quatre milles marcz, nous nous tenons pur bien contenz et paiez, et en quitons, delivrons, et absolons nostre dit cousyn, et les autres, issint obligez, et lour heirs, a touz jours, de mesme la somme de quatre milles marcz, issint a nous paiez come dit est;

Et par le tenur de noz presentes lettres nous faisons paction et covenance expresse, et en bone foye, de jammais demander a eux, ne a lour heirs, en juggement ne dehors, la dite somme de quatre milles marcz, qui paiez nous sont par la cause, et si come dessus est dit.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le xxvi. jour de Juyn.

Per ipsum Regem.

De passagio Isabellæ comitissæ Bedefordiæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

RICARDUS, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, dilecto avunculo suo Edmundo comiti Cantebrigiæ, constabulario castri sui Dovorriæ et custodi Quinque Portuum nostrorum, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Mandamus vobis quod, carissimam amitam nostram Isabellam comitissam Bedefordiæ, quæ de licentiâ nostrâ versus partes transmarinas profectura est, in uno portuum prædictorum, versus partes prædictas, cum familiâ suâ consuetâ, ac equis, bonis, et hernesiis suis quibuscumque, liberè et absque impedimento aliquo transire permittatis, quocumque mandato nostro, vobis priùs in contrarium directo, non obstante.

Teste meipso, apud Westm', xxvi. die Junii, anno regni nostri primo.

Per concilium.

Pro duce Britanniæ, super returnis brevium, de non gravando.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 41. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Lincolniæ, qui nunc est, vel qui pro tempore erit, salutem.

Querelam dilecti et fidelis nostri Johannis ducis Britanniæ et comitis Richemondiæ recepimus, continentem quod, licet ipse et Johannes nuper dux Britanniæ et comes Richemundiæ, et omnes alii comites ibidem, semper hactenus, à tempore quo non extat memoria, habuerint et habere consueverint retorna omnium brevium nostrorum, et progenitorum nostrorum, quondam Regum Angliæ, et executiones eorumdem infra honorem Richemundiæ in comitatu Lincolniæ, ita quod nullus vicecomes, aut alius ballivus, seu minister regius honorem illum ingrediatur, ad executiones eorumdem brevium ibidem faciendas, nisi in defectu comitis Richemundiæ pro tempore existentis, aut ballivorum seu ministrorum suorum honoris supradicti;

Idem tamen nunc comes, quominus hujusmodi retorna et executiones, infra honorem prædictum, in comitatu prædicto, habere possit,

per aliquos ministros nostros, et dictorum progenitorum nostrorum, sæpiùs impeditus extitit, aliquo defectu in ipso, nunc comite, seu ministris suis, ut asserit, non comperto, in ipsius, nunc comitis, grave dampnum et exhæredationis suæ periculum manifestum;

Undè nobis supplicavit sibi per nos remedium adhiberi;

Nos, nolentes præfato nunc comiti injuriari in hac parte, tibi præcipimus quod ipsum nunc comitem, retorna omnium brevium nostrorum, et executiones eorumdem, infra honorem prædictum, in comitatu prædicto, habere permittas adeò plenariè et integrè, ac eodem modo, sicut ea habere debet, ipseque et omnes alii comites Richemundiæ prædicti, et eorum quilibet, dum comitatum Richemundiæ habuerunt et tenuerunt, retorna et executiones prædicta semper hactenus à tempore prædicto ibidem rationabiliter habere consueverunt, ipsum nunc comitem in hac parte non molestans indebitè, sive gravans.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Junii.

Per concilium.

[*Et erat patens.*]

De ordinando, pro defensione costerarum contra Gallicos.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 27. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis dominis, militibus, armigeris, et quibuscumque aliis in comitatu Kantiæ, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Quia pro certo didicimus quod inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, infra comitatum prædictum, cum magnâ multitudine armatorum, hostiliter navigio applicuerunt, et se parant ad nos et ligeos nostros pro viribus destruendum, nisi eorum militiæ, Deo adjuvante, viriliùs obsistatur;

Oneravimus et assignavimus carissimum avunculum nostrum, Edmundum comitem Cantebrigiæ, constabularium castri nostri Dovorræ, necnon, dilectos et fideles nostros, Willielmum Latymer, Johannem de Cobham de Kent, Johannem de Clynton, et Stephanum de Valence, conjunctim et divisim, ad ordinandum et disponendum pro resistentiâ inimicorum nostrorum prædictorum, ac pro salvatione et defensione costerarum comitatûs prædicti, securiori et meliori modo quo poterunt, juxta discretiones suas;

Et ad quoscumque comitatûs prædicti, tam infra libertates quam extra, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, ad resistendum dictis inimicis nostris et eorum malitiæ, quotiens opus fuerit, tam per incarcerationem corporum suorum quam alio modo, compelli et distringi faciendum;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, super ligeantiâ vestrâ, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus quod eisdem comiti, Willielmo, Johanni, Stephano, et Johanni, et eorum cuilibet, in omnibus et singulis, quæ resistentiam dictorum inimicorum nostrorum, et salvationem et defensionem comitatûs et partium illarum concernunt, vel concernere poterunt, et prout ipsi vel eorum aliquis, vos vel aliquem vestrûm, ex parte nostrâ præmunire fecerint vel fecerit, de tempore in tempus, pareatis, obediatis, et intendatis, et eis consulentes sitis et auxiliantes. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Junii.

Per ipsum Regem et concilium.

De orando pro Rege.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Claus. 1 Ric. II. m. 39. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, S. eâdem gratiâ, archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, salutem.

Quantò, in magnis et arduis peragendis negotiis, divinum præsidium instantius et devotius imploratur, tantò exindè speratur successus prosperior et felicior provenire.

Cum itaque, celebris memoriæ, dominus Edwardus, nuper Rex Angliæ, avus noster, sit, ut piè confidimus, ad requiem evocatus, et ad nutum DOMINI viam universi carnis ingressus, et, per decessum suum, onere regiminis regni Angliæ nobis incumbente, sicut scitis, inimici nostri Franciæ, et alii quamplures sibi adhærentes, in regno nostro prædicto applicuerunt, et ad nos et idem regnum nostrum, in primordiis regiminis nostri, se parent et conentur finaliter destruendum, de quo mentis amaritudine undique premimur et turbamur;

Nos verò, ad onus regiminis hujusmodi supportandum, sive ad malitiam hostium prædictorum propulsandam, absque devotarum orationum suffragiis, vires nostras cernentes penitùs impotentes, vestram paternitatem et devotionem affectuosis precibus requirimus et rogamus, quatinus apud Regem Regum, per quem Reges regnant, omniaque regna subsistunt, omni mentis solicitudine, assiduis et devotis intercessionibus, clàm et palàm ac missarum celebrationibus, et continuis processionibus insistatis;

Et illud idem religiosis et aliis vestris subditis universis fieri injungatis;

Ut Hic suâ pietate nos dirigat per suorum semitas mandatorum, statumque regni nostri prædicti, necnon procerum et magnatum, ac populi ejusdem regni conservare dignetur pacificum et tranquillum, et nobis, ac dominis, magnatibus, et fidelibus nostris gratiam et potestatem, ad dictum regnum et ecclesiam Anglicanam viriliter defendendum, et inimicis nostris resistendum, pro suâ misericordiâ, tribuat et concedat.

Teste Rege, apud Westm', primo die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur archiepiscopo Eborum, et singulis episcopis per Angliam, et cancellariis universitatum Oxoniæ et Cantebrigiæ.

De morando super salvâ custodiâ Insulæ de Shepeye, contra invasiones hostium.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 46. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo, Ricardo atte Leese chivaler, salutem.

Quia inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, super mare cum magno numero hominum armatorum costeris maris regni nostri Angliæ applicuerunt, et dampna et facinora intolerabilia hostiliter perpetrarunt, et super alias diversas costeras ejusdem regni applicare, et nos et ligeos nostros destruere, de die in diem totis viribus se conantur;

Vobis, super ligeantiâ vestrâ, et sub forisfacturâ omnium, quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus, quod, consideratis periculis iminentibus, omnibus aliis prætermissis, ad insulam de Shepeye, cum omni festinatione accedatis, ibidem super salvâ custodiâ et defensione terrarum vestrarum ibidem, ac insulæ prædictæ, fortiori modo quo poteritis, moraturus.

Et hoc sub forisfacturâ prædictâ, et sicut vos de periculo iminente, si quod evenerit, quod absit, excusare volueris, nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', primo die Julii.

Consimile breve dirigitur Johanni de Northwode sub eadem data.

De intendendo comiti Sarum, super defensione costerarum.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis dominis, militibus, armigeris, et quibuscumque aliis, in comitatibus Suthamptoniæ et Dorsetiæ, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Quia pro certo didicimus quod inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, super costeris regni nostri, cum magnâ multitudine armatorum, hostiliter applicuerunt, et se parant ad nos et ligeos nostros pro viribus destruendum, nisi eorum militiæ, Deo adjuvante, viriliùs obsistatur;

Ordinavimus et assignavimus dilectum et fidelem nostrum Willielmum comitem Sarum ad ordinandum et disponendum pro resistentiâ inimicorum nostrorum prædictorum, ac pro salvatione et defensione costerarum comitatuum prædictorum;

Et ideò vobis, et cuilibet vestrûm super ligeantiâ vestrâ, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus quod eidem comiti, et ejus deputatis in hac parte, in omnibus et singulis, quæ resistentiam dictorum inimicorum nostrorum, et salvationem et defensionem comitatuum et partium illarum concernunt, vel concernere poterunt, et prout ipse vel deputati sui vel eorum aliquis, vos vel aliquem vestrûm, ex parte nostrâ, præmunire fecerint vel fecerit, de tempore in tempus, pareatis, obediatis, et intendatis, et eis consulentes sitis et auxiliantes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

De ordinatione factâ, pro defensione comitatuum Kantiæ et Essex.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Claus. 1 Ric. II. m. 42. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Mittimus tibi, præsentibus interclusam, quandam cedulam, continentem ordinationem, de avisamento concilii nostri, pro salvatione villarum super costera aquæ Thamisiæ, et partium adjacentium, ac navigii, in aquâ prædictâ existentes, factam;

Mandantes firmiter et præcipientes, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteris, quod, inspectâ eadem cedulâ, diligenter executionem ordinationis prædictæ, cum omni solicitudine et celeritate, facias, et per alios fieri facias, juxta tenorem cedulæ supradictæ.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimile breve dirigitur vicecomiti Essexiæ sub eadem datâ.

Ordinatio inde sequitur in hæc verba.

ORDINAUNCE pur sauvation des paiis de Kent et d'Essex, et nomement pur les villes esteantz sur la ryvere de Thamyse, pur periles que sodeinement leur purroit avenir par noz enemys, come DIEUX defende, et auxi pur la savation de la navye esteant es portz du dit ryver.

Primes, soit ordeine al isle de Shepeye un beken, et a Shoubery en Essex un autre beken.

Item, a Hoo en Kent un beken, et a Fobbyng en Essex un autre beken.

Item, a Cleve en Kent un beken, et a Tilbery en Essex un autre beken.

Item, a Gravesend en Kent un beken, et a Farnedon en Essex un autre beken.

Item, que par especial maundement de par nostre tresredoute seigneur le Roy, soient chargez as viscountz, conestables, et autres ministres es avantdites parties de Kent et d'Essex, que touz les dites bekenes soient hastivement et covablement, as lieus avauntnomez, apparaillez et parfaitz, pur savation des pais avantdites, et pur la dite navye.

Item, que tantost, que les dites bekens soient faites, q'ils soient bien et avenantment veillez, sibien de jour come de nuyt, sanz aucune faut.

Item, que les veillours, qui pur le temps serront as dites bekens, et nomement as beken de Shepeye et Shoubery, soient de temps en temps, garniz et chargez, que auxi tost qu'ils purront espier aucunes vessels d'enemys, venantz, ove seil ou ores, devers la dite ryvere, que tost les ditz deux beken de Shepeye et Shoubery soient mys a fyw en fesantz, ovesque ce, toute la noise, de corn et de cri, q'ils purrent faire, pur garnir la paiis environ, pur venir, ove leur force, au dit ryvere, chescun en socours d'autres, pur countresteer lour enemys.

Item, que les paiis avantdites soient garniz et amonestez, sur grevouse peine, que tantost q'ils veient les dites beken, ou les unes de eux, mys a fyw, ou q'ils orrent la noise de corn ou de cri, q'ils viegnent, prestment de lour meillour arraie d'armes, tanque au dite ryvere, pur sauver sibien les villes esteant sur ycel, come la navye esteant es portz, sanz damage, de noz enemys.

De carpentariis et latomis, contra coronationem Regis, providendis.

A. D. 1377.
An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, &c. ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Willielmum Hannay clericum ad capiendum et providendum, per se et deputatos suos, petram, maeremium, et alia necessaria pro operationibus nostris, quas, pro solempnitate coronationis nostræ, in palatio nostro Westm', fieri ordinavimus;

Ac carpentarios, et omnes alios operarios, pro operationibus prædictis necessarios, in civitate nostrâ Londoniæ, et comitatibus Middlesexiæ et Surriæ, capiendum, et eos in operationibus prædictis ponendum, in eisdem, prout indiguerit, ad vadia nostra moraturos;

Et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios invenerit seu rebelles, arestandum et capiendum, et eos prisonis nostris committendum, in eisdem moraturos quousque de eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum;

Et ideò vobis mandamus, firmiter injungentes, quod eidem Willielmo, et deputatis suis prædictis, in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, intendentes sitis, auxiliantes, et respondentes, quotiens et prout per ipsum Willielmum, seu dictos deputatos suos, super hoc, ex parte nostrâ, fueritis præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Julii.

De pavillionibus pro dictâ coronatione arestandis.

A. D. 1377.
An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Thomam de Thornton, pavillonarium nostrum, ad tot pavillonarios, quot pro operationibus et pavilloniis, quas, pro solempnitate coronationis nostræ, in palatio nostro Westmonasteriensi fieri ordinavimus, in civitate nostrâ London' et comitatu Middlesexiæ eligendum et capiendum, et eos in dictis operationibus ponendum, in eisdem, prout indiguerit, ad vadia nostra moraturos;

Et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios invenerit seu rebelles, arestandum et capiendum, et eos prisonis nostris committendum, in eisdem moraturos quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum;

Et ideò vobis mandamus, firmiter injungentes, quod eidem Thomæ, et deputatis suis, in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, intendentes sitis, auxiliantes, et respondentes quotiens et prout per ipsum Thomam, seu dictos deputatos suos, super hoc, ex parte nostrâ, fueritis præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Julii.

Pro J. de Clynton, de morando in castro de Folkestone; necnon de coronatione Regis.

A. D. 1377.
An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 42. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo, Johanni de Clynton, salutem.

Cum inimici nostri Franciæ, congregatâ maximâ classe navium et galearum super mare, diversas partes regni nostri Angliæ et maximè comitatum Kantiæ manu forti invadere se festinent, ut accepimus, vosque castrum de Folkestone in comitatu prædicto habeatis et teneatis, quod prope mare situatur, et nisi castrum illud hominibus ad arma, armatis et sagittariis, ac victualibus sufficienter muniatur, de captione ejusdem per dictorum inimicorum incursus, si qui ingredi præsumpserint partes illas, in destructionem partium vicinarum, multipliciter sit timendum;

Vobis igitur, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, firmiter injungendo, mandamus, quod vos, absque dilationis diffugio, cum totâ familiâ vestrâ, usque castrum prædictum divertatis, ibidem cum sufficienti potentiâ hominum ad arma, armatorum et sagittariorum, in comitivâ vestrâ, per quos castrum illud benè et sufficienter muniri et defendi valeat, moraturi, ne per vestri defectum castro prædicto, seu patriæ adjacenti, dampnum eveniat aliquale:

Et insuper in propriâ personâ vestrâ sitis coram nobis apud Westm', ad instantem coronationem nostram, ad faciendum nobis ibidem servitia, quæ pro terris et tenementis vestris, quæ de nobis tenentur in capite, facere tenemini, et quæ antecessores vestri ab antiquo consueverunt facere pro eisdem; et hoc sub forisfacturâ prædictâ, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', ix. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

De cerâ circa corpus Edwardi I. renovandâ.

A. D. 1377.—An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond

REX, thesaurario et camerariis suis, salutem. Mandamus vobis quod ceram, existentem circa corpus celebris memoriæ domini Edwardi nuper Regis Angliæ, progenitoris nostri, filii Regis Henrici, in ecclesiâ Beati Petri Westmonasteriensis humatum, de denariis nostris renovari faciatis, prout hactenus fieri consuevit.

Teste Rege, apud Westm', xi. die Julii.

De querelâ, inter episcopum Norwicensem et homines villæ de Lenne, pacificandâ.

A. D. 1377.
An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 36. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Norffolciæ, salutem. Ex ingenti clamore populari ad nostrum pervenit auditum quædam debata, dissensiones, et lites inter venerabilem patrem Henricum episcopum Norwicensem et probos homines et communitatem villæ de Lenne, suborta fuisse, ac partes prædictas diversa malefacta et transgressiones hinc indè fecisse jam de novo, in nostri contemptum, ac populi regni nostri Angliæ commotionem et terrorem, necnon pacis nostræ perturbationem manifestam:

Nos, ut debata et dissensiones prædicta meliùs et celeriùs pacificentur, et pro evitandis periculis quæ ex incepto facinore verisimiliter succedere possent, volentes manus nostras apponere adjutrices, et eos, qui in hac parte deliquerint, debitè castigare, de avisamento concilii nostri, cepimus querelam prædictam et dependentia quæque ab eadem in manum nostram, coram nobis et concilio nostro prædicto, ad citiùs quo fieri poterit, terminandam:

Et prohibemus insuper, auctoritate nostrâ regiâ, partibus supradictis, nè quis eorumdem, sub pœnâ duorum milium librarum, nobis solvendarum, dampnum, malum, seu gravamen aliquod, per se, vel per alium, occasione debatorum et dissensionum prædictorum, alteri faciat aut inferre præsumat ullo modo;

Et ideò tibi præcipimus quod in villâ prædictâ, et alibi in ballivâ tuâ, ubi melius expedire viderit, publicè proclamari, et ex parte nostrâ firmiter inhiberi, facias nè quis, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, sub pœnâ prædictâ, et forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterit, dampnum vel malum aliquod alicui de partibus prædictis, ex causâ prædictâ, faciat aut fieri procuret, contra inhibitionem nostram supradictam; et hoc, sub hujusmodi pœnâ et forisfacturâ, nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Julii.

Per magnum concilium.

Consimilia brevia diriguntur vicecomiti Cantebrigiæ, ac majori et ballivis villæ de Lenne, mutatis mutandis, sub eadem data.

De processu ad coronationem Regis Ricardi secundi.

Officia senescalli ac gerendi principalem gladium domini Regis et scindendi coram Rege die coronationis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

E. Rot. Claus. m. 45, in Turr. Lond.

DECEDENTE de nutu Summi Præceptoris, felicissimo, strenuo, et potenti Rege Angliæ et Franciæ, domino Edwardo tertio post conquestum, vicesimo primo die mensis Junii, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, et anno regni sui quinquagesimo primo, successit ei Rex Ricardus secundus, filius Edwardi nuper principis Walliæ, primogeniti dicti Regis Edwardi; et cum tractaretur et provisum fuisset de solempniis coronationis ipsius Regis Ricardi, die Jovis in crastino Translationis Beati Swithuni tunc proximò sequente, celebrandis:

Johannes, Rex Castellæ et Legionis dux Lancastriæ, coram dicto domino Rege Ricardo et concilio suo comparens, clamavit, ut comes Leycestriæ, officium senescalciæ Angliæ; et ut dux Lancastriæ, ad gerendum principalem gladium domini Regis, vocatum Curtana, die coronationis ejusdem Regis; et ut comes Lincolniæ, ad scindendum et ad secandum coram ipso domino Rege sedente ad mensam dicto die coronationis.

Et quia, factâ diligenti examinatione coram peritis de concilio Regis de præmissis, satis constabat eidem consilio, quod ad ipsum ducem, tanquam tenentem per legem Angliæ post mortem Blanchiæ, quondam uxoris suæ, pertinuit officia prædicta, prout superius clamabat excercere, consideratum fuit per ipsum Regem et concilium suum prædictum, quod idem dux officia prædicta per se et sufficientes deputatos suos faceret et excerceret, et feoda sibi debita in hac parte optineret: qui quidem dux officium senescalciæ prædictæ personaliter adimplevit, et etiam dictum gladium coram præfato domino Rege, quousque alta missa post coronationem ipsius domini Regis celebrata fuit, in manibus suis propriis gerebat: et extunc occupatus circa officium senescalciæ prædictæ, gladium illum Henrico comiti Derbiæ, filio et hæredi ejusdem ducis, coram ipso Rege deferendum commisit; et sic idem comes Derbiæ eundem gladium, ex assignatione dicti patris sui, durantibus solempniis coronationis prædictæ, coram ipso Rege honorificè et decenter gerebat. Et similiter Hugo comes Staffordiæ, ex assignatione et in jure ejusdem ducis coram præfato domino Rege sedente ad mensam dicto die coronationis suæ, in magnâ aulâ Westmonasterii, panem et cibaria ejusdem domini Regis coram eo scindebat.

Et memorandum, quod præfatus dux, die Jovis proximo ante coronationem prædictam, sedebat de præcepto Regis, tanquam senescallus Angliæ, in albâ aulâ regii palatii Westmonasterii prope capellam regalem, et inquirebat diligenter quæ et qualia officia, seu feoda, dicto die per quoscumque facienda vel optinenda fuerant, et cum hoc eodem die Jovis publicè proclamari fecit, quod tam magnates quam alii, qui alia officia ad coronationem prædictam facere, seu feoda aliqua optinere, clamare vellent, billas et petitiones suas clamea sua continentes, coram ipso senescallo, vel ejus in hac parte locum tenentibus, proferri facerent indilatè; super quo diversa officia et feoda, tam per petitiones quam oretenus, coram ipso senescallo exacta et vendicata extiterunt, in formâ quæ subsequitur.

Officium constabularii Angliæ.

IN primis, quoad officium constabularii Angliæ, Thomas de Wodestok avunculus domini Regis, qui unam filiarum et hæredum Humfridi de Bohun nuper comitis Herefordiæ et constabularii Angliæ, duxit in uxorem, demonstrabat tam dicto domino Regi quam præfato senescallo, quod officium illud ad dictum nuper comitem et hæredes suos de jure pertinebat, et quod hæredes ipsius nuper comitis infra ætatem, et in custodiâ Regis fuerunt; quodque dictus Rex defunctus officium illud eidem Thomæ, qui unam hæredum prædictarum, ut prædicitur, desponsavit, commisit faciendum, durante minori ætate hæredum prædictarum, petendo se admitti ad officium illud faciendum ex causâ supradictâ. Per quod, habitâ consideratione rationabiliter ad præmissa, idem Thomas ad officium prædictum faciendum admittitur, de voluntate dicti Regis nunc; et sic officium illud in omnibus postmodum adimplevit.

Officium marescalli Angliæ.

ITEM, quoad officium marescalli Angliæ, Margareta Marshall comitissa Norffolciæ porrexit petitionem suam coram præfato domino senescallo, in hæc verba:

"A tres honore seignur, le Roi de Castele et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Margarete file et heire Thomas de Brotherton nadgairs counte de Norff' et mareschall d'Engleterre, d'estre acceptee al office de marescalcie ore al coronement notre seignur le Roy, come a son droit heritage apres la mort le dit Thomas son piere, fesante l'office par son depute, come Gilbert mareschall çounte de Strogoile fist al coronement le Roy Henri second; cest a savoir, de peser debatz en meson le Roy au jour de son coronement, et a faire liveree des herbergages, et de garder les oesses del chambre le Roi, prenant de chescun baron et counte faitz chivaler a cel jour, un palfrey ove une selle."

SUPER quo, auditâ petitione prædictâ, dictum fuit pro domino Rege ibidem, quod officium illud in persona domini Regis in feodo remansit, ad assignandum et contulendum cuicumque ipsi Regi placeret: et super hoc, auditis, tam pro domino Rege quam pro præfatâ comitissâ, pluribus rationibus et allegationibus in hac parte, pro eo quod videbatur curiæ quod finalis discussio negotii prædicti, propter temporis brevitatem ante coronationem prædictam, fieri non potuit, Henricus de Percy, ex assensu et præcepto ipsius Regis, assignatus fuit ad officium prædictum faciendum, percipiendo feoda debita et consueta; salvo jure cujuslibet: et sic idem Henricus officium illud perfecit.

Pro comite Oxon'.

ITEM, Robertus de Veer comes Oxon', exhibuit curiæ quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A mon tres honore, seignur le Roy de Castelle et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie le votre Robert de Veer counte d'Oxenford, que come le dit counte soit chamberlein de fee de notre tres redoute seignur le Roi, come ses auncestres ount estes chamberleins des nobles progenitours notre dit seignur le Roy, puis temps de memorie et devant, q'il plese a votre tres graunt hautesse q'il puisse faire le dite office come ses auncestres ount fait de tout temps."

Porrexit autem idem comes quandam aliam petitionem suam, in hæc verba:

"A mon tres honore seignur le Roy de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie le votre Robert de Veer counte d'Oxenford, que come ses auncestres, de temps dont memorie ne court, ont servi a les nobles progenitours notre seignur le Roi qui ore est, del eawe, sibien devant manger come apres, le jour de lour coronement, et ont ewe, come lour droit, les basines et les towailes dont les ditz progenitours le Roy ont este servy as ditz jours de coronement, sicome appiert en le record de l'escheqer le Roy; q'il plese a votre tres grande hautesse grantier q'il puisse faire le dit office come ses auncestres ont fait devant, et avoir les fees au dit office appendantz."

ET quia, per recorda, et evidentias ex parte ipsius comitis in curiâ prolatas, sufficienter constat quod idem comes jus habet ad officia prædicta, prout superius petiit, in feodo optinenda, et factâ proclamatione, si quis petitioni suæ in hac parte contradicere vellet, nullus clameo suo hujusmodi in aliquo contradixit, per quod consideratum fuit quod idem comes officia prædicta personaliter faceret et excerceret, si dominus Rex ad hoc, non obstante minori ætate ipsius comitis, graciosè vellet consentire: qui quidem dominus Rex postmodum voluit et concessit quod præfatus comes in propriâ personâ suâ officia prædicta, dicto die coronationis ipsius Regis faceret, eo non obstante, quod ipse infra ætatem et in custodiâ Regis adtunc extitit. Et sic idem comes officia illa eodem die coronationis in omnibus adimplevit: ac pelves et manutergia undè servivit, et similiter feoda camerariæ, ad opus suum proprium, recepit.

Pro Johanne Wiltshire de London.

ITEM, Johannes Wiltshire civis London' porrexit in curiâ quandam petitionem, in hæc verba:

"A tres honore seignur, Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschal d'Engleterre, supplie Johan Wiltshire citezein de Londres, que come le dit Johan tient certeins tenementz en Heyden, queles fount le moytee del manoir de Heyden, de notre seignur le Roy par sergeantie, cest a savoir, de tenir un towaile quant notre dit seignur le Roy lavera ses mayns, devant manger, le jour de sa coronement; et quele moitee du manoir jadys fuist en la seysyn Johan fitz Johan Pycot, qui se tient de seignur Edward nadgairs Roy d'Engleterre, besail notre seignur le Roi q'ore est, par les services suisdites, come piert par record de l'escheqer notre dit seignur le Roi, et prie q'il puisse estre accepte le dit office de sergeantie faire, en la forme susdite."

ET, quia apparet per recordum de scaccario domini Regis in curiâ monstratum, quod prædicta tenementa tenentur de domino Rege per servitium prædictum, ideò prædictus Johannes admittitur ad servitium suum hujusmodi faciendum, per Edmundum comitem Cantebrigiæ deputatum suum.

Et sic idem comes, in jure ipsius Johannis, manutergium tenuit quando dominus Rex lavabat manus suas dicto die coronationis suæ, ante prandium.

Pro comite Warwici.

ITEM, Thomas de Bello Campo comes Warwici exhibuit in curiâ quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A mon tres honore seignur, le Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Thomas de Beauchamp counte de Warrewyk, que come ses auncestres as coronementz des Rois d'Engleterre ont porte la tierce espie, des espeyes que sont assignes d'estre portes devant les Rois as ditz coronementz: et ensement ses ditz auncestres ont ewes l'office de panetrie, et mesme l'office serviz par eux et lours deputes et ministres, en lours propres persones, des salers, coteaux et coillers, et mesmes les salers, coteaux, et coillers ont ewes et rejoies pur lours feodz, q'il vous plese q'il puisse faire ses offices a ceste coronement, et avoir ses feodz ensi come ses ditz auncestres ont faitz et ewes avant ces heures."

INTELLECTA petitione prædictâ, pro eo quod per evidentias, et recorda de scaccurio prædicto curiæ ostensa, veraciter patet, quod antecessores ipsius comitis tertium gladium ante Regem ad coronationem suam retroactis temporibus, gestabant; et dictum officium panetriæ similiter ad idem tempus habuerunt; et pro feodo suo ejusdem officii salsarium et cultellos ante Regem existentes, receperunt, consideratum fuit quod idem comes admitteretur ad officia prædicta, dicto die coronationis facienda, et haberet pro feodo suo salsarium et cultellos, quæ posita essent coram Rege sedente ad mensam, dicto die coronationis: et de cocliaribus superius petitis, pro eo quod non est compertum de recordo, quod hujusmodi cocliaria ante hæc tempora data fuerant pro feodis, faceret Rex voluntatem suam. Qui quidem dominus Rex postmodum, prætextu quarumdam evidenciarum coram eo expositarum, voluit et decrevit, quod prædictus comes cocliaria sua, simul cum salsario et cultellis prædictis, pro feodo suo optineret.

Et sic idem comes officia illa in omnibus ad coronationem prædictam fecit et excercuit; et, peracto prandio, prædicta salsarium, cultellos et cocliaria, pro feodo suo recepit.

Pro Johanne de Argenthein.

ITEM, Johannes de Argenthein chivaler, porrexit petitionem suam in hæc verba:

"A son tres redote seignur, le Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Johan de Argenthein chivaler, que come il tient le manoir de Graunt Wilmondeleye el counte de Hertford de notre seignur le Roi, par grant sergeantie, c'est a savoir, de servir au Roi a son coronement de la coupe; quel service ses auncestres ont fait, de temps dont memorie ne court, pur le manoir susdit, tanque a la darreyn coronement, a quel temps le dit Johan fuist en la garde notre seignur le Roi, et del age de oet ans, que pleise a sa tres redote seignurie receyver le dit Johan a cel office faire ore a ceste presente coronement."

ET quia per recorda, rationes et evidentias, ex parte ipsius Johannis in curiâ monstrata, ac etiam per testimonium procerum et aliorum fidedignorum constabat curiæ, quod prædictus Johannes dictum manerium de Rege tenet per servitium prædictum, consideratum extitit quod idem Johannes dictum servitium suum Regi faceret prædicto die coronationis suæ, et haberet pro feodo suo, ut clamavit, quendam calicem argenteum album, undè domino Regi serviret.

Per quod præfatus Johannes dicto die coronationis serviebat domino Regi, sedenti ad mensam, de hujusmondi calice argenteo albo: et habuit eundem calicem pro feodo suo.

Pro Willielmo de Furnivall.

ITEM, Willielmus Furnivall exhibuit in curiâ quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A tres honore seignur, le Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschal d'Engleterre, supplie William Furnivall, quod cum il tient le manoir de Farnham ove le hamelet de Cere, par le service de trover a notre seignur le Roi, le jour de son coronement, a sa mayne dextere une gaunt, et de supporter le dextere brache de notre dit seignur le Roi mesme le jour, dementiers q'il la verge roiale en sa mayn tendra; de quel manoir et hamelet mesme cel William et ses auncestres, de temps dont memorie ne court, ont este seisez, en fesant le service a temps et seisons avenuz, et pur lui enabler pur faire le dit service il soi offre pur faire quantque serra a garde par la court, et prie estre accepte pur les ditz services faire:

QUA quidem petitione debitè intellectâ, et factâ publicâ proclamatione, si quis clameo ipsius Willielmi in eâ parte contradicere vellet, nemineque sibi contrariante, consideratum fuit quod idem Willielmus, assumpto per eum primitùs ordine militari, ad servitium prædictum faciendum admitteretur; et postmodum, videlicet, die Martis proximâ ante coronationem prædictam, dominus Rex ipsum Willielmum, apud Kenyngton, honorificè præfecit in militem.

Et sic idem Willielmus servitium suum prædictum, dicto die coronationis, juxta considerationem prædictam, perfecit in omnibus et adimplevit.

Pro Anna, quæ fuit uxor Johannis de Hastynges, nuper comitis Pembroke.

ITEM, Anna, quæ fuit uxor Johannis de Hastynges nuper comitis Pembroke, porrexit in curiâ quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A tres honore seignur, le Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Anne, qui fuist la femme Johan de Hastynges nadgairs counte de Pembroke, que come le manoir de Asshelle el counte de Norff' soit tenuz de notre seignur le Roi par le service de faire l'office de naperie al coronement le Roy, quel manoir ele tient en dower del dowement son dit baroun, que plese lui accepter del faire cel office par son depute a cest coronement de notre seignur le Roy, prenant les fees du dit office, cest a savoir les napes quant ils soient suistretz."

ET quia post ostentionem verisimilium evidentiarum et rationum ipsius Annæ, ac proclamationem in curiâ prædictâ debitè factam in hac parte, nullus hujusmodi clameo ipsius Annæ contradixit, consideratum fuit quod ipsa ad officium prædictum, per sufficientem deputatum suum, faciendum, admitteretur. Et sic officium illud per Thomam Blount chivaler, quem ad hoc deputavit, dicto die coronationis, in omnibus perfecit: et, peracto prandio, mappas de mensis subtractas pro feodo suo recepit.

Pro Johanne filio et hærede prædicti, nuper comitis Pembroke.

ITEM, Johannes, filius et hæres Johannis de Hastynges nuper comitis Pembroke, exhibuit in curiâ quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A tres honore seignur, le Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Johan fils et heir Johan de Hastynges nadgairs counte de Pembroke, d'estre resceu à son office de porter les grantz esporons dorrez devant notre seignur le Roi ore a son coronement, en manere come William le Mareshall son auncestre les porta al coronement le Roi Edward le second."

AUDITA et intellectâ billâ prædictâ, pro eo quod dictus Johannes est infra ætatem, et in custodiâ domini Regis, quanquam sufficienter ostendat curiæ recorda et evidentias, quod ipse servitium prædictum de jure facere deberet; consideratum extitit, quod esset ad voluntatem Regis, quis dictum servitium, istâ vice, in jure ipsius Johannis faceret; et super hoc dominus Rex assignavit Edmundum comitem Marchiæ ad deferendum, dicto die coronationis, prædicta calcaria, in jure præfati hæredis: salvo jure alterius cujuscumque.

Et sic idem comes Marchiæ calcaria illa, prædicto die coronationis, coram ipso domino Rege deferebat.

Pro eodem Johanne.

ITEM, præfatus, Johannes protulit quandam aliam petitionem suam in eadem curia, sub hac formâ:

"A tres honore seignur, le Roi de Castell et de Leon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, monstre Johan fiis et heir Johan de Hastynges counte de Pembrok, que come il tient le chastell et la ville de Pembrok, le chastell et la ville de Tynby, la graunge de Kyngeswod, la commote de Croytrath, le manoir de Chastel Martyn, et le manoir de Tregeyr, par le service de porter le seconde espee le Roi devant lui, a son coronement, que plese lui accepter a son dit office faire ore a cest coronement."

ET super hoc Ricardus comes Arundell et Surriæ exhibuit in curiâ quandam aliam petitionem, in hæc verba:

"Au Roi de Castelle et de Lyon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Richard counte d'Arundell et de Surreie, de lui receivre affaire son office a porter le seconde espeye devant le

Roi ore al coronement, qui lui appartient de droit pur le counte de Surrie."

Quibusquibus petitionibus intellectis, et auditis hincinde dictorum comitum rationibus, pro eo quod dictus Johannes comes Pembrok, qui infra ætatem et in custodiâ Regis existit, ostendit curiæ meliora recorda et verisimiliores evidencias et rationes pro se quam prædictus comes Arundell pro ipso monstrabat, dominus Rex, declaratâ coram eo materiâ prædictâ, præcepit Edmundo comiti Marchiæ quod ipse gladium prædictum, istâ vice, in nomine et jure prædicti comitis Pembrok, deferret: salvo jure alterius cujuscunque.

Qui quidem comes Marchiæ gladium illum ex hac causâ, dicto die coronationis gestabat, simul cum calcaribus supradictis.

Pro Ricardo comite Arundell.

ITEM, prædictus comes Arundell porrexit in curiâ quandam aliam petitionem, in hæc verba:

"Al Roi de Castelle et de Lyons, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Richard counte d'Arundell et de Surrie, de lui receivre affaire son office de chief buttler, quel lui appartient de droit pur le counte d'Arundell, receivant les feez ent duez:"

ET super hoc quidam Edmundus filius et hæres Edmundi de Stapelgate, exhibuit quandam aliam petitionem, sub hac formâ:

"A mon tres honore seignur, le Roi de Castelle et de Lyon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, monstre Esmond fils et heir Esmond Stabelegate, que come le dit Esmond tient de notre seignur le Roi en chief le manoir de Bilsynton en le counte de Kent, par les services d'estre botiller de notre seignur le Roi a sa coronement, come pleinement appiert en le livre des fees de serjanties en l'escheqer notre seignur le Roi; et a cause que le dit Esmond le pier morust seisi de mesme le manoir en son demesne come de fee, mesme cest Esmond le fitz adonques esteant deinz age, notre seignur le Roi, laiel notre seignur le Roi q'ore est, seisit le dit Esmond le fitz en sa garde, par cause que fuisit trove en mesme le livre que le dit manoir fuist tenuz par an par tieux services, et prist les profitz de mesme le manoir par quatre ans come de sa garde, et puis comist la dite garde ove le mariage de dit Esmond le fitz a Geffray Chausyer, pur quele garde et mariage le dit Esmond le fitz paia au dit Geffray cent et quatre livres, par quoi le dit Esmond le fitz soi profre de faire le dit office de botiller, et prie q'il a ce soit receu, prenant les fees au dit office auncienement duez et custumables."

INTELLECTIS autem petitionibus prædictis, auditisque quampluribus recordis, rationibus et evidentiis, tam pro præfato comite quam pro prædicto Edmundo, curiæ monstratis, videbatur curiæ dictum negotium, propter multiplicationem negotiorum et temporis brevitatem ante prædictam coronationem, finaliter discuti non posse; et, eo prætextu, necnon pro eo quod per recordum de scaccario est compertum, quod antecessores ipsius comitis, postquam dictum manerium de Bilsyngton ab eis alienatum extitit, fuerunt in possessione dicti officii, temporibus hujusmodi coranationum, et non est compertum, nec allegatum pro prædicto Edmundo, quod aliquis antecessorum suorum aliquo tempore fecit officium prædictum, dictum fuit præfato comiti quod ipse officium prædictum ad præsentem coronationem faceret, et feoda debita perciperet: jure ipsius Edmundi . . . . . . quorumcumque in omnibus semper salvo.

Et sic idem comes officium illud perfecit.

Pro civibus civitatis London'.

ET memorandum, quod major et cives civitatis London', coram præ dicto domino senescallo per recordatorem ejusdem civitatis comparentes, clamabant oretenus secundum libertatem et consuetudinem civitatis prædictæ, quod idem major, ratione officii sui majoratûs, in propriâ personâ suâ serviret domino nostro Regi, die coronationis suæ, tam in aulâ ad prandium suum, quam post prandium in camerâ, ad species de cupa auri ipsius domini Regis, et eandem cupam à festo ipsius domini Regis recederet una cum aquario auri pro feodo suo haberet et secum asportaret et quod alii cives qui ad hoc per prædictam civitatem eligentur ad eundem diem servire deberent in officio pincernariæ in auxilium capitalis pincernæ, tam ad mensam ad prandium in aulâ, quam post prandium in camera magnatibus prout major et cives ejusdem civitatis, prædecessores sui, hactenus, ut asseritur, facere consueverunt . . . . servitia prædicta . . . . prædicta faciend'.

Et super hoc, habitâ coram præfato domino seneschallo informatione diligenti, pro eo quod per recorda et evidencias in scaccario Regis residentia est compertum, quod capitalis pincerna domini Regis pro tempore existens, diebus hujusmodi coronationum, dictum servitium, quod pro prædicto majore est vendicatum, facere, et hujusmodi feodum optinere, solebat, temporibus retroactis, declarata fuit materia prædicta coram domino Rege, ut ipse de præmissis faceret et discerneret velle suum.

Qui quidem dominus Rex, perpendens gratitudinem magnam et subsidium, quæ progenitores sui in civibus civitatis prædictæ ante hæc tempora habundanter invenerunt, speransque imposterum hujusmodi gratitudinem et subsidium in prædictis civibus invenire; et, ut ipsi corda assumant hillariora dicto domino nostro Regi fidele præstare obsequium, et sibi in necessitatibus suis ferventiûs subvenire, desiderans corditer eisdem civibus complacere, voluit et decrevit, quod cives civitatis prædictæ servirent in aulâ de pincernaria in auxilium capitalis pincernæ, ipso Rege sedente ad mensam, die coronationis suæ: et cum idem dominus noster Rex post prandium, cameram suam ingressus, vinum petierit, dictus major prædicto domino Regi de cipho aureo serviret, et postmodum haberet ciphum illum, unà cum aquario eidem cipho pertinente de dono Regis.

Et sic idem major et prædicti cives servitia prædicta decenter impleverunt, et prædictus major ciphum, undè domino Regi servivit, receipit, juxta ipsius domini Regis voluntatem et decretum.

Pro Johanne Dymmok chivaler.

ITEM, Johannes Dymmok chivaler exhibuit in curiâ quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A tres honore seignur, le Roi de Castell et de Lyon, duc de Lancastre et seneschall de Engleterre, supplie Johan Dymmok chivaler, qu'il puist estre receu de faire son service a notre tres redoute seignur le Roi, le jour de son coronement, que lui appent, come de droit Margarete sa femme, de lour manoir de Scryvelby, come les auncestres le dit Margarete ont fait et clayme, come en une bille a ycestes annexes, plus pleinement est declare."

BILLA unde in istâ petitione fit mentio, sequitur sub hâc formâ:

"C'est la demande que Johan Dymmok chivaler demaunde a notre seignur le Roi, q'il lui soeffre son service certein avoir, qui a lui appent de fee et de droit, le jour de son coronement, dont ses auncestres ont este vestu et seisi, en temps des Rois les auncestres notre seignur le Roi q'ore est, que Dieu garde, a les jours de lour coronement, c'est assavoir: que le Roi lui face avoir la veille de son coronement un des bons destrers que le Roi eit ov le sele, et ove touz les harneys bien covert de feer, ensement ove touz les armoires q'appendent au corps le Roi, ausi entierment come le Roi mesmes le duist avoir, s'il dust aler en un bataill mortell, en ycell maner que le dit Johan doit venir arme de mesmes les armes, et mounter mesme le destrer bien covert, le jour de son coronement, et chivacher devant le Roi al procession; et doit dire et crier al poeple trois foitz joint en audience, devant tout le monde, que s'il y a null homme, haut ou bas, qui dedire voille que son seigneur leige sire Richard, cosyn et heir le Roi d'Engleterre Edward, qui darrein morust, ne devie estre Roi d'Engleterre coronne, q'il est prest par son corps a darreiner meintenant q'il ment, come faus et come tretre, ou a quel jour que lem lui assera: et si nulle le dedie, et il face la darrein pur le Roi, le cheval ove touz les harneis lui demura, come son droit et son fee. Et si nul le dedie tanque come la processione dure, apres la tierce heure meintenant apres la procession, et que le Roi soit enoint et coronne, descend et soi desarme; et puis soit a la volunte si le Roi, le destrere et les armes lui deivent demurer, ou noun."

ET super hoc Baldewinus de Freville chivaler porrexit quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A mon tres honore seignur, le Roi de Castell et de Lyon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Baldewyn de Freville, cosyn et un des heirs Philipp Marmyon, c'est assavoir, cosyn et heir a l'eynesse file le dit Philip, que come tient le chastell de Tamworth en le countee de Warrewyk, de notre tres redoute seignur le Roi, come de sa coronne, del heritage le dit Philip, a la dite file afferant en partie de sa purpartie, par les services d'estre a la coronement notre dit seignur le Roi, en ses armures, et sur un des destrers le Roi, si nul voleit contredire son dit coronement, de le deffendre come a lui appartient, plese a votre tresredote seignurie, de lui accepter de faire les services avant ditz, et de comander que ceo que a lui appartient, pur la fesance de les ditz services, lui soient delivre."

LECTIS verò et intellectis petitionibus prædictis, et habitâ super servitio prædicto inter præfatos Johannem et Baldewinum gravi et prolixâ contentione, auditisque hinc inde quampluribus rationibus, recordis et evidentiis, videbatur curiæ, quod prædictus Johannes monstrabat et allegabat in curiâ plura et meliora recorda et evidentias pro ipso, quam præfatus Baldewinus pro se ostendebat; ac, eo prætextu, et pro eo quod per diversos proceres et magnates in curiâ prædictâ coram dicto domino senescallo comparentes, testificatum extitit, quod dictus dominus Rex Edwardus et prædictus dominus princeps, defuncti, sæpius dum vixerunt, asseruerunt et dixerunt quod dictus Johannes dictum servitum, pro dicto manerio de Scryvelsby, de jure facere deberet, consideratum fuit de voluntate et præcepto Regis, quod idem Johannes servitium prædictum, istâ vice, faceret.

Ita tamen, quod si prædictus Baldewinus citra tres septimanas proximò post festum Sancti Hillarii proximò futurum venerit, et monstraverit rationes, recorda vel evidentias, quod ipse servitium prædictum de jure facere debeat, tunc idem Baldewinus audietur, et fiet ei indè de avisamento sani concilii plena justicia; et si ipse, infra illud tempus à curia limitatum, in formâ prædictâ non venerit, tunc prædictus Baldewinus indè pro perpetuo sit exclusus; et faceret dictus Johannes servitium prædictum, in jure prædictæ uxoris suæ, prout petiit hæreditariè.

Pro Willielmo de Latymer et Johanne de Moubray.

ITEM, Willielmus de Latymer, et Johannes filius et hæres Johannis Moubray de Axiholm, porrexerunt in curiâ quandam petitionem, in hæc verba:

"A tres honore seignur, le Roi de Castell et de Lyonn, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplient William seignur Latymer et Johan fitz Johan Moubray de Axiholm, que come William Beauchamp de Bedeford, qui terres tenantz ils sont, avoit l'office d'almoignerie notre tres redoute seignur le Roi, le jour de son coronement, prenant ent les fees acustumez pur le dit office faire, come piert plus au pleine par recorde del rouge livre del escheqer, et de quel office eux et lour auncestres, et touz les terres tenantz, ent estee seisez avant ces heures, prenant lesquel d'argent del almorie custume esteant devant notre dit tresredoute seignur au dit jour, ove un tonel de vyn, pur le dit office faire, q'ils puissent a ceo estre receuz."

ET, quia in rubeo libro de scaccario Regis in curiâ monstrato, apertè patet quod Willielmus de Bello Campo de Bedeford defunctus, cujus terras dominus Rex, in jure prædicti Johannis, infra ætatem et in custodiâ suâ existentis, et prædictus Willielmus de Latymer, in jure suo proprio, jam tenent, dictum officium in vitâ suâ de jure habuit et excercuit, consideratum est quod idem Willielmus de Latymer admitteretur ad prædictum officium, ad istum diem coronationis, tam pro se ipso quam pro præfato hærede, faciendum; et haberent pro certo feodo suo argenteum discum elemosinæ, stantem coram Rege sedente ad mensam, dicto die coronationis: et si fortè imposterum rationabiliter compertum fuerit, quod ipsi unum tonellum vini de jure habere debeant, tunc ipsi hujusmodi tonellum vini habeant.

Per quod dictus Willielmus de Latymer officium prædictum, dicto die coronationis, in omnibus adimplevit, juxta considerationem supradictam, et recepit, peracto prandio, prædictum discum argenteum, ad opus suum et prædicti hæredis.

Pro Willielmo de Bardolf.

ITEM, Willielmus de Bardolf exhibuit in curiâ quandam petitionem, in hæc verba:

"A tres noble et redoute seignur d'Espayne, seneschal d'Engleterre, monstre William Bardolf, que come il tient certeines terres en la ville de Adynton, come de son heritage, tenuz du Roi en chief par sergeantie, cestassavoir, de trover le jour del coronement notre tres redoute seignur le Roi un homme de faire une messe, q'est appelle dilgirunt; et si apponatur sagimen, adonque il est appelle, malpigeryum, en la cosyn du Roi, par qoi plese au dit seneschal receivre un homme pur le dit William diffaire au dit jour le service avantdit, solonc la tenure et purpos d'un record ent fait, en l'escheqer du Roi."

ET quia inter recorda de scaccario prædicto continetur, quod prædicta terra tenetur de domino Rege in capite, per serjantiam, videlicet, de faciendo prædictum servitium, prout per istam petitionem supponitur, consideratum est quod prædictus Willielmus admitteretur ad dictum officium faciendum.

Et sic idem Willielmus perfecit officium suum supradictum, per quendam deputatum suum.

Pro Ricardo Lyouns.

ITEM, Ricardus Lyons porrexit quandam petitionem suam, in hæc verba:

"A mon tres honore seignur, le Roi de Castell et de Lyon, duc de Lancastre et seneschal d'Engleterre, supplie Richard Lyons, que come il soit tenant del manoir de Liston, par cause de quel Johan de Liston et ses auncestres, de temps dont memorie ne court, ont fait les wafres, dont les nobles progenitours notre seignur le Roi q'ore est, ont estee servy, le iour de lour coronement, come piert par recorde del escheqer, que plese a votre graunt hautesse grantier q'il puisse faire le dit service et office, le jour de coronement notre dit seignur le Roi, et avoir les fees au dit office appendantz."

ET, super hoc, pro eo quod satis constabat de recordo quod manerium prædictum tenetur de domino Rege in capite, per servitium supradictum, et nullus clameo suo contradixit, consideratum extitit quod ipse officium prædictum, dicto die coronationis, faceret, et feoda debita perciperet.

Et sic idem Ricardus officium illud adimplevit.

Pro baronibus Quinque Portuum.

ITEM, quædam petitio liberata fuit in curiâ, ex parte baronum Quinque Portuum, sub formâ subsequenti:

"A notre seignur le Roi de Castell et de Lyon, seneschal d'Engleterre, monstrent les hommes liges notre seignur le Roi et barons de les Cynk Portz, que, par vertue de lour fraunchise grauntez par ses progenitours a eux et a lour successours, ils cleymont que a tous les foith que les Rois d'Engleterre serront coronez, ils porteront outre la teste du Roi un drap d'ore, ou de soy, a la volunte du Roi, sur quatre lances batuz d'argent, et a les quatre corners du drap avantdit quatre seignes d'argent enorrez, et que touz cestes choses serront a costages du Roi: et auxint ils cleymont, que apres ce q'ils averont feat cest service au Roi, il averont touz les avantditz choses, pur leur fee: et auxint ils cleymont d'avoir, par mesme la fraunchise, la chief table au destre mayn du Roi en la sale, a seare a lour manger le jour de l'encoronement."

PRO eo quod nullus clameo hujusmodi contradixit, et etiam satis est cognitum quod prædicti barones obsequium prædictum domino Regi ad coronationem suam facere consueverunt, consideratum extitit quod iidem barones admitterentur ad servitium prædictum, in formâ prædictâ faciendum, percipiendo feoda debita et consueta, et sederent, istâ vice, ad principalem mensam ad dextram partem aulæ: jure domini Regis in omnibus semper salvo.

Et sic prædicti barones servitium prædictum perfecerunt, et feoda sua perceperunt, et ad dictam principalem mensam, ad dextram partam aulæ, recumbebant, dicto die coronationis, juxta considerationem supradictam.

Pro Johanne fitz Johan.

ITEM, Johannes fitz Johan exhibuit in curiâ quandam petitionem, in hæc verba:

"A seneschall d'Engleterre monstre Johan filz Johan, que come le manoir de Sculton en le counte de Norff' est tenuz de notre seignur le Roi en chief, par la service d'estre chief lardener al coronement notre dit seignur le Roi, le quel service monsur Geffray Burdeleye fist au coronement sire Edward, aiel a notre dit seignur le Roi q'ore est, pur les services de mesme le manoir; et auxint estoit trove, l'an du regne le Roi Edward tierce puis le conquest vint primer, devant William de Middelton adonque eschetour del dit counte, par un diem clausit extremum, que le dit manoir estoit tenuz par mesme le service, sur quoi pleise au dit senescall receyver le dit Johan au dit office, come de droit sa feme, et come autres q'ont tenuz mesme le manoir furent receuz, de temps d'ont memorie ne court."

VISA et intellectâ petitione prædictâ, et habitâ super contentis in eadem informatione diligenti, constabat curiæ dictum manerium per servitium prædictum de domino Rege teneri; per quod consideratum extitit quod prædictus Johannes ad prædictum officium, prout petitur, faciendum, admitteretur.

Et sic admissus, dictum officium, prædicto die coronationis, per se et deputatos suos exercuit et perfecit.

Pro Nicholao Heryng.

ITEM, Nicholaus Heryng porrexit in curiâ quandam petitionem, in hæc verba:

"A mon tres honore seignur, le Roi de Castell et de Lyon, duc de Lancastre et seneschall d'Engleterre, supplie Nichol Heryng, que come il tient de notre seignur le Roi le manoir de Catteshull, el countee de Surrie, par grant serjantie, c'est as savoir, par les services d'estre usher al chmbre notre dit seignur le Roi, el droit Agneys sa femme, come piert par diverses recordes el escheqer, q'il puisse estre resceu de faire son dit office, el manere come appent."

QUA quidem petitione debitè intellectâ, pro eo quod clameum prædictum non tangit coronationem Regis, dictum est eidem Nicholao quod prosequatur versus dominum Regem justiciam super petitione suâ prædictâ, consecuturam, si sibi viderit expedire.

De processu et formalitatibus ad coronationem Regis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. et Coron. 1 Ric. II. m. 44. in Turr. Lond.

DIE verò Sancti Swythini, post prandium, magnates, milites, ac major, vicecomites, aldermanni, et quamplures cives Londoniæ, et alii in magno numero equites, decenter ornati, in quodam loco vacuo juxta Turrim Londoniæ convenerunt;

Et, cum per modicum spatium ibidem pausassent, exiit dominus Rex de turri suâ prædictâ, albis indutus vestibus, unâ cum ingenti multitudine procerum, magnatum, militum, et armigerorum in sectâ suâ, se circumstantium, necnon servientum ad arma, armatorum præcedentium;

Et ibidem congregati, cum tubis et universis aliis modis modulationum, per publicos vicos Londoniæ, usque nobilem stratam, vocatam la Chepe de Londonia, et abinde usque Fletestrete, et sic directè usque dictum regium palatium Westmonasteriense, solempniter equitantes, ad magnam aulam prædicti palatii pervenerunt;

Et insuper dictus dominus Rex, cum proceribus, magnatibus, et aliis quampluribus fidelibus suis, ad altam mensam marmoream in eadem aulâ accedens, petiit vinum, et allatum bibit, cæterique circumstantes similiter biberunt:

Quo facto secessit Rex, cum quibusdam proceribus et familiâ suâ, in cameram suam, et completâ cænâ, more regio, et ipso domino Rege, ut decebat, balniato, quievit Rex, et similiter alii quiescebant:

Manè autem facto surrexit Rex, et auditis servitiis Dei et missâ, indutus mundissimis vestibus, et caligis tantummodo calciatus, egrediens de camerâ suâ, descendebat in prædictam magnam aulam, cum maximo numero procerum et magnatum;

Et occurrerunt ei Simon archiepiscopus Cantuariensis ac alii prælati pontificalibus, et clerus regni capis sericis induti, multitudoque plebis copiosa, apud dictam altam mensam in eadem aulâ;

Et, sedente Rege in sede suâ regali, ibidem paraverunt prædicti prælati atque clerus processionem suam;

Medioque tempore prædictus Willielmus de Latymer, tanquam elemosinarius, per se et deputatos suos, sternebat, ab aulâ prædictâ, usque pulpitum in ecclesiâ Sancti Petri Westmonasteriensis, quosdam rubeos pannos radiatos, super quos Rex et alii magnates prædicti incederent ad ecclesiam supradictam;

Et, sublato Rege, præcedebat eum, dictus dominus dux cum prædicto principali gladio, ut in jure suo prædicto;

Edmundus comes Marchiæ cum secundario gladio et calcaribus, in jure prædicti comitis Pembrochiæ;

Et comes Warwicæ cum tertio gladio, in jure suo proprio, ut prædictum est;

Ac Edmundus comes Cantebrigiæ, cum unâ virgâ regali, et Thomas de Wodestok, cum aliâ virgâ regali, in manibus suis, de præcepto Regis, in quarum quidem virgarum summitate erant duæ columbæ;

Et ante eos A. Menevensis episcopus, cancellarius Angliæ, deferens in manibus suis quendam calicem magni pretii, sanctificatum;

Et ante eum H. episcopus Wygorniensis, thesaurarius Angliæ, portans in manibus suis quandam patenam;

Et ante eos quamplures alii prælati et alii de prædicto clero gradiebantur;

Post Regem verò veniebant prædictus archiepiscopus, W. Londoniæ, et W. Wyntoniæ, episcopi;

Et sic incedebant Rex et omnes alii prædicti processionalitèr ad prædictam ecclesiam:

Et prostratum Regem coram summo altari ibidem, benedixit prædictus archiepiscopus;

Et sublatum ducebant prædicti prælati et magnates ad pulpitum, in quodam loco eminenti, in ecclesiâ prædictâ ad hoc ordinato, et posuerunt eum ibidem in cathedrâ regali honorificè decoratâ, cernente universo populo tunc præsente;

Et deferebant, toto isto tempore, barones Quinque Portuum, ultra Regem quendam pannum purpureum de serico quadratum, quatuor hastis deargentatis supportatum, cum quatuor campanellis argenteis deauratis, videlicet, ad quamlibet hastam quatuor assignati;

Sedente autem Rege in cathedrâ prædictâ, venit Richardus comes Arundellæ, deferens in manibus suis, de præcepto Regis, nobilem coronam regiam;

Et similiter Willielmus comes Suffolciæ, de hujusmodi præcepto Regis, afferebat sceptrum regale, in cujus summitate erat crux;

Deferebat etiam idem comes Suffolciæ quoddam pretiosum vestimentum, et Willielmus comes Sarum aliud hujusmodi vestimentum, quibus postmodum induebatur dominus Rex;

Subsequenterque capto per præfatum archiepiscopum sacramento domini Regis corporali;

De concedendo et servando, cum sacramenti confirmatione, leges et consuetudines ab antiquis, justis, et Deo devotis Regibus Angliæ, progenitoribus ipsius Regis, plebi regni Angliæ concessas, et præsertim leges, consuetudines, et libertates a gloriosissimo et sanctissimo Rege Edwardo clero populoque regni prædicti concessas;

Et de servando Deo, et ecclesiæ sanctæ Dei, cleroque et populo, pacem et concordiam integrè in Deo, juxta vires suas;

Et de faciendo fieri, in omnibus judiciis suis, æquam et rectam justitiam et discretionem in misericordiâ et veritate;

Et etiam de tenendo et custodiendo justas leges et consuetudines ecclesiæ, ac de faciendo per ipsum dominum Regem eas esse protegendas et ad honorem Dei corroborandas, quas vulgus justo et rationabiliter elegerit, juxta vires ejusdem domini Regis:

Præfatus archiepiscopus, ad quatuor partes pulpiti prædicti accedens, exposuit et enarravit universo populo qualiter dictus dominus Rex hujusmodi præstitit sacramentum, inquirens ab eodem populo si ipsi consentire vellent ad habendum ipsum Regem et dominum suum ligeum, et ad obediendum ei tanquam Regi et domino ligeo;

Qui utique unanimiter consenserunt;

Hiis itaque peractis incipiebat archiepiscopus, altâ voce, ympnum Veni Creator Spiritus;

Quo finito, dictisque ab eodem archiepiscopo quibusdam devotis orationibus super Regem, et cantatâ solempni litaniâ per præfatos prælatos et clerum, prædictus dominus Rex, scissis vestibus quibus priùs induebatur, oleo sancto atque crismate in diversis partibus corporis sui, ut est moris, per manus præfati archiepiscopi, inunctus extitit ad gradum cathedræ suæ, et statim coronatus;

Ac, datis postmodum et impositis eidem domino Regi gladio, qui vocatur Curtana, sceptro, anulo, calcaribus, et aliis regalibus, prout decuit, magnates et domini circumstantes elevatum ipsum dominum Regem posuerunt in cathedrâ prædictâ;

Prædicti prælati et clerus, decantato devoto psalmo Te Deum Laudamus, usque summum altare prædictum, ad altam missam celebrandam, accesserunt;

Et, in medio ejusdem missæ, idem dominus Rex, descendens de loco suo usque ad gradum ante altare prædictum, unam marcam auri ibidem offerebat, et iterum ascendens repositus fuit in cathedrâ suâ prædictâ;

Et tunc, dùm iidem prælati et clerus circa solempnitatem missæ prædictæ occupati fuerunt, diversi domini et magnates, quorum nomina subsequuntur, homagium suum ligeum præfato domino nostro Regi faciebant; videlicet,

Johannes dux Lancastriæ,
Edmundus comes Cantebrigiæ,
Johannes comes Richemondiæ,
Edmundus comes Marchiæ,
Ricardus comes Arundellæ,
Thomas de Beauchamp comes Warwicæ,
Willielmus de Ufford, comes Suffolciæ,
Hugo comes Staffordiæ,
Willielmus de Monte Acuto, comes Sarum,
Henricus de Percy,
Thomas de Roos, de Hamelak,
Radulphus Basset de Drayton,
Johannes de Nevill,
Adomarus de Sancto Amando,
Reginaldus Greye de Ruthyn,
Jacobus Audele de Helegh,
Willielmus de Zouche, de Haryngworth,
Robertus de Wylughby,
Rogerus de Scales,
Rogerus le Straunge de Knokyn,
Johannes Lovell,
Johannes la Warre,
Walterus fitz Wauter,
Willielmus de Bardolf,
Johannes de Montagu,
Gilbertus Talbot,
Johannes de Buttetourt,
Henry de Greye, de Wilton,
Johannes de Welynton,
Philippus Darcy,
Thomas de Berkele,
Michael de la Pole,
Hugo la Zouche, de Foulbourne,
Radulphus de Croumwell,
Willielmus Botreux,
Ricardus Seymour de Somerset,
Radulphus baro de Greystok,
Willielmus de Furnival,
Archibaldus de Grelly, capitaneus de la Bouche, et,
Smebrondus de Curton;

Completâ etenim solempniter dictâ missâ, præfatus dominus Rex, cum universo cœtu dictorum prælatorum, magnatum, et procerum, de prædictâ ecclesiâ exiens, ad dictum palatium suum, per medium prædictæ magnæ aulæ, in privatam cameram suam perveniebat;

Et, quiescens ibi per moderatum spatium, descendebat in aulam, lotisque manibus suis, statim sedebat in sede suâ regali ad altam mensam;

Recumbebant itaque cum eo ad eandem mensam plurimi prælatorum prædictorum ex utraque parte suâ;

Ad dextram verò costam dictæ aulæ tenebant principalem mensam barones Quinque Portuum;

Et secundariam clerici de cancellariâ domini Regis, de primâ et secundâ formâ, per assignationem domini senescalli;

Et ad alias mensas inferiores, in eadem costâ, sedebant justiciarii domini Regis, barones de scaccario Regis, et aliæ personæ honestæ, juxta status suos;

Et ad mensas in sinistrâ parte ejusdem aulæ, vicecomites, recordator, aldermanni, et quamplures cives civitatis Londoniæ consedebant;

Medias autem mensas ibidem alii probi homines de communitate regni occupabant;

Et sedentibus illis in formâ prædictâ, priusquam serviebatur domino Regi de prandio, idem dominus Rex carissimum avunculum suum Thomam de Wodestok in comitem Bukynghamiæ, Henricum de Percy in comitem Northumbriæ, Johannem de Moubray de Axiholm in comitem Notynghamiæ, et Guicardum d'Angle in comitem Huntingdoniæ, honorificè præfecit;

Ac Edwardum filium Edmundi comitis Cantebrigiæ, Johannem filium Thomæ Roos de Hamelak, Robertum de Greye de Rotherfeld, Ricardum filium Gilberti Talbot, Gerardum filium Warini de Lisle, Michaelem filium Michaelis de la Pole, Ricardum de Ponynges, Robertum de Haryngton, et Thomam de la Mare, similiter promovit ad decorum ordinem militarem;

Cuilibet eorumdem comitum et militum munera regalia affluenter largiens, prout regia munificentia exigit et requirit:

Medio etenim spatio, et durante tempore prandii, prædictus dominus senescallus, ac dicti constabularius et marescallus, et diversi alii milites ex eorum præcepto et assignatione, in aulâ prædictâ, ad honorificum populum ibidem congregatum arraiandum, ac dissensiones et debata quæ ibidem oriri poterant pacificandum, super nobiles dextrarios decenter equitârunt;

Totoque illo tempore præfatus comes Derbiæ, astans à dextris domini Regis sedentis ad mensam, tenebat in manu suâ dictum principalem gladium nudum et extractum;

Et prædictus comes Staffordiæ, coram eodem domino Rege, scindebat, ex assignatione et in jure dicti ducis, ut prædictum est;

Peracto autem prandio ascendebat dominus Rex in cameram suam cum prælatis, magnatibus, et proceribus prædictis:

Et deinceps magnates, milites, et domini, aliique generosi diem illum, usque ad tempus cœnæ, in tripudiis, coreis, et solempnibus ministralciis, pro gaudio solemnitatis illius, continuârunt:

Et, finitâ cœnâ, dominus Rex et alii prædicti, labore maximo fatigati, petentes requiem, dormiêrunt:

Et sequenti die Veneris, residente Rege in palatio suo prædicto, universi prælati, domini, et magnates antedicti, ac alii in maximo numero, apud ecclesiam Sancti Pauli Londoniensis congregati, quandam solempnem processionem per medium civitatis prædictæ faciebant, deprecantes humiliter et devotè pro salubri statu Regis et fœlici regimine regni sui, animàque prædicti nobilis domini Edwardi nuper Regis defuncti, ac aliorum fidelium defunctorum:

Et, post processionem hujusmodi, Thomas episcopus Roffensis quandam prædicationem faciebat, ad beneplacitum et nutum, ut creditur, Regis Regum.

Hiis itaque gestis, prædicti magnates et domini abindè, usque Westmonasterium, ad Regem abierunt, et cum eo manducabant:

Post prandium verò, petitâ à domino Rege licentiâ, et cum difficultate optentâ, quilibet ibat viam suam, et sic prædicta solempnia finiebant.

Memorandum quod prædictus Rex Castellæ et Legionis, dux Lancastriæ et senescallus Angliæ, istum processum, per manus suas proprias, in cancellariâ domini Regis liberavit, ibidem in rotulis ejusdem cancellariæ irrotulandum.

Pro Papæ serviente ad arma.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX suscepit in protectionem et defensionem suam, necnon in salvam et securam gardiam suam, Guidonem de Labordonia, servientem ad arma domini Summi Pontificis, veniendo in regnum suum Angliæ, tam per terram quam per mare, pro financiâ Rogeri de Bello Forti militis et Johannis de Rupe militis faciendâ, cum tribus equitibus seu peditibus, ac res et bona sua quæcumque, in dicto regno suo Angliæ, usque ad festum Sancti Michaelis proximò futurum, duraturas, morando, et exindè ad propria redeundo.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Julii.

Per concilium.

Pro capitali de Bogio, de homagio capto.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo senescallo nostro Aquitaniæ qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, vel ejus locum tenenti, salutem.

Quia, post celebrationem coronationis nostræ, dilectus et fidelis consanguineus noster Archibaldus de Greilly, capitaneus de Buche, fecit nobis homagium pro omnibus castris, dominiis, terris, et tenementis quæ de nobis tenet in capite, quomodocumque debitum;

Vobis mandamus quod ipsum Archibaldum, pro homagio suo prædicto, nullatenus amodo distringatis, seu distringi faciatis;

Et districtionem, si qua ei indè facta fuerit, sine dilatione relaxari et dimitti faciatis eidem.

Dat' apud Westm', die coronationis nostræ.

Per breve de privato sigillo.

Pro Thoma de Wodestoke comite Bukinghamiæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 2. m. 31. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod de gratiâ nostrâ speciali, et ad finem quod carissimus avunculus noster Thomas de Wodestok' comes de Bukingham', statum comitis, quem die coronationis nostræ à nobis suscepit, honorabilius manutenere valeat, concessimus dicto avunculo nostro mille libras, percipiendas singulis annis ad scaccarium nostrum, ad terminos Sancti Michaelis et Paschæ, per æquales portiones, ad totam vitam prædicti comitis:

Ita quod, si dilecta consanguinea nostra Alianora uxor ejus, una filiarum et hæredum Humfridi de Bohun nuper comitis Herefordiæ, obierit sine exitu de corporibus dictorum comitis de Bukyngham' et Alianoræ procreato, tunc dictæ mille libræ annuæ remaneant præfato comiti et hæredibus suis de corpore suo exeuntibus, percipiendæ singulis annis ad terminos prædictos, ad scaccarium nostrum prædictum, quousque nos, vel hæredes nostri, eidem comiti de terris, tenementis, vel redditibus ad valorem mille librarum per annum, infra regnum nostrum Angliæ, habendis et tenendis, eidem comiti et hæredibus suis de corpore suo exeuntibus, ut prædictum est, fecerimus provideri.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Julii.

Per breve de privato sigillo.

De consiliariis Regis constitutis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 16. in Turr. Lond.

LE Roy, a touz ceux qi cestes lettres verront, salutz. Come n'adgairs, de l'assent des prelatz, ducs, contes, barons, et autres, esteantz delez nous en nostre conseil tenuz a Westmonstier, lendemain de nostre coronement, eussiens ordenez que, per nous et eux, dousze persones, c'estassavoir, deux evesqes, deux contes, deux barons, deux baneretz, et quatre bachilers, serroient esleuz noz conseillers sur noz bosoignes touchantz l'estat, honour, et profit de nous roialmes, seignuries, et terres, en eide de noz chanceller et tresorer;

Et que meismes les conseillers, ensi a eslire, apres ce q'ils serroient esleuz, averoient noz lettres patentz a faire et excercer les dites choses;

Et que les ditz chanceller et tresorer mettroient duement en execucion les choses que par eux, et par les ditz esleuz, ou par la greindre partie d'iceux, serroient ordenees;

Seur quoi feurent esleuz, par nous et par les prelatz et seigneurs susditz,

Les honorables piers en Dieu,
William evesque de Londres, et
Rauf evesque de Saresbirs:
Noz cheres et foialx cosyns,
Esmon conte de la Marche, et
Richard conte d'Arundel:
Et noz cheres et foialx,
William sire Latymer, et / *Johan sire de Cobeham,* } *barons:*
Roger de Beauchamp, et / *Richard de Stafford,* } *baneretz:*
Et Johan Knyvet, / *Rauf de Ferreres,* / *Johan Devereux, et* / *Hugh de Segrave,* } *bachilers:*

Les queux feurent jurez, en nostre presence, noz conceillers a faire et excercer les dites choses, en la forme avantdite, tantcome nous plerroit;

Nous, veullantz la dite ordinance estre mys en effect, avons constituz et assignez les avantditz, ensi esleuz, noz conseillers a faire et excercer les dites choses, solonc la forme de l'ordinance desudsditez;

Et en especial, pur ce que, a cause de certeins grosses et chargeantz bosoignes touchantes la salvacion et necessaire defense de nostre roialme d'Engleterre, que demandent grande effusion de despenses, nous avons bosoigne en present de certeines sommes de deniers, nous constituons et assignons, par ses presentz, les ditz esleuz noz conseillers, et sys de eux, ensemblement ovesque les chanceller et tresorer avantditz, a faire, en nome de nous, chevances de queconqes sommes de deniers, a nostre oeps, par voie d'aprest, engagement, obligacion, et en autre manere, la meilloure q'ils purront ou verront meltz, et de queconqes persones que faire se purra:

Et si averons ferm et aggreable quanque ensi par les ditz esleuz, ensemblement ovesque les chanceller et tresorer avantditz, ou par la greindre partie d'iceux, serra fait en nostre noun, comme dessus, es choses susdites et en chescune d'icelles, et le volons estre fermement gardez.

En tesmoignance de quele chose nous avons fait faire cestes noz lettres patentes a durer a nostre volente.

Don' a nostre paleys de Westm', le xx. jour de Juyl.

Per bill. ipsius Regis de signeto.

Pro episcopo Dunolm' de morando super partibus propriis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 42. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri Thomæ, eadem gratiâ, episcopo Dunolm', salutem.

Quia de avisamento concilii nostri ordinavimus quod vos, cum totâ familiâ vestrâ super terris vestris marchiæ Scotiæ magis propinquis, super salvâ custodiâ marchiarum prædictarum, ac terrarum vestrarum ibidem, moram continuam facere, ad resistendum inimicis nostris, cum periculum ibidem imineat aliquale;

Vobis, in fide et dilectione quibus nobis tenemini, injungimus et mandamus, quod statim, visis præsentibus, omnibus aliis prætermissis, ad terras vestras marchiæ prædictæ magis propinquas, cum omni festinatione vos trahatis, ibidem et alibi in partibus illis, ubi majus periculum ex hostium incursibus imminerit, cum totâ familiâ vestrâ continuè moraturos; ita quod prompti sitis et parati ad proficiscendum manu forti, unà cum aliis magnatibus et fidelibus nostris, quos in dictis partibus super terris suis ex hac causâ morari mandavimus, contra inimicos nostros, si qui in regnum nostrum ibidem ingredi præsumpserunt, ad ipsorum maliciam et proterviam, cum Dei adjutorio, repellendum:

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum et vestrum, ac salvationem et defensionem dicti regni nostri diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro Jacobo le Botiller, comite d'Ormond, justiciario Hiberniæ constituto.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 19. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. Sciatis quod commissimus dilecto consanguineo et fideli nostro Jacobo le Botiller comiti d'Ormond, officium justiciariæ nostræ, et terram nostram Hiberniæ, cum castris et omnibus aliis pertinentiis suis, custodiend' quamdiu nobis placuerit;

Percipiendo per annum ad scaccarium nostrum Hiberniæ, quamdiu in officio illo sic steterit, quingentas libras, pro quibus officium illud et terram custodiet, et erit se vicesimus de hominibus ad arma, cum tot equis coopertis continuè, durante commissione supradictâ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxi. die Julii.

Per ipsum Regem et magnum concilium.

Et mandatum est archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis de terrâ Regis Hiberniæ quod eidem comiti, tanquam justiciario Regis terræ prædictæ, in omnibus quæ ad officium prædictum pertinent, intendentes sint et respondentes.

In cujus, &c.

Teste ut supra.

De clero arraiando.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 34. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri S., eadem gratia, archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, salutem.

Satis informati estis qualiter inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, facinora sua erga nos et ligeos nostros, licet indirectè, de die in diem circumquaque ostendentes, cum magnâ classe navium, cum maximâ multitudine armatorum et bellatorum, supra mare congregati, diversas villas super costeris regni nostri Angliæ invaserunt, et eas per arsuras et homicidia ligeorum nostrorum destruxerunt, et ultra hoc nos, et regnum nostrum prædictum, ac populum nostrum, per terram et per mare, destruere, et ecclesiam Anglicanam subvertere cum omnibus viribus se conantur:

Per quod, volentes salvationi dicti regni, et populorum nostrorum, ac ecclesiæ sanctæ, contra malitiam ipsorum inimicorum, operante ALTISSIMO, providere, per diversas commissiones assignavimus certos et fideles nostros, in singulis comitatibus regni nostri prædicti, ad arraiandum, et arraiari et armari faciendum, omnes homines defensabiles inter ætates sexaginta et sexdecim annorum existentes, videlicet, quemlibet eorum juxta statum et facultates suas;

Et eos arraiatos, armatos, et munitos, in arraiatione hujusmodi teneri faciendum, sic quod semper prompti sint et parati ad proficiscendum in defensionem regni nostri prædicti ubi ac quotiens et quando ex hostium incursibus periculum imineat, aut necesse fuerit aliquale;

Advertentes verò quod vos, et cæteri prælati, ac totus clerus dicti regni, unà cum aliis fidelibus nostris, ad resistendum dictis inimicis, pro salvatione sanctæ ecclesiæ et ejusdem regni, manus tenemini apponere adjutrices;

Vobis, in fide et dilectione quibus nobis tenemini, firmiter injungimus et mandamus quatinus, consideratis gravibus dampnis et periculis iminentibus per aggressus inimicorum nostrorum prædictorum, omnes abbates, priores, religiosos, et alias personas ecclesiasticas quascumque vestræ diœcesis, quacumque dilatione postpositâ, armari et arraiari, et armis competentibus, videlicet, quemlibet eorum inter ætates prædictas, juxta statum, possessiones, et facultates suas muniri, et eos in millenis, centenis, et vintenis poni faciatis, ita quod prompti sint et parati ad proficiscendum, ad mandatum vestrum, unà cum aliis fidelibus nostris, contra dictos inimicos nostros, infra dictum regnum nostrum, ad ipsos, cum DEI adjutorio, debellandum, expugnandum, et destruendum, et ad eorum malitiam et proterviam propulsandum et conterendum;

Et hoc, sicut nos, et honorem nostrum ac vestrum, et salvationem sanctæ ecclesiæ et regni nostri diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxv. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur Alexandro archiepiscopo Eborum Angliæ primati, et singulis episcopis in Anglia et Wallia, sub eadem data.

De conductu pro bargeâ et galeâ Hugonis de Calvylegh, capitaneo Calesii.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. ad quos, &c. salutem.

Supplicavit nobis dilectus et fidelis noster Hugo de Calvylegh chivaler, capitaneus villæ nostræ Calesii, ut cum ipse habeat intentionem mittendi quandam bargeam suam, unà cum quibusdam hominibus ad arma, armatis, sagittariis et marinariis, tam ad diversas partes et portus regni nostri Angliæ, ac aliorum dominiorum nostrorum, pro quibusdam negociis suis secretis, quam aliàs supra mare, ad inimicos nostros, DEI adjutorio, pro posse reprimendum et destruendum, velimus ei in hac parte salvum et securum conductum nostrum, ne eadem bargea, seu homines ejusdem, alicubi infra potestatem nostram per ligeos nostros arestentur seu impediantur, graciosè concedi jubere:

Nos, supplicationi prædictæ favorabiliter annuentes, suscepimus dictam bargeam, necnon homines, marinarios, et quoscumque alios in eadem bargeâ existentes, veniendo infra regnum et potestatem nostra prædicta, ibidem morando, et exindè, quotiens sibi placuerit, redeundo, in protectionem et defensionem nostras speciales:

Et ideò vobis mandamus quod eidem bargeæ, aut hominibus, marinariis, vel servientibus de eadem, veniendo infra regnum et potestatem prædicta, ibidem morando, et exindè, quotiens sibi placuerit, ut prædictum est, redeundo, in personis aut rebus suis non inferatis, seu, quantum in vobis est, ab aliis inferri permittatis, injuriam, molestiam, dampnum, arestum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen: et si quid eis forisfactum, vel indebitè attemptatum, seu aliàs injuriatum fuerit, id eis sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Julii.

Consimiles litteras habet idem Hugo de quadam galea et eodem modo ut supra. Teste ut supra.

Per idem tempus duratur'.

De intendendo Reso ap Griffith.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 18. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis militibus, armigeris, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, officiariis, et aliis fidelibus et subditis nostris, ac toti communitati nostræ in Suthwallia, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Resi ap Griffith chivaler confidentes, ordinavimus et assignavimus ipsum Resum ad costeras de Milford, et alias costeras patriæ de Suthwallia, contra invasiones et pericula inimicorum nostrorum, custodiendum et salvandum, et pro salvatione, securitate, et defensione costerarum illarum contra hujusmodi pericula, meliori modo quo poterit, ordinandum et disponendum, prout eidem Reso per nos plenius est injunctum:

Et ideò vobis, et cuilibet vestrûm, sub gravi forisfacturâ nostrâ, districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus quod eidem Reso, pro salvatione et defensione patriæ et costerarum prædictarum, quotiens per ipsum Resum vel ejus deputatos ex parte nostrâ præmuniti fueritis, intendatis, respondeatis, et obediatis, et ei, ac hominibus ad arma, armatis, et sagittariis, et gentibus suis secum commorantibus, victualia, eis necessaria, pro denariis suis rationabiliter indè solvendis, ministrari, et herbergagia pro prædictis hominibus ad arma, armatis, et sagittariis, et gentibus, prout meliùs eidem Reso, pro salvatione patriæ prædictæ, expedire videbitur, de tempore in tempus liberari faciatis; ita quod per vestri defectum seu inobedientiam, eidem patriæ dampnum vel periculum, quod absit, non eveniat aliquale.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Julii.

Per concilium.

Quod Johanna de Oketon admittatur in Sanctimonialem infra abbatiam de Wilton, de nominatione Regis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 36. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi in CHRISTO abbatissæ et conventui de Wilton, salutem.

Quia intelleximus quod, de jure et consuetudine coronæ nostræ Angliæ, ad nos pertinet ad præsens, post coronationem nostram, nominare unam idoneam personam recipiendam in sanctimonialem infra abbatiam vestram, quæ de fundatione progenitorum nostrorum et de nostro patronatu existit, dilectam nobis Johannam de Oketon vobis nominamus;

Mandantes quod ipsam Johannam infra abbatiam vestram prædictam ad hoc admittatis.

Teste Rege, apud Kenyngton, xxviii. die Julii.

Per breve de privato sigillo.

[*Et erat patens.*]

De mercandisis ad stapulam Calesii, et non alibi traducendis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 39. d in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis villæ de Faversham, ac custumariis nostris in portu ejusdem villæ, salutem.

Cum in parliamento domini Regis, nuper Regis Angliæ avi nostri, anno regni sui Angliæ quinquagesimo tento, inter cætera ordinatum existat, quod lanæ, coria, pelles lanutæ, panni de worsted, gaulæ, felpariæ, plumæ, casius, butirum et cepum ad stapulam Calesii, et non ad alias partes exteras traducantur, sub forisfacturâ eorumdem;

Vobis districtè prohibemus, ne aliquas hujusmodi mercandisas ad partes Flandriæ, seu ad aliquas alias partes exteras, præterquam ad dictam stapulam Calesii, quovismodo transire permittatis:

Et insuper in villâ prædictâ publicè facere proclamari, nè quis mercator, seu alius, aliquas hujusmodi mercandisas ad aliquas partes exteras, præterquam ad prædictam stapulam, sub forisfacturâ mercandisarum hujusmodi, traducere præsumat, contra formam ordinationis supradictæ:

Et hoc nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Julii.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem data; videlicet,

Majori et ballivis villæ Sandewici ac custumariis, &c.
Ballivis villæ de la Rye.
Ballivis villæ de Wynchelse.
Majori et ballivis villæ de Quenesburgh, &c.
Ballivis villæ de Sarre, &c.
Ballivis villæ Mergate, &c.
Ballivis villæ de Romeneye.
Majori et ballivis civitatis Cicestr', &c.
Ballivis villæ de Seford, &c.
Ballivis villæ de Shorham, &c.
Ballivis villæ de Pevenesey, &c.
Ballivis villæ de Tyllebury, &c.
Ballivis villæ de Fobbynge, &c.
Ballivis villæ de Coryngham, &c.
Ballivis villæ de Wolvebrigge inter Stowe et Hokelee, &c.
Ballivis villæ de Burnham, &c.
Ballivis villæ de Maldon, &c.
Ballivis villæ de Colcestr', &c.
Ballivis villæ de Saltcote, &c.
Ballivis villæ de Gippewico, &c.
Ballivis villæ de Gosford, &c.
Ballivis villæ de Donewich, &c.
Collectoribus custumarum in portu London, exceptâ illâ clausâ de proclamatione.

Pro Willielmo de Wykeham, episcopo Wyntoniensi, de pardonatione.

A. D. 1377. An. 1 Ric II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 24. in Turr. Lond.

REX, omnibus ballivis et fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum, tempore domini Edwardi nuper Regis Angliæ et Franciæ, avi nostri, videlicet, termino Michaelis, anno regni sui Angliæ quinquagesimo, venerabili in CHRISTO patri Willielmo episcopo Wyntoniensi, ex informatione quorumdam, præfato avo nostro factâ, impositi fuissent articuli subsequentes; videlicet,

Inprimis, quod, pace inter ipsum avum nostrum et adversarium suum Franciæ initâ, prædictus episcopus habuit dispositionem et administrationem de omnibus reventionibus ipsius avi nostri, tam citra mare quam ultra mare, unà cum omnibus subsidiis Angliæ magnis et parvis, et argento recepto pro redemptione Regis Franciæ, pro redemptione patriæ Burgundiæ, et Regis Scotiæ;

Quæ receptiones se extendunt, per octo annos, per totum tempus per quod Simon nuper archiepiscopus Cantuariensis, et postmodùm cardinalis, et Johannes Barnet episcopus Eliensis, fuerunt thesaurarii Angliæ, videlicet, à vicesimo sexto die Novembris, anno regni dicti avi nostri tricesimo quinto, usque ad annum regni ejusdem avi nostri quadragesimum tertium, ad summam undecies centum milium novem milium et sexcentarum librarum:

Et centum milium francorum de Galiacio domino de Mediolano, et de omnimodis bonis ipsius avi nostri, quæ pro majori parte ad proficuum ejusdem avi nostri vel regni sui nullatenus devenerunt;

Et, cum pax prædicta per decem annos durâsset, et secunda guerra incepisset, modicum in thesaurariâ ipsius avi inventum fuit, set idem avus noster extitit in grandi paupertate, ad grave dampnum dicti avi nostri et regni, ac oppressionem populi, per quod ipsum avum nostrum oportebat communitatem regni et cleri, per viam subsidii et apprestorum, onerare, et totum accidit de malo regimine ipsius episcopi.

Item, quod dictus episcopus, contra DEUM, et rationem, et leges regni, fecit rauncionare et recipere argentum de Matheo de Gourney, Thoma Fog, Johanne Seyntlowe, Degorio Sees, Roberto de Eues, et quampluribus aliis, qui in guerris ipsius avi nostri contra inimicos suos strenuè laborârunt; quæ quidem mesprisio extitit ad tam grave dampnum ipsius avi nostri et regni, quod veraciter non possit æstimari, pro eo quod omnes soldarii, auditâ mesprisione illâ, se posuerunt in comitivas, et fecerunt guerram in regno Franciæ; ex quâ causâ guerra incepit, et alia mala acciderunt.

Item, quod prædictus episcopus, existens clericus privati sigilli, et capitalis secreti concilii, ac gubernator magni concilii, fecit relaxare et deliberare obsides regales Franciæ et, inter alios, duces Aureliani, Bituriæ, Andegaviæ, et Burboniæ, et quamplures alios, pro suo proficuo proprio; non obstante quod, carissimus dominus et pater noster, dominus Edwardus, nuper princeps Aquitaniæ et Walliæ defunctus, sæpius scripserât dicto avo nostro, et eidem episcopo, ad detinendum sapienter et securè obsides prædictos, ad finem quod pax non rumperetur; quia, si detenti fuissent, nusquam guerra extitisset.

Item, quod ubi per officiarios Pontivi, per tempus sufficiens perantea, certificatum fuit pro dando succursu, ad finem quod patria non amitteretur, idem episcopus nuncios per verba duxit, et tam negligenter se habuit quod non curavit ordinare remedium; ita quod, in sui defectum, patria illa amittebatur.

Item, quod, dicto anno quadragesimo tertio, Johannes filius Johannis Boulewas fecit finem cum ipso avo nostro, per centum libras, pro pardonatione transgressionis factæ de terris adquisitis sine licentiâ, et prædictus episcopus fecit diminuere viginti libras, prout patet per unum memorandum super irrotulamento ejusdem.

Item, quod ubi una commissio exivit comiti de Anegos et aliis, ad inquirendum de quibus terris et tenementis Johannes de Driby obiit seisitus, et de quo tenebantur, cum aliis circumstantiis, prout pertinuit: coram quo comite compertum fuit per inquisitionem quod prædictus Johannes de Dryby obiit seisitus de castro de Tateshale, manerio de Tomby, et aliis terris: et quod Johannes de Kirketon se intrusit post mortem prædicti Johannis de Dryby, et occupavit castrum et terras prædicta per tantum tempus, quod exitus et alia proficua, indè provenientia, se extendebant ad plus quam octo milia marcarum, unde eidem avo nostro responderi debuisset, pro eo quod dictum castrum de ipso tenebatur in capite, prout per inquisitionem prædictam extitit compertum; prædictus episcopus, tunc clericus privati sigilli, fecit ipsum avum nostrum remittere omnia exitus et proficua prædicta pro suo singulari commodo, absque aliquo capiendo vel habendo indè à prædicto Johanne de Kirketon ad opus dicti avi nostri.

Item, quod tempore quo Johannes de Barnet episcopus Eliensis extitit thesaurarius Angliæ, prædictus episcopus Wyntoniensis, auctoritate suâ propriâ, et absque waranto, fecit sumere extra thesaurariam ipsius avi nostri summam decem milium marcarum, pro talliis ipsius avi nostri emendis ut asseruit: quæ quidem summa in manu suâ remansit per duos annos et amplius, et postmodùm restituit, pro summâ prædictâ, in thesaurariâ prædictâ, tallias se extendentes ad summam duodecim milium et quingentarum marcarum vel circa; ita quod non respondit ad avantagium ipsius avi nostri nisi de duabus milibus et quingentis marcis, ubi emit quaslibet centum libras pro viginti et quinque libris; ita quod incrementum et proficuum ipsius avi nostri esse debuisset circa viginti et septem milia marcarum.

Præfatusque episcopus Wintoniensis super articulis prædictis multipliciter fuisset impetitus;

Nos, considerantes dampna gravia et incommoda quæ, occasione impetitionum prædictarum, tam dictus episcopus Wyntoniensis, quam ecclesia sua Wyntoniæ, quæ de fundatione progenitorum nostrorum, quondam Regum Angliæ, et nostro patronatu existit, à diu sustinuerunt;

Necnon revolventes oculos mentis nostræ ad grata, utilia, et laudabilia obsequia, dicto avo nostro, per præfatum episcopum Wyntoniensem, graves et sumptuosos labores subeundo, retroactis temporibus multipliciter impensa, ac magnum locum quem præfato domino et patri nostro in suis agendis diversimodè tenuit, et ad specialem affectionem et sinceram dilectionem quas idem pater noster erga præfatum episcopum gessit et habuit dùm ageret in humanis;

Volentesque ob reverentiam Dei Omnipotentis, qu' nos ad regni nostri gubernacula, suâ divinâ miseratione, jam noviter evocavit, necnon ad honorem sanctæ matris ecclesiæ, beatissimæque Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Sancti Swythini confessoris, dictæ ecclesiæ Wyntoniæ patronorum, omniumque simul sanctorum, pro securitate ipsius episcopi Wyntoniensis statûsque sui et ecclesiæ suæ prædictæ; nè ipsi, ex causis præmissis, seu aliis quæ secuntur, aut aliquâ eorumdem, futuris temporibus, aliqualiter impetantur, occasionentur, seu in aliquo molestentur, seu impetiri, occasionari, vel molestari valeant; in quantum possumus providere;

De gratiâ nostrâ speciali, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de avisamento et assensu carissimi avunculi nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, necnon prælatorum, comitum, baronum, et magnatum, ac aliorum sapientum de concilio nostro, nobis assistentium;

Remisimus et pardonavimus omninò, pro nobis et hæredibus nostris, præfato episcopo Wyntoniensi omnes et singulos articulos supradictos, et omnia et singula in eisdem contenta, necnon omnes circumstantias eorumdem, et quicquid ad dictum avum nostrum pertinuit, seu ad nos pertinet, vel quovis modo pertinere poterit, de omnibus et singulis articulis supradictis, universisque in eisdem contentis, et eorum circumstantiis quibuscumque; et de eisdem omnibus et singulis ipsum episcopum Wyntoniensem, successores, hæredes, et executores suos, ac terrarum suarum tenentes, totaliter exoneramus, acquietamus, et penitùs absolvimus, pro nobis et hæredibus nostris imperpetuum;

Remisimus etiam et pardonavimus, pro nobis et hæredibus nostris, ex certâ scientiâ nostrâ, de avisamento et assensu prædictis, dicto episcopo Wyntoniensi sectam pacis nostræ, et quicquid ad nos quovis modo pertinet, aut pertinere poterit, pro omnimodis proditionibus, seditionibus, adhærentiis factis inimicis dicti avi nostri vel nostris; receptamentis proditorum, felonum, et inimicorum dicti avi nostri seu nostrorum; assensu, concilio, et quocumque favore, inimicis ipsius avi seu nostris præstitis sive factis; regali potestate seu jurisdictione sibi assumptâ auctoritate propriâ, colore officiorum suorum, et alio modo quocumque, infra regnum nostrum Angliæ et extra: et pro omnimodis inobedientiis, amissionibus, seu perditionibus civitatum, villarum, castrorum, et fortalitiorum: et pro obsidibus et prisonariis, tam regalibus quam aliis, de Francia, et aliis obsidibus et prisonariis quibuscumque qualitercumque deliberatis, seu pro evasione eorumdem; treugis solutis; conductibus diruptis, et non observatis ob defectum et negligentiam, sive per assensum ipsius episcopi Wyntoniensis, ac pro venditionibus aut deliberationibus castrorum, civitatum, burgorum, villarum, maneriorum, hamelettorum, terrarum, tenementorum, reddituum, et servitiorum, obsidum, prisonariorum, tam in Anglia, quam in Francia, Britannia, Vasconia, et alibi, tam citra mare quam ultra mare, tam inimicis nostris quam aliis; et pro omnimodis calumpniis, seu impetitionibus, vel suspicionibus sigilli, dicti avi nostri aut nostri, controfacti, confracti, vel quocumque alio modo violati seu despecti; et pro omnimodis homicidiis, feloniis, incendiis, roberiis, latrociniis, transgressionibus, tam de forestâ quam alio modo, malefactis; jurium et proficuorum nostrorum concelamentis; falsis et malis consiliis et ordinationibus; forstallariis, confœderationibus, conspirationibus, cambipertiis, ambidextriis, alligantiis, falsarum querelarum manutenentiis, falsitatibus, injuriis, oppressionibus, usuris, extorsionibus, collusionibus, falsis imprisonamentis et injustis incarcerationibus hominum quorumcumque, deceptionibus, conventiculis, excessibus, dampnis et gravaminibus, et quibuscumque dictis, factis, vel rebus illicitis seu inhonestis, præfato avo nostro, nobis, vel alicui de regno nostro qualitercumque actis, perpetratis, seu illatis: et pro evasionibus et eschapiis latronum, felonum, et clericorum convictorum: ignorantiis quibuscumque, negligentiis, et mesprisionibus, tam in præcepto facto aliis ministris ipsius avi nostri, quam per seipsum episcopum; ac omnimodis aliis articulis, contra dictum avum nostrum, sive contra nos, coronam, dignitatem, regiam magestatem dicti avi nostri seu nostram, seu læsionem regiæ magestatis, communem legem terræ, statuta, ordinationes, proclamationes, et inhibitiones, ante hæc tempora edita vel facta, quæ per ipsum episcopum Wyntoniensem, quocumque modo, dicuntur vel dici poterunt ante hæc tempora perpetrari, et pro omnimodis inobedientiis, offensis, et transgressionibus, cuicumque locum dicti avi nostri seu nostri tenentium, officiariorum, seu ministrorum ejusdem avi nostri seu nostrorum, illatis vel factis, ut in gubernatione, ductione, diminutione, ordinatione, missione hominum ad arma, sagittariorum, marinariorum, et aliorum in guerris ipsius avi nostri, tam in Hibernia, Francia, Normannia, Britannia, Vasconia, et Scotia, quam alibi, seu perditione, occisione, aut alio infortunio, seu malo eventu, per defectum, consilium, vel negligentiam ipsius episcopi Wyntoniensis, aut alio modo quocumque ipsum contingentibus, et pro malo regimine et gubernatione statûs dicti avi nostri et regni sui, seu negotiorum et rerum ejusdem avi nostri ex consilio ipsius episcopi Wyntoniensis ordinatione suâ vel negligentiâ, ubicumque fuerit in Anglia vel extra, et pro omnimodis captionibus vel amissionibus navium, bargearum, batellorum, et aliorum vasorum hujusmodi supra mare, in portubus maris vel alibi, tam in Anglia quam extra: et pro omnimodis bonis et catallis captis in eisdem vasis, morte hominis, captione prisonariorum, redemptionibus, tam tempore guerræ, quam in tempore treugarum vel pacis, aut aliâ hujusmodi causâ quacumque: ac etiam omnimodas utlagarias, si quæ in ipsum occasionibus prædictis fuerint promulgatæ, et quamquam idem episcopus Wyntoniensis extra protectionem ipsius avi nostri seu nostram aliquo modo positus fuerit, et firmam pacem nostram ei indè concedimus, et ipsum ad communem legem restituimus;

Pardonavimus insuper et remisimus, pro nobis et hæredibus nostris, et ex certâ scientiâ nostrâ, de dictis avisamento et assensu dicti avunculi nostri et aliorum, præfato episcopo Wyntoniensi omnimodas receptiones quorumcumque munerum seu donorum, de quibuscumque personis ex quacumque causâ receptorum, dum in aliquo officio ipsius avi nostri seu de concilio ipsius fuerat: et quascumque revelationes cujuscumque consilii dicti avi nostri et regni sui: necnon quascumque licentias et concessiones, per ipsum episcopum factas, de auro et argento, in platâ massâ vel monetâ, vasis aureis vel argenteis, armaturis, artellariis, bladis, vino, lanis, coriis, pellibus lanutis, plumbo, stanno, mercimoniis, victualibus, equis, et aliis rebus quibuscumque, extra regnum nostrum Angliæ educendis, vel de villâ Calesii alibi ducendis, contra statuta, ordinationes, inhibitiones, defensiones, et proclamationes in contrarium facta vel edita, et etiam inhibitiones et defensiones, per ipsum factas, de hujusmodi mercimoniis, victualibus, et rebus à dicto regno nostro Angliæ traducendis, contra statuta, ordinationes, inhibitiones, defensiones, et proclamationes hujusmodi:

Insuper pardonavimus et remisimus omninò, pro nobis et hæredibus nostris, et ex certâ scientiâ nostrâ, de dictis avisamento et assensu dicti avunculi nostri et aliorum, eidem episcopo Wyntoniensi omnimoda debita, compota, præstita, et summas denariorum, dicto avo nostro vel nobis, ex quacumque causâ vel occasione, seu quocumque colore, debitorum, ac quæcumque solutiones, liberationes, ordinationes, assignationes, et præcepta per ipsum episcopum de denariis, jocalibus, pannis, et aliis rebus, in camerâ ipsius avi nostri, vel alias de thesauro suo, in receptâ scaccarii sui, personæ cuicumque facta: necnon omnimoda debita et compota jocalium et pannorum per ipsum episcopum Wyntoniensem receptorum, vel de thesaurariâ ipsius avi nostri vel nostra sumptorum: et de reventionibus, exitibus, redemptionibus prisonariorum, civitatum, castrorum, burgorum, villarum, maneriorum, hamelettorum, terrarum, tenementorum, reddituum, et servitiorum quorumcumque, sive fuerit infra regnum nostrum Angliæ sive extra, quocumque nomine, causâ, vel colore censeantur: et omnimodas actiones, impetitiones, et demandas conventionum, dispositionis, injunxtionis, et administrationis thesauri, bonorum, et catallorum, ac aliarum rerum seu negotiorum ipsius avi nostri quorumcumque: necnon receptas custumarum, subsidiorum, solutionum, auri et argenti, per obligationem, indenturam, promissum, loquelam, receptum, vel aliter receptorum: exitus, proventus, emolumenta, et omnimoda proficua, dicto avo nostro vel nobis, ex quibuscumque causis, qualitercumque pertinentia: et omnimoda amerciamenta, fines, exitus forisfactos, catalla forisfacta, et omnimoda alia debita, compota, præstita, et onera hujusmodi, undè prædictus episcopus Wyntoniensis ad præsens oneratus est, vel est onerandus, aut poterit onerari vel impetiri per nos vel hæredes nostros, aut justiciarios, barones de scaccario, seu alios quoscumque ministros nostros, in quacumque curia nostra, vel hæredum nostrorum, pro tempore jam transacto.

Pardonavimus etiam et remisimus, pro nobis et hæredibus nostris, ex certâ scientiâ nostrâ, de dictis avisamento et assensu dicti avunculi nostri et aliorum, eidem episcopo Wyntoniensi omnimodas donationes, alienationes, et adquisitiones per ipsum factas, dùm tamen non ad manum mortuam, de terris et tenementis quæ de ipso avo nostro, seu aliis progenitoribus nostris, tenebantur, sine licentiâ regiâ: et omnimoda relevia et scutagia quæ ante hæc tempora evenerunt in regno nostro Angliæ: et omnimodas actiones, querelas, et demandas, reales, personales, et mixtas, quas dictus avus noster habuit vel habere potuit per se tantum, vel aliàs conjunctim cum aliis personis, vel quas nos habemus, vel habere poterimus, erga præfatum episcopum Wyntoniensem, occasione aliquorum præmissorum, seu aliorum quorumcumque, de tempore præterito, seu ratione passagii lanarum, coriorum, pellium lanutarum, vel aliarum mercandisarum ad partes exteras, contra statuta, inhibitiones, et ordinationes indè facta, tam coopertura et

nomine mercatorum, vel colore literarum patentium concessarum apud Durdraght, vel alibi in partibus transmarinis, quam alio modo quocumque, seu occasionibus aliis, tam de tempore Walteri de Chiriton et sociorum suorum, nuper firmariorum subsidiorum et custumarum ipsius avi nostri, quam alio tempore, necnon occasione aliquarum impositionum super lanas, coria, pelles lanutas, seu aliqua alia mercimonia quæcumque, contra statuta, ordinationes, inhibitiones, et proclamationes quascumque, factarum, undè prædictus episcopus Wyntoniensis impetitus est, seu aliqualiter poterit impetiri:

Quæ quidem omnia et singula prædicta, et omnia alia quæcumque quæ per ipsum episcopum Wyntoniensem malè, negligenter, vel incommodè facta, transgressa, acta, perpetrata, vel quoquomodo mesprisiata, dicta, vel conjecturata fuerunt, tam de omni tempore quo fuerat in quibuscumque officiis, gradibus, vel statibus cum prædicto avo nostro, quam alio tempore quocumque, tam colore officiorum, graduum, vel statuum illorum, quam aliter quovismodo, et quicquid ad dictum avum nostrum pertinuit, seu ad nos pertinet, aut pertinere poterit, pro eisdem quibuscumque ratione, causâ, vel colore, præfato episcopo Wyntoniensi remisimus, relaxavimus, et, pro nobis et hæredibus nostris, imperpetuum, totaliter, et integrè, ex certâ scientiâ nostrâ, pardonavimus de dictis avisamento et assensu dicti avunculi nostri et aliorum:

Nolentes quod prædictus episcopus Wyntoniensis, successores, hæredes, vel executores sui, aut terrarum suarum tenentes, de cætero, futuris temporibus, occasione hujusmodi debitorum, compotorum, præstitorum, finium, amerciamentorum, exituum, seu catallorum forisfactorum, receptarum, conventionum, dispositionis, injunxtionis, administrationis, liberationum, ordinationum, assignationum, præceptorum, conciliorum, aut inobedientiarum quorumcumque, vel pro aliquibus occasionibus seu articulis supradictis, aut aliquo eorumdem, seu aliquâ aliâ occasione quacumque, pro tempore præterito, per recordum, vel aliquam accusationem, informationem, præsentationem, indictamentum, seu aliam probationem aut impositionem, vel per aliquem alium articulum vel causam, unde impetiri, occasionari poterit seu molestari, coram quibuscumque justiciariis itinerantibus, vel per alium modum quemcumque coram nobis vel hæredibus nostris, in parliamentis nostris vel hæredum nostrorum, vel alibi coram cancellario, thesaurario, justiciariis de uno banco vel alio, baronibus de scaccario, justiciariis assignandis, senescallo et marescallo hospitii nostri vel hæredum nostrorum, in præsentiâ nostrâ vel hæredum nostrorum, aut in absentiâ nostrâ, seu coram concilio nostro vel hæredum nostrorum, seu alibi coram alio judice vel ministro nostro vel hæredum nostrorum quocumque, impetantur, occasionentur, inquietentur, molestentur in aliquo seu graventur;

Set volentes et concedentes, pro nobis et hæredibus nostris, quod prædictus episcopus Wyntoniensis, successores, hæredes et executores sui, aut terrarum suarum tenentes, de præmissis omnibus et singulis penitùs sint quieti, absoluti, et exonerati imperpetuum:

Exceptione, factâ in ultimo parliamento ipsius avi nostri, de eo videlicet, quod præfatus episcopus Wyntoniensis, in gratiâ et pardonatione per ipsum avum nostrum populo regni sui Angliæ in eodem parliamento factâ et concessâ, non contineretur nec deberet contineri, aut aliquo statuto seu ordinatione, in contrarium præmissorum aut alicujus eorundem factâ, non obstante quoquo modo.

Volumus etenim et concedimus, pro nobis et hæredibus nostris, et ex certâ scientiâ nostrâ, de dictis avisamento et assensu dicti avunculi nostri et aliorum, quod idem episcopus Wyntoniensis omni gratiâ, pardonatione, privilegio, quietantiâ, et libertate, per ipsum avum nostrum populo dicti regni sui Angliæ in eodem parliamento, ut præmittitur, factis et concessis, integrè, liberè, et plenariè gaudeat et utatur; dùm tamen præfatus episcopus Wyntoniensis stet recto in curiâ nostrâ, si aliqui alii versum eum loqui voluerint de præmissis.

Volentes omnium, tenore præsentium, notitiæ universaliter deduci quod, quamquam præfato episcopo Wyntoniensi dictas gratias, pardonationes, remissiones, relaxationes, restitutionem, et concessiones, in forma prædicta, fecerimus;

Quas pro perpetuo volumus, et concedimus pro nobis et hæredibus nostris, fore pro prædicto episcopo Wyntoniensi, et ecclesiâ suâ prædictâ, successoribusque, hæredibus, et executoribus ipsius episcopi, ac terrarum suarum tenentibus, validas, stabiles, atque firmas, omnemque virtutem ac roboris firmitatem, absque nostri vel hæredum nostrorum contradictione seu impedimento quibuscumque, quocumque modo seu colore indè faciendo, temporibus perpetuis optinere;

Ad quamcumque interpretationem seu intellectum quemcumque dictæ gratiæ nostræ, pardonationes, remissiones, relaxationes, restitutio, et concessiones reduci possent seu poterunt in eventu, eundem tamen episcopum de nullis, per nos sibi, ut præmittitur, pardonatis, remissis, vel relaxatis, reputamus coram Deo aliqualiter culpabilem, set ipsum de hiis omnibus et singulis innocentem tenemus penitùs et immunem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxxi. die Julii.

Per breve de privato sigillo.

Pro eodem episcopo Wyntoniensi.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 23. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod cum tempore domini Edwardi nuper Regis Angliæ et Franciæ, avi nostri, videlicet, termino Michaelis, anno regni sui quinquagesimo, ad informationem quorumdam, præfato avo nostro factam, impositum fuisset venerabili in Christo patri episcopo Wyntoniensi quod idem episcopus, dùm extitit cancellarius ipsius avi nostri, fines, irrotulatos auctoritate suâ, sæpiùs fecit minuere, et rotulos radere;

Et in speciali, Johannis Grey de Rotherfeld, qui fecit finem cum ipso avo nostro, anno regni sui quadragesimo primo, per quaterviginti libras, pro licentiâ habendâ ad faciendum feoffamentum de certis terris et tenementis, quæ quidem quaterviginti libræ solvebantur in hanaperio;

Et prædictus episcopus, prætextu cujusdam barganiæ factæ inter ipsum et præfatum Johannem, fecit cancellare primam cartam, faciendo unam aliam cartam ejusdem tenoris et ejusdem datæ, per finem quadraginta librarum, et fecit clericum hanaperii resolvere alias quadraginta libras prædicto Johanni Grey in deceptionem ipsius avi nostri;

Undè idem episcopus, coram certis magnatibus regni nostri Angliæ, et aliis de magno concilio dicti avi nostri, per ipsum ad hoc assignatis, multipliciter extitit impetitus, et per processum indè habitum coram eisdem magnatibus et aliis, sic assignatis per dictum avum nostrum, loco sui judicialiter sedentibus, consideratum fuit quod omnia temporalia episcopatûs Wyntoniæ caperentur in manum ipsius avi nostri:

Cujus considerationis prætextu temporalia prædicta capta fuerunt in manum ipsius avi nostri, et in manu suâ remanserunt, quousque idem episcopus postmodùm assumpsit facere certa onera, in auxilium statûs et defensionis regni nostri, in exonerationem ipsius avi nostri, videlicet, invenire in viagio supra mare tres naves, videlicet, in qualibet navi quinquaginta homines ad arma et quinquaginta sagittarios, per unum quarterium anni, ad talia vadia et rewarda qualia idem avus noster solveret, set quod idem avus noster solveret vadia marinariorum;

Et in casu quo viagium non teneret, tunc concessit satisfacere eidem avo nostro de summâ ad quam vadia et rewarda hominum ad arma et sagittariorum prædictorum, per rationabilem computationem, se extenderent, per præmunitionem, quando eidem avo nostro placeret;

Pro quibus oneribus, per ipsum episcopum benè et fideliter perficiendis et inveniendis, Edmundus de Mortuo Mari comes Marchiæ, Richardus comes Arundellæ, et Thomas de Bello Campo comes Warwicæ, præsentes in dicto concilio, manuceperunt;

Per quod temporalia prædicta, cum pertinentiis, unà cum feodis militum, advocationibus ecclesiarum et omnibus aliis ad temporalia illa quovis modo spectantibus sive pertinentibus, præfato episcopo restituta fuerunt:

Nos considerantes dampna gravia et incommoda quæ occasione prædictâ, et aliis occasionibus diversis, tam dictus episcopus Wyntoniensis, quam ecclesia sua Wyntoniæ, quæ de fundatione progenitorum nostrorum, quondam Regum Angliæ, et nostro patronatu existit, a diu sustinuerunt;

Necnon revolventes oculos mentis nostræ ad grata, utilia, et laudabilia obsequia dicto avo nostro per præfatum episcopum Wyntoniensem, graves et sumptuosos labores subeundo, retroactis temporibus multipliciter impensa, ac magnum locum quem idem episcopus carissimo domino et patri nostro in suis agendis diversimodè tenuit, et ad specialem affectionem et sinceram dilectionem quam idem dominus et pater noster erga præfatum episcopum gessit et habuit dùm ageret in humanis;

Volentes proindè, et ob reverentiam Dei Omnipotentis, qui nos ad regni nostri gubernacula suâ divinâ miseratione jam noviter evocavit, necnon ad honorem sanctæ matris ecclesiæ, beatissimæque Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Sancti Swythini confessoris, dictæ ecclesiæ Wyntoniæ patronorum, omniumque simul sanctorum, pro securitate, tranquillitate, et quiete ipsius episcopi Wyntoniensis, statûsque sui, et ecclesiæ suæ prædictæ; ne ipsi, ex causis præmissis, aut aliquâ earumdem, futuris temporibus aliqualiter impetantur, occasionentur, seu in aliquo molestentur, seu impetiri, occasionari, vel molestari valeant, in quantum possumus, providere;

De gratiâ nostrâ speciali et ex certâ scientiâ nostrâ, et avisamento et assensu carissimi avunculi nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, necnon prælatorum, comitum, et baronum, magnatum, ac aliorum sapientum de concilio nostro, nobis assistentium;

Remisimus, relaxavimus, et omninò pardonavimus, pro nobis et hæredibus nostris, præfato episcopo Wyntoniensi, prædictam assumptionem, et omnia onera prædicta, inventionem dictorum hominum ad arma et sagittariorum, et summam ad quam onera prædicta seu vadia et rewarda dictorum hominum ad arma et sagittariorum se extendere possent vel deberent, et quicquid ratione assumptionis onerum prædictorum, inventionis dictorum hominum ad arma et sagittariorum, aut dictæ summæ, vel vadiorum et rewardorum eorumdem, ad dictum avum nostrum pertinuit, seu ad nos pertinet, vel pertinere poterit quovis modo;

Et de eisdem, ac eorum quolibet, tam ipsum episcopum, ecclesiam suam Wyntoniæ, successores, hæredes, et executores ejusdem episcopi, necnon terrarum suarum tenentes, quam præfatos comites, manucaptores suos, eorum hæredes et executores, ac terrarum suarum tenentes, totaliter, pro nobis et hæredibus nostris, exoneramus, acquietamus, et penitùs absolvimus, ex nostrâ certâ scientiâ, de avisamento et assensu prædictis, imperpetuum.

Remisimus etiam et pardonavimus, pro nobis et hæredibus nostris, ex nostrâ certâ scientiâ, de eisdem avisamento et assensu, præfato episcopo omnia prædicta impetitiones et imposita superiùs recitata, et omnia et singula in eisdem contenta, necnon omnes et quascumque circumstantias earumdem, ac quæcumque super ipsis dependentia, et quicquid ex eis vel eorum aliquo sequi, agi, fieri, evenire, vel dependere poterit quovis modo;

Et de eisdem omnibus et singulis, ipsum episcopum Wyntoniensem, ecclesiam suam Wyntoniæ, successores, hæredes, et executores ipsius episcopi, ac terrarum suarum tenentes, totaliter, pro nobis et hæredibus

nostris, exoneramus, acquietamus, et penitùs absolvimus, ex nostra certa scientia, de avisamento et assensu prædictis, imperpetuum.

Præterea, cum prædictus avus noster temporalia supradicta nobis aliâs concessisset, habenda quamdiu ea in manu suâ occasione prædictâ contingeret remanere;

Et tempore restitutionis eorumdem, eidem episcopo, ut prædictum est, factæ, quædam exitus, proventus, et proficua, et diversa arreragia eorumdem, et etiam reddituum, et firmarum, et aliarum rerum, de temporalibus prædictis nobis debebantur;

Volentes cum eodem episcopo agere gratiosè in hac parte;

Dedimus et concessimus eidem episcopo, ex nostrâ certâ scientiâ, de avisamento et assensu prædictis, omnia et singula exitus, proventus, et proficua, ac arreragia eorumdem, et etiam reddituum, et firmarum, et aliarum rerum quarumcumque, quæ nobis de temporalibus prædictis, tempore restitutionis prædictæ, debebantur, ut præmittitur, seu de quibus tempore ipso nobis non fuerat satisfactum;

Nolentes quod prædictus episcopus, ecclesia sua Wyntoniæ, successores, hæredes, executores ejusdem episcopi, aut terrarum suarum tenentes, vel prædicti comites, manucaptores sui, vel eorum hæredes aut executores, seu terrarum suarum tenentes, occasione præmissorum, vel alicujus eorumdem, per nos vel hæredes nostros, justiciarios, barones de scaccario, escaetores, vicecomites, aut alios ballivos seu ministros nostros aut hæredum nostrorum quoscumque, inde occasionentur, impetantur, molestentur in aliquo, seu graventur. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxxi. die Julii.

Per breve de privato sigillo.

De vasis, ornamentis et aliis utensilibus, quæ fuerunt domini Edwardi nuper Regis Angliæ, ad deserviendum in hospitio ipsius Regis nunc deliberandis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 28. in Turr. Lond.

REX, dilecto clerico suo Willielmo de Sleford, decano liberæ capellæ nostræ Sancti Stephani infra palatium nostrum Westmonasteriense, salutem.

Mandamus vobis quod tot et talia vestimenta, libros, et alia ornamenta capellæ, de illis vestimentis, libris, et ornamentis quæ fuerunt domini E. nuper Regis Angliæ avi nostri, et in custodiâ vestrâ existunt, quot et quæ pro capellâ nostrâ, per avisamentum et informationem dilecti clerici nostri Thomæ Lynton, decani capellæ nostræ prædictæ, necessariæ fuerint eidem decano, per indenturam indè inter vos conficiendam, quantitatem, et numerum, et particula vestimentorum, librorum, et ornamentorum per vos sic liberandorum continentem, sine dilatione deliberetis, ad deserviendum in capellâ nostrâ prædicta, quousque de administratione bonorum, quæ fuerunt prædicti avi nostri, per nos et concilium nostrum legitimè fuerit ordinatum.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Augusti.

Per ipsum Regem et concilium.

REX eidem, salutem. Mandamus vobis quod certa vasa argentea, quæ fuerunt domini Edwardi nuper Regis Angliæ avi nostri, videlicet, quatuor ciphos argenteos cum coopertoriis deauratis, viginti et duas pecias argenteas albas, octo chargeours argenteas albas, quatuor duodenas dictorum argenteorum alborum, duo paria pelvium argenteorum deauratorum, octo pelves argenteos albos et in parcellis deauratos, et septem lavatoria argentea alba, quæ in custodiâ vestrâ existunt, dilecto clerico nostro Willielmo de Pakynton, custodi magnæ garderobæ nostræ, in presentiâ dilectorum et fidelium nostrorum Ricardi Lescrop, senescalli hospitii nostri, et Guidonis de Brien, camerarii nostri, vel eorum alterius, per indenturam indè inter vos conficiendam, quantitatem et numerum ac pondus vasorum per vos sic liberandorum, sine dilatione deliberetis, ad deserviendum cum vasis prædictis in hospitio nostro, quousque de administratione bonorum, quæ fuerunt prædicti avi nostri, legitimè fuerit ordinatum. Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

REX, dilectis et fidelibus suis Johanni de Ipre, nuper senescallo, Ricardo de Beverle, nuper custodi magnæ garderobæ, et Willielmo Strete, nuper contrarotulatori hospicii domini Edwardi nuper Regis Angliæ avi nostri, et eorum cuilibet, salutem.

Mandamus vobis, quod illa vasa et utensilia argentea, quæ nuper fuerunt prædicti avi nostri, et quæ in hospicio dicti avi nostri utebantur, videlicet, quinquaginta et quatuor candelabra, viginti et quinque salsaria, et triginta et quinque coclearia argentea, pro officio panetriæ, triginta et octo ollas argenteas quarum duodecim deaurantur, et quadraginta ciphos argenteos pro officio botellariæ, et sex discos et sex salsaria argentea pro mantica, unam ollam et unam chargeour, pro officio elemosinariæ, octo platas quarum quatuor deaurantur, quadraginta et quatuor discos de argento pro officio speciariæ, centum quatuor viginti et quatuordecim discos, viginti et duas chargeours, duos cacabos, unum ladil, et duos broches de argento pro officio squillarii, triginta et septem salsaria argentea pro officio salsarii, septem pelves de argento, quorum duo deaurantur, et quinque lavatoria de argento pro officio aquariæ;

Quæ quidem vasa et utensilia in palatio nostro Westm', per vos posita sunt in custodiâ; dilecto clerico nostro Willielmo de Pakynton, custodi magnæ garderobæ nostræ, in præsentiâ dilectorum et fidelium nostrorum Ricardi Lescrop, senescalli hospicii nostri, et Guidonis de Brien, camerarii nostri, vel eorum alterius, per indenturam indè inter vos vel aliquem vestrum et prædictum Willielmum conficiendam; quantitatem et numerum ac pretium vasorum prædictorum per vos sic liberandorum sine dilatione deliberetis, ad deserviendum cum vasis prædictis in hospicio nostro quosque de administratione bonorum quæ fuerunt prædicti avi nostri per nos et concilium nostrum legitimè fuerit ordinatum.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

Super financiâ comitis de Denia.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, per unum annum duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum unum de personis subscriptis, videlicet, comitis de Dene, Barengarii de Pan militis, vel Petri March militis, veniendo, cum tribus militibus, sex armigeris, cum eorum valettis, viginti equis, ac aliis bonis et hernesiis suis quibuscumque, in comitivâ unius prædictorum, comitis, Barengarii, vel Petri tantum, ad quascumque partes regnorum et potestatis nostrorum sibi placuerit et melius videbitur expedire, ex causâ solvendi financiam seu redemptionem præfati comitis, qui prisonarius dilecti armigeri nostri Roberti de Hauley existit;

Seu etiam tractandi et concordandi de eisdem, ac de liberatione filii ipsius comitis, obsidis pro eodem, in custodiâ et possessione præfati Roberti existentis, ibidem ex hac causâ morando, et exindè ad propria redeundo.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Augusti.

Per concilium.

De admirallis constitutis.

A.D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 30. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Roberti Hales, prioris hospitalis Sancti Johannis Jerusalem in Anglia, pleniùs confidentes;

Constituimus ipsum admirallum nostrum flotæ navium, ab ore aquæ Thamisiæ versus partes occidentales, quamdiu nobis placuerit;

Dantes ei plenam, tenore præsentium, potestatem audiendi querelas omnium et singulorum de hiis quæ officium admiralli tangunt;

Et cognoscendi in causis maritimis, et justitiam faciendi;

Ac delinquentes, juxta eorum demerita, castigandi et puniendi;

Incarcerandi, et incarceratos, qui deliberandi fuerint, deliberandi;

Necnon ad naves et naviculas guerrinas, quot necessariæ, cujuscumque portagii fuerint, quotiens necesse fuerit, congregandi, et marinarios et alios, pro navibus et naviculis necessarios, eligendi, capiendi, et in eisdem ponendi, et ad hujusmodi marinarios, qui rebelles vel contrariantes fuerint in hac parte, debitè compescendi et castigandi;

Et ad omnia alia, quæ ad officium admiralli pertinent in hac parte, faciendi et excercendi, prout de jure et secundum legem maritimam fuerit faciendum;

Et ad alios, quos idem prior ad hoc idoneos noverit existere, quotiens ipse ad hoc vacare non poterit, ad præmissa omnia et singula facienda, loco ipsius prioris substituendi et deputandi, prout ei melius videbitur expedire;

Et ideò vobis mandamus quod eidem priori, substitutis et deputatis suis prædictis, in præmissis omnibus et singulis faciendis, intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes quotiens et prout per ipsum priorem, seu substitutos aut deputatos suos prædictos, super hoc fueritis præmuniti, vel fuerit aliquis vestrûm præmunitus ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per ipsum Regem et concilium.

Eodem modo constituitur dilectus et fidelis Regis Michael de la Pole admirallus ipsius Regis flotæ navium, ab ore aquæ Thamisiæ versus partes boriales.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu pro familiari Papæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 30. in Turr. Lond.

REX, per litteras suas patentes à festo Natalis DOMINI proximò futuro, in unum annum completum duraturas, volens pro securitate Guidonis de Labardonie, armigeri, familiaris domini Summi Pontificis, qui ad diversas partes exteras per dominium et potestatem Regis pro financiâ Rogeri de Bello Forti, militis, fratris ipsius Summi Pontificis, et Johannis de Rupe, ejus nepotis, quærendâ, sive procurandâ, profecturus existit, providere:

Suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suam specialem, ipsum Guidonem cum octo personis peditibus vel equitibus in comitivâ suâ, vel divisim, ubicumque voluerint et eis placuerit per totum regnum suum Angliæ et ducatum Aquitaniæ, et alibi per dominium et potestatem Regis et aliorum subditorum Regis, tam per terram quam per mare, cum bonis, hernesiis, et rebus suis ex causâ prædictâ de nocte vel die transeundo, morando, et redeundo, absque marcâ vel prisâ aliqualiter capiendâ, seu aliâ molestiâ inferendâ.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per concilium.

Pro hominibus hundredorum de Midelton, Hoo, &c., in comitatu Kantiæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 34. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Supplicarunt nobis homines et tenentes hundredorum de Midelton, Hoo, Shamele, et Toltyngtrowe in comitatu prædicto, quod, licet ipsi homines, tam armati quam hobellarii et sagittarii, videlicet, dicti hundredi de Midelton de omni custodiâ terræ maritimæ, præterquam de custodiâ insulæ de Shepeye, quieti esse debeant; in quâ quidem insulâ et non alibi custodia eorundem hominum, quotiens opus fuerit, et periculum immineat, ab antiquo consistit;

Ac etiam homines dictorum hundredorum de Hoo, Shamele, et Toltyngtrowe, de hujusmodi custodiâ terræ maritimæ apud Yentelee in dicto hundredo de Hoo, et non alibi, ab antiquo facere consueverint;

Et iidem homines, videlicet, ejusdem hundredi de Midelton ad faciendum custodiam prædictam in dictâ insulâ de Shepeye, et præfati homines dictorum hundredorum de Hoo, Shamele, et Toltyngtrowe ad dictum locum de Yentelee, et non alibi, pro hujusmodi custodiâ faciendâ, quotiens opus fuerit, per arraiatores hominum ad arma, armatorum, et sagittariorum in comitatu prædicto sint assessi:

Iidem tamen homines ad faciendum hujusmodi custodiam alibi in comitatu prædicto quam in dictis locis eis sic assignatis, per te et alios jam noviter compelluntur, contra assessionem et ordinationem arraiatorum prædictorum, ac contra consuetudinem supradictam; undè supplicarunt sibi per nos de remedio provideri:

Et quia dilectus et fidelis noster Johannes de Cobham, unus arraiatorum prædictorum, coram nobis in cancellariâ nostrâ personaliter constitutus, affirmabat præmissa sic nobis suggesta in omnibus veritatem continere;

Tibi præcipimus, quod ipsos homines de dicto hundredo de Midelton ad faciendum hujusmodi custodiam terræ maritimæ alibi quam in insulâ prædictâ, seu dictos homines dictorum hundredorum de Hoo, Shamele, et Toltyngtrowe ad faciendum custodiam terræ maritimæ alibi quam in dicto loco de Yentelee, ubi per assignationem et assessionem arraiatorum prædictorum assignantur, ut prædictum est, non compellas, seu ab aliis compelli permittas.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Augusti.

De cambio pro camera Papæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 34. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Johanni Bokansok et Augustino Beneton, mercatoribus de Luca, in civitate nostrâ Londoniæ commorantibus, ac Rogero de Morton, civi et mercatori Eborum, salutem.

Supplicavit nobis Arnaldus Gernerii, licentiatus in legibus, sedis apostolicæ nuncius, et collector cameræ ejusdem sedis in Angliâ, quod, licet nuper, ad instantiam ejusdem Arnaldi, dominus E. nuper Rex Angliæ, avus noster, vobis, præfati Augustine et Rogere, ac cuidam Johanni Francisci, mercatori de Pisterio, licentiam dederit specialem, ut quamdam literam cambii, sociis vestris in partibus exteris commorantibus dirigendam, de pecuniâ, usque ad summam sex millium librarum, per eundem collectorem receptâ, seu extunc recipiendâ, per vos in eadem camerâ, solvendâ, facere possetis;

Quibusdam tamen certis impedimentis intervenientibus, idem nuncius nondum misit ad dictam cameram, virtute licentiæ prædictæ, nisi solumodò duo milia librarum, ita quod de eisdem sex milibus librarum adhuc restant mittenda quatuor milia librarum;

Velimus licentiam prædictam, quæ sic, nondum executa, per mortem ejusdem avi nostri, ut dicitur, expiravit, gratiosè renovare jubere;

Nos, ob reverentiam dictæ sedis, volentes gratiam in hac parte facere specialem, volumus et concedimus ut literas vestras de hujusmodi cambio, sociis vestris in partibus exteris commorantibus dirigendas, de residuis quatuor milium librarum, per dictum collectorem, seu ejus deputatum, sive locum tenentem, de emolumentis ejusdem cameræ in regno nostro Angliæ, receptis seu recipiendis, per vos, seu socios vestros prædictos, eidem collectori, si in partibus exteris fuerit, seu alias, in eadem camerâ solvendis, facere valeatis, ac indè licentiam vobis, et cuilibet vestrûm, tenore præsentium, duximus concedendam.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Augusti.

De non permittendo aliquas naves extra portus transire.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Claus. 1 Ric. II. m. 38. d in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis villæ Novi Castri super Tynam, salutem.

Quibusdam certis de causis, coram concilio nostro propositis, vobis præcipimus firmiter injungentes, quod aliquas naves, bargeas, seu alia vasa aliqua, parvis navibus piscatricibus dumtaxat exceptis, extra portum villæ prædictæ, aliquâ causâ seu colore, transire seu recedere, sub gravi forisfacturâ nostrâ, et sub periculo incumbenti, nullatenus permittatis, quousque aliud indè per nos et concilium nostrum fuerit ordinatum, et vobis indè duxerimus demandandum.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Augusti.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem data; videlicet,

Majori et ballivis de Kingeston super Hull.
Ballivis villæ de Scardeburgh.
Majori et ballivis de Sancto Botulpho.
Majori et ballivis de Lenn'.
Ballivis villæ de Grymesby.
Ballivis villæ Magnæ Jernemuth.
Ballivis villæ de Gippewico.
Ballivis villæ de Colcestr'.
Majori et ballivis villæ de Quencsburgh.
Majori et ballivis villæ de Sandewico.
Majori et ballivis villæ Dovorr'.
Ballivis villæ de Hethe.
Ballivis villæ de Romene.
Ballivis villæ de Wynchelse.
Majori et ballivis civitatis Cicestr'.
Majori et ballivis villæ Suthampton'.
Majori et ballivis villæ de Plymmuth'.
Majori et ballivis villæ de Dertmuth'.
Majori et ballivis civitatis Exon'.
Ballivis villæ de Melcombe.
Ballivis villæ de Fowy.
Ballivis villæ de Moushole.
Ballivis villæ de Lostwithiel.
Ballivis villæ de Truru.
Majori et vicecomiti villæ Bristoll'.
Ballivis villæ de Briggewater.
Majori et ballivis villæ de la Rye.
Majori et ballivis villæ de Hertilpole.
Ballivis villæ de Weymuth.
Ballivis villæ de Herwico.
Ballivis villæ de Manytre.
Ballivis villarum de Alderton et Baudesey.
Ballivis villæ de Exemouth.
Ballivis villæ de Teyngmouth.

De proclamatione faciendâ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 38. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomitibus Norff' et Suff', salutem. Quibusdam certis de causis, coram concilio nostro propositis, tibi præcipimus, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, in singulis civitatibus, villis, et portubus maris in comitatibus prædictis, ubi aliquæ naves seu vasa applicare poterunt, publicè proclamari, et ex parte nostrâ firmiter injungi et inhiberi faciatis, quod maiores et ballivi, ac custodes eorumdem civitatum, villarum, et portuum aliquas naves, bargeas, seu alia vasa aliqua, parvis navibus piscatricibus dumtaxat exceptis, extra aliquem portum dictorum comitatuum, aliquâ de causâ seu colore transire, seu recedere permittant:

Seu quod aliquis dominus, seu magister, vel marinarii navium, seu aliquis alius aliqua hujusmodi naves vel vasa abindè ducat, seu duci faciat, sub forisfacturâ dictorum vasorum et omnium aliorum quæ nobis forisfacere poterit, quousque aliud indè per nos et concilium nostrum fuerit ordinatum, et aliud à nobis indè habuerint in mandatis. Et hoc nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Augusti.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem data; videlicet,

Vicecomiti Northumbr'.
Vicecomiti Eborum.
Vicecomiti Lincoln'.
Vicecomiti Essex'.
Vicecomiti Kant'.
Vicecomiti Sussex'.
Vicecomiti Sutht'.
Vicecomiti Devon'.
Vicecomiti Cornub'.
Vicecomitibus Somers' et Dors'.
Vicecomiti Glouc'.

Quod homines defensabiles armis competentibus arraientur.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 38. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Quibusdam periculis notoriè imminentibus, coram nobis et concilio nostro propositis, tibi præcipimus districtius quo poterimus, injungentes, quod statim, visis præsentibus, absque dilationis diffugio, in universis et singulis civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et aliis locis infra comitatum prædictum, tam infra libertates quam extra, ubi melius expedire videris, ex parte nostrâ publicè proclamari facias, quod omnes et singuli homines comitatûs prædicti defensabiles, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, cum omni festinatione armis competentibus, juxta statum et facultates suas, armentur, et arraientur: ita quod prompti sint et parati ad proficiscendum in defensionem regni nostri Angliæ contra inimicos nostros, si qui dictum regnum ingredi præsumpserint, quotiens et quando super hoc ex parte nostrâ fuerint præmuniti: et hoc sub forisfacturâ prædictâ nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Augusti.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam sub eadem data.

De eodem.

REX, carissimo avunculo suo Johanni Regi Castelle et Legionis, duci Lancastriæ, vel ejus locum tenenti in ducatu prædicto, salutem.

Quibusdam periculis notoriè imminentibus, coram nobis et concilio nostro propositis, vobis mandamus quod statim visis præsentibus, absque dilationis diffugio, in universis et singulis burgis, villis mercatoriis, feriis, mercatis, et aliis locis infra ducatum prædictum, tam infra libertates quam extra, *&c. ut supra, mutatis mutandis, usque ibi*, præmuniti, *et tunc sic*, et hoc, sicut nos et honorem nostrum diligitis, nullatenus omittatis, &c.

De ordinatione, factâ de lanis, pellibus et coriis, publicandâ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 37. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum suarum in portu Novi Castri super Tynam, salutem.

Quia jam per nos et concilium nostrum, per avisamentum certorum mercatorum regni nostri, ordinatum existit, quod omnia lanæ, pelles lanutæ, et coria, quæ extra regnum nostrum prædictum citra festum Natalis DOMINI proximò futurum transibunt, transeant inter festum Exaltationis Sanctæ Crucis, et Quindenam Sancti Michaelis proximò futurum; et quod quilibet mercator, qui aliqua lanas, pelles lanutas, vel coria eodem tempore carcare voluerit, promptè provideat et habeat medietatem custumæ et subsidii pro tot lanis, pellibus lanutis, et coriis, quot tempore illo carcare voluerit, ita quod promptè habeat dictam medietatem illius custumæ et subsidii apud civitatem nostram London', solvendam in receptâ scaccarii nostri, in Vigiliâ dicti festi Exaltationis; et habebit indè sufficientem securitatem mercatorum London' ad liberè traducendum tot lanas, pelles lanutas, et coria ad stapulam Calesii ad commodum suum faciendum, pro quibus medietatem hujus custumæ et subsidii in dictâ Vigiliâ Exaltationis sic nobis solverit: et quod etiam nullus mercator aliqua lanas, pelles, seu coria extra regnum nostrum prædictum citra dictum festum Natalis DOMINI traducet, nisi medietatem custumæ et subsidii ad dictam Vigiliam Exaltationis Sanctæ Crucis promptè solverit in formâ prædictâ: et quod mercatores solvent aliam medietatem custumæ et subsidii sui lanarum, pellium, et coriorum, quæ infra dictum tempus traducent, quando dicta lanæ, pelles, et coria infra naves carcata et posita fuerint, ad traducendum: et quod nulla navis cum lanis, pellibus, seu coriis, vel aliis mercandisis, nec persona aliqua transeat extra regnum prædictum, aliquâ causâ, citra dictum festum Exaltationis, sub pœnâ forisfacturæ omnium quæ forisfacere poterit, sine mandato et licentiâ nostrâ speciali:

Vobis præcipimus quod ordinationem prædictam in villâ prædictâ, ac locis ad dictum portum pertinentibus, inter mercatores publicari faciatis ex parte nostrâ; et omnes et singulos mercatores, indigenas et alienigenas, quos vobis per certificationem seu literam thesaurarii nostri vobis constare poterit, dictam medietatem hujusmodi custumæ suæ ad dictam Vigiliam Exaltationis in formâ prædictâ solvisse, omnia lanas, pelles, et coria pro quibus medietatem hujusmodi custumæ et subsidii nobis sic solverit de tempore in tempus inter dictum festum Exaltationis et dictam Quindenam, solutâ prius aliâ medietate dictorum custumæ et subsidii, quando dicta lanas, pelles, et coria in navibus carcari contigerit, ad dictam stapulam Calesii traducere permittatis in formâ prædictâ: et aliqua lanas, pelles, et coria, pro quibus medietas dictorum custumæ et subsidii ad dictam Vigiliam Exaltationis nobis soluta non fuerit in formâ prædictâ, ad partes exteras, aliqua causâ seu colore, per tempus prædictum nullatenus transire permittatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Augusti.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem datâ; videlicet.

Collectoribus custumarum in portu villæ de Kingeston super Hull'.
Collectoribus in portu de Sancto Botulpho.
Collectoribus in portu Magnæ Jernemuthæ.
Collectoribus in portu villæ de Lenn.
Collectoribus in portu de Gippewico.
Collectoribus in portu civitatis London'.
Collectoribus in portu de Quenesburgh.
Collectoribus in portu civitatis Cicestriæ.
Collectoribus in portu villæ Suthampton'.
Collectoribus in portu civitatis Exon'.
Collectoribus in portu villæ de Melcombe.
Collectoribus in portu villæ de Bristoll'.

REX, vicecomiti Northumbr', salutem. Quia jam per nos et concilium nostrum, per avisamentum, *&c. ut supra, usque ibi*, et licentiâ nostrâ speciali, *et tunc sic*, tibi præcipimus, firmiter injungentes quod statim, visis præsentibus, ordinationem prædictam in omnibus et singulis articulis, in singulis civitatibus, portubus maris, villis, et burgis infra comitatum prædictum, infra libertates et extra, ubi mercatores aliqui existunt, publicè ex parte nostrâ proclamari et publicari facias; ita quod omnes et singuli mercatores singulorum civitatum, portuum, villarum, et burgorum prædictorum de ordinatione prædictâ, per proclamationem hujus, sine dilatione aliquâ valeant præmuniri. Et hoc, sicut de periculo incumbenti respondere volueris, nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Augusti.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus per Angliam sub eadem data.

Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lanc', vel ejus locum tenenti in ducatu Lanc'.

Officium cancellarii Hiberniæ episcopo Ossorien' committitur.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 17. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus venerabili patri, Alexandro episcopo Ossorien', officium cancellarii terræ nostræ Hiberniæ; habendum quamdiu nobis placuerit;

Percipiendo in officio illo feodum consuetum, unà cum exitibus sigilli nostri officii prædicti, prout alii cancellarii percipere consueverunt. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Berkhampstede, xx. die Augusti.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est priori Sancti Johannis Jerl'm in Hibernia, nuper cancellario Hiberniæ, quod eidem episcopo sigillum quo utimur in terrâ prædictâ pro officio prædicto, ac omnia alia officium illud tangentia, quæ sunt in custodiâ suâ, liberet custodienda in formâ prædictâ.

Teste ut supra.

Ingelrami domini de Coucy, de homagio, et de ordine Garterii, renunciatio.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

TRESHONNOURE et trespoissant seigneur, Vostre noble et grant seignourie scet et congnoit assez l'aliance, que, de la grace et bonte de trespoissant et bon Roy, mon treshonnour et tresredoubte seigneur et pere le Roy, derrainement trespasse, que DIEUX face merci, a pleu que j'ai en aly et au encore avec vous; dont treshonnoure seigneur je vous mercie tant comme je puis et scai.

Or est il avenu que la guerre est entre le Roy de France, mon naturel et souverain seigneur, d'une part, et vous d'autre, dont il me desplait plus que de chose qui puist estre en ce monde, se admender le peusse;

Et m'a commande et requis que je le serve et acquitte mon devoir, comme je y sui tenus, au quel, comme vous savez bien, je ne doy desobeir, si le servirai a mon poir, comme je le doy faire.

Et pour ce, treshonnoure et trespoissant seigneur, que on ne puist en aucune manere parler ne dire chose qui fust contre moy ne mon honnour, vous fais assavoir les choses dessusdites, et vous renvoie tout ce que je pourie tenir de vous en foy et hommage.

Et aussi, treshonnoure seigneur, mon tresredoubte seignur et pere dessusdit vuolt moy ordonner et mettre en la tresnoble compaignier et ordre du jartier; si plaise vestre tresnoble et poissant seignourie de pourveoir, en lieu de moy, tel ou ainsi que il vous plaira, et moy tenir pour excuse en ce.

Car, treshonnoure seigneur, se en autre maniere vous me voliez aucune chose commander, je le feroie de tout mon pooir.

Treshonnoure et trespoissant seigneur, je prie a MESSIRE qu'il vous dont bonne vie et longue.

Escript le xxvi. jour d'Aoust.

Locus sigilli.
Le sire de Coucy.

Dor.— A treshonnoure et trespoissant seigneur le Roy d'Angleterre.

Et memorandum quod litera prædicta portata fuit domino nostro, domino Ricardo Regi Angliæ, apud manerium de Hattongraunge juxta Houndeslowe, per quendam pagettum, se Johannem Pieres nominantem, qui, ydioma Anglicanum loquens, dictam literam, involutam in quodam papiro nudo, indorsato, " A treshonurez et trespuissant seigneur le Roy d'Engleterre, mon tresredoubte seigneur," dicto domino Regi liberavit, die Veneris, proximo post festum Apostolorum Simonis et Judæ, anno præsenti, in præsentia dominorum Willielmi de Nevill et Johannis Cheyne militum, et aliorum, ex parte Ingelrami domini de Coucy.

De orando pro Rege.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Claus. 1 Ric. II. m. 31. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, S. eadem gratia, archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, salutem.

Cum, decedente carissimo domino et avo nostro, domino E. nuper Rege Angliæ, onus regiminis et regni et populi nostrorum miseratione divinâ susceperimus;

Et qualiter inimici nostri Franciæ, et alii quamplures, nos et regnum nostrum Angliæ, in primordiis regiminis nostri pluribus locis sæpiùs invaserunt, mala intollerabilia perpetrantes, et præter hoc ecclesiam sanctam, populumque, et ligeos nostros, de die in diem se parant totis viribus subvertere et destruere, nostris oculis intuentes;

Certos magnates et alios fideles nostros supra mare et alias certas partes, de assensu concilii nostri, destinari ordinaverimus, ad malitiam et proterviam ipsorum hostium nostrorum propulsandum, et ad ecclesiam et regnum prædicta, mediante gratiâ DEI, protegendum et salvandum;

Verùm quia, ad onus regiminis supportandum, et ad ecclesiam sanctam, et dictum regnum, ac ligeos nostros, protegendum, absque devotarum orationum suffragiis, vires nostras cernimus penitùs impotentes;

Ac sperantes indubiè quod, quantò, in magnis et peragendis negotiis, divinum præsidium instantius et devotius imploratur, tantò exindè successus prosperior et felicior proveniat et sequatur;

Vestram paternitatem et devotionem affectuosis precibus requirimus et rogamus, quatinùs tam grandibus periculis, quæ ecclesiæ et regno prædictis oculatâ fide indies evenire conspicitis, debitè consideratis, suffraganeos vestros, ac religiosos, et alios subditos vestros universos vestræ provinciæ, ad devotionem suam erga Summum Regem elevandum, eo specialiùs, quò magis sciveritis vel poteritis, juxta possibilitatem, tantâ necessitate causante, inducatis cum effectu, ut ipsi apud Altissimum, de quo omnis gratia procedit, totâ mentis solicitudine preces et orationes devotissimè effundant, et devotis precibus, et intercessionibus, ac processionibus et missarum celebrationibus, ad gratiam DEI impetrandum, pro nobis, et statu ecclesiæ, et regni prædictorum, et specialiter pro dictis magnatibus et fidelibus nostris, qui corpora sua propter salvationem ecclesiæ sanctæ, ac regni, et totius populi prædictorum, diversis periculis exponere non evitant, assiduè insistant apud DEUM, ut ipse DEUS statum nostri, ecclesiæque, et regni prædictorum conservare dignetur prosperum et tranquillum, ipsisque fidelibus nostris, in actibus suis, expeditionem felicem, pro sua magna misericordia, tribuat et concedat.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Septembris.

Consimile breve dirigitur A. archiepiscopo Eborum Angliæ primati. Teste ut supra.

Indentura ducis Britanniæ, pro servitio de guerrâ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II. Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept Scacc.

CESTE endenture, fait parentre nostre seigneur le Roy Richard d'une part, et monsieur Johan duc de Bretaigne d'autre part, tesmoigne que le dit duc est demorez devers nostre dit seigneur le Roy, pur lui servir un quarter d'un an, ovesque deux centz homes d'armes, et deux centz archiers, en un voiage de guerre, q'est ordenez a faire procheinement sur la meer, en la compaignie de monsieur Thomas cont de Bukyngham, uncle de nostre dit seigneur le Roy, et constable d'Engleterre, chevetain du dit viage;

Des queux homes d'armes serront le dit duc, dousze chivalers, et cent quatre vyntz et sept esquiers;

Comenceant le dit quarter le jour que le dit duc serra venuz au port de la meer ovesque sa dite retenue, par comaundement de nostre dit seigneur le Roy, prest pur eskipper pur aler avant en le dit viage.

Et prendra le dit duc et pur lui et pur sa dite retenue gages de guerre accustumez, et pur lui mesmes et pur ses dites gentz d'armes regard accustumez et demy;

Des queux gages et regard accustumez il serra paiez, pur le dit quarter, avant le commencement du dit viage, et du dit demy regard il avera bon et covenable assignment d'en estre prestement serviz le dit quarter finiz, sanz estre repellez;

Et s'il aveigne que le dit duc, ovesque sa dite retenue, demoerge en service de nostre dit seigneur le Roy en dit viage outre le dit quarter, adonques il serra payez pur lui et pur sa dite retenue, pur le temps q'ils averont demorez en le service de nostre dit seigneur le Roy outre le dit quarter, de autielx gages et regardes come dessuz sont expressez.

En tesmoignance de quele chose a la partie de ceste endenture, demorante vers nostre dit seigneur le Roy, le dit duc ad mys son seal.

Don' a Loundres le ix. jour de Septembre, l'an du regne de nostre dit seigneur le Roy primer.

De sigillo Hiberniæ mutando.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 30. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri R., eadem gratiâ, archiepiscopo Dubliniæ, cancellario nostro Hiberniæ, salutem.

Cum mandaverimus dilecto nobis in CHRISTO priori Sancti Johannis Jerusalem in Hibernia, nuper cancellario nostro Hiberniæ, quod vobis sigillum, quo dominus E. nuper Rex Angliæ, avus noster, utebatur in terrâ prædictâ pro officio prædicto, liberet;

Vobis mandamus quod dictum sigillum à præfato priore recipiatis, et circumscriptionem sigilli illius, in utroque folio ejusdem, mutari, et, loco Edwardi, in dictâ circumscriptione contenti, nomen nostrum Ricardi poni faciatis;

Et officium vestrum cancellarii cum dicto sigillo, postquam sic correctum fuerit, faciatis et excerceatis, prout decet.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Septembris.

De protectione pro comitivâ Thomæ comitis Buckinghamiæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 26. in Turr. Lond.

PHILIPPUS Cifrewast, qui in obsequium Regis, in comitivâ dilecti avunculi Regis Thomæ comitis Bukynghamiæ, super mare profecturus est, habet litteras Regis de protectione cum clausula " Volumus," usque ad festum Purificationis Beatæ Mariæ proximò futurum, duraturas. Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Septembris.
Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis habent subscripti, qui in obsequium Regis super mare in comitivâ præfati comitis profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Johannes Daneys, Willielmus Burley, Johannes Goderych, Sampson Grenewych, Robertus de Thorley, Robertus Eston, } *Teste ut supra. Per eandem billam.*

Robertus Corby, usque ad festum Paschæ proximo futurum duraturas. Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris. Per billam, &c.

Thomas Maundevill miles, Johannes Roos, } *usque ad festum Paschæ proximo futurum duraturas.*
Teste Rege, apud Westm', xiii. die Octobris. Per billam, &c.

Hugo de Stanley miles, per idem tempus duratur'. Teste Rege, apud Westm', xii. die Octobris.

Willielmus Botermore de comitatu Devon', Robertus Steel de Blacomore, Thomas Cobham, Johannes Paxton de Lynne, Johannes Blount de Beveresbrok de comitatu Wiltes', Hugo la Zouche miles, Johannes Strattone de Roucestre, Johannes Stucton, } *Teste Rege, apud Westm', xiii. die Octobris. Per billam de privato sigillo.*

Radulphus de Walton'. Teste ut supra. Per billam, &c.

Radulphus de Ferrers. Teste ut supra. Per billam, &c.

Johannes Trayle miles. Teste Rege, apud Westm', xix. die Octobris. Per billam, &c.

Laurentius de Martyncroft, Robertus de Mascy de Preston, Willielmus Karyngton miles, Ricardus Standle armiger, } *usque ad festum Paschæ, &c. duratur'. Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris.*

Johannes Belhous. Teste Rege, apud Westm', xxx. die Octobris. Per billam de privato sigillo.

Radulphus de Poleye miles, usque ad festum Paschæ, &c. duratur'. Teste Rege, apud Westm', xv. die Octobris. Per billam, &c.

Johannes Glover armorer, per idem tempus duratur'. Teste Rege, apud Westm', xxi. die Octobris. Per billam, &c.

Egidius de Ardern' miles, per idem tempus duratur'. Teste Rege, apud Westm', xxii. die Octobris. Per billam, &c.

Ricardus de Molyns, per idem tempus duratur'. Teste ut supra. Per billam, &c.

Johannes de Boys, Thomas Lampet, } *per idem tempus, &c. Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris. Per billam, &c.*

Johannes Westwycombe. Teste Rege, apud Westm', xxii. die Octobris. Per billam, &c.

Philippus atte Park, Johannes de Clyfton', Galfridus Page, } *Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Octobris. Per billam, &c.*

Simon Neuton. Teste Rege, apud Westm', xxix. die Octobris. Per billam, &c.

Ricardus Seymore. Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Octobris. Per billam, &c.

Willielmus Crane. Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Octobris. Per billam, &c.

Rogerus Shoueldham de Norwico. Teste Rege, apud Westm', xxix. die Octobris. Per billam, &c.

Thomas Baryntone. Teste Rege, apud Westm', xxi. die Octobris. Per billam, &c.

Edmundus Brokesbourne. Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris. Per billam, &c.

Rogerus Baryntone. Teste Rege, apud Westm', xxi. die Octobris. Per billam, &c.

Johannes Baryntone. Teste ut supra. Per billam, &c.

Thomas Palmer skynner. Teste Rege, apud Westm', primo die Novembris. Per billam, &c.

Bartholomeus Bacon miles. Ricardus Spaldyngg, } *Teste Rege, apud Westm', xxx. die Octobris. Per billam, &c.*

Willielmus Belgrave. Teste Rege, apud Westm', xix. die Octobris. Per billam, &c.

Johannes Routham, Thomas de Brikhull, Walterus Fitz Wauter de Wodeham, filius Johannis Fitz Wauter, } *Teste Rege, apud Westm', xxx. die Octobris. Per billam, &c.*

Johannes Wayfer, de Brestuyt. Teste Rege, apud Westm', primo die Novembris. Per billam, &c.

Thomas de Ditton' parker de Northewood, Rogerus filius Ricardi de Bradeshagh, Ricardus Copur serviens Roberti de Pilkyngton, } *Teste Rege, apud Westm', xxx. die Octobris. Per billam, &c.*

Ricardus de Okill, Robertus de Pilkynton de Rovynton, Philippus serviens Roberti de Pilkyngton, Ricardus de Midelton', Adam Saunderson, } *Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Octobris. Per billam, &c.*

Walterus Deyns. Teste Rege, apud Westm', xxx. die Octobris. Per billam, &c.

De substitutis admiralli constitutis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 27. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod cum dilectus et fidelis noster frater Robertus de Hales, prior hospitalis Sancti Johannis Jerusalem in Anglia, admirallus nostræ flotæ navium ab ore aquæ Thamisiæ versus partes occidentales, substituerit et deputaverit dilectos servientes nostros ad arma Walterum Haule et Johannem Legg, et alterum ipsorum, ad omnia et singula officium admirallitatis prædictæ tangentia, quotiens ipse ad hoc vacare non poterit, loco ipsius prioris faciendum, juxta tenorem literarum nostrarum eidem priori in hac parte factarum:

Vobis et cuilibet vestrûm mandamus, firmiter injungentes, quod eisdem Waltero et Johanni, et alteri ipsorum, in præmissis, loco ipsius prioris, ut prædictum est, faciendis et exequendis, intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per ipsos vel alterum ipsorum, fueritis super hoc rationabiliter præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c. quamdiu ipsum priorem admirallum nostrum flotæ prædictæ, et eosdem Walterum et Johannem substitutos et deputatos ipsius prioris, in hac parte durare contigerit duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xviij. die Septembris.

Per concilium.

Officium cancellarii scaccarii W. de Cherleton committitur.

A. D. 1377.—An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus dilecto clerico nostro magistro Willielmo de Cherleton' officium cancellarii scaccarii nostri, habendum quamdiu nobis placuerit, percipiendo in officio illo feodum consuetum. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxv. die Septembris.

Per breve de privato sigillo.

De officio cancellarii Hiberniæ R. de Wikford, archiepiscopo Dublin', commisso.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 7. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus venerabili patri, magistro Roberto de Wikford, archiepiscopo Dublin', officium cancellarii terræ nostræ Hiberniæ, habendum quamdiu nobis placuerit; percipiendo in officio illo feodum consuetum, unà cum exitibus sigilli nostri officii prædicti, prout alii cancellarii percipere consueverunt. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Septembris.

Et mandatum est dilecto sibi in Christo priori hospitalis Sancti Johannis Jerl'm in Hibernia, nuper cancellario Hiberniæ, quod eidem archiepiscopo sigillum quo utimur in terrâ prædictâ pro officio prædicto, ac omnia alia officium illud tangentia, quæ sunt in custodiâ suâ, liberet, custodienda in formâ prædictâ.

Teste ut supra.

De concordatis super querelâ, inter Percy et Douglas, pacificandâ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Scot. 1 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, cum inter dilectum consanguineum et fidelem nostrum Henricum de Percy comitem Northumbriæ, et nobiles viros, Willielmum comitem Douglas et de Marre, Archibaldum Douglas dominum de Galway, et magistrum Johannem Pebles cancellarium Scotiæ archidiaconum Sancti Andreæ, concordatum existat, quod pro reparatione faciendâ super attemptatis, factis super marchiis Angliæ et Scotiæ, quidam dies se tenebit apud Lylbottros, decimo octavo die Januarii proximò futuro;

Pro eo quod præfati comites, inter quos dictæ querelæ existunt, et attemptata prædicta sunt magna, consideratis grandibus motionibus regnorum prædictorum;

Videtur expediens utrique parti, quod majores domini eorumdem regnorum ad dies et locum prædictos deputentur et assignentur, videlicet, pro regno Angliæ, carissimus avunculus noster Johannes Rex Castellæ et Legionis, dux Lancastriæ, et pro parte Scotiæ comes de Carryk;

Item, quod dicti comites Northumbriæ et Douglas, ac Archibaldus, et Johannes Pebles, tam nomine nostro, quam nomine nobilis principis Roberti consanguinei nostri de Scotia, promiserunt fideliter ad tenendum et servari faciendum, usque ad dictum decimum octavum diem Januarii, magnas treugas nuper inter carissimum dominum et avum nostrum Edwardum nuper Regem Angliæ, et David de Bruys de Scotia, defunctos, initas;

Et ipsimet comites Northumbriæ et Douglas, ac Archibaldus et Johannes Pebles, nominibus suis propriis promiserunt, fideliter et bonâ fide, tenere et observari facere treugas prædictas cum omni diligentiâ suâ, et specialiter in bundis suis propriis, usque ad finem mensis prædicti;

Item quod si dicta ordinatio personarum nobis et dicto consanguineo nostro Scotiæ, ex unâ et alterâ parte, placuerit, nos, pro parte nostrâ, abbati de Melros, per literas nostras, et præfatus consanguineus noster de Scotia abbati de Kelsowe, per literas suas, infra unum mensem à datâ confectionis dictæ concordiæ, certificabimus;

Nos præmissa omnia et singula, prout superius recitantur, pro parte nostra conservare volentes;

Omnibus nostris subditis firmiter inhibemus nè quis malum, molestiam, vel injuriam inferat dominiis, terris, vel possessionibus dicti consanguinei nostri Scotiæ, vel incolis earumdem, in personis aut rebus, contra tenorem treugarum supradictarum, ante lapsum dicti decimi octavi diei Januarii, sub omni pœnâ quæ competit, aut competere poterit, contra eos vel eum qui in contrarium hujusmodi treugarum duxerit vel duxerint attemptandum;

Salvis semper et in omnibus articulis observatis dictis treugis, aliàs, ut prædictum est, initis;

Et etiam proviso quod eisdem treugis, per præmissa seu aliquod eorumdem, præjudicium aliquod nullatenus generetur;

Et etiam, si, durante securitate dictæ concordiæ, aliquod attemptatum vel prisa bonorum, ex unâ vel alterâ parte, factum vel facta fuerit, quod ipsi, qui dampnum indè sustinuerint, liberè prosequi possint bona sua absque impedimento cujuscumque;

Et si ea invenire poterunt, quietè deliberentur, aliquo die marchiæ nullatenus expectato;

Et si quis, in prosequendo bona sua, nequiter fuerit interfectus, ipse, qui hoc fecerit, morti tradetur absque remissione.

Volumus tamen quod, si præfatum avunculum nostrum propter negotia regni nostri Angliæ, vel aliqua alia legitima impedimenta, ad dictos diem et locum marchiæ abesse contigerit, tunc carissimus avunculus noster Edmundus comes Cantebrigiæ ad dictos diem et locum, ad præmissa ex parte nostrâ facienda et explenda, loco ipsius Johannis Regis Castellæ intersit;

Dantes eidem comiti Cantebrigiæ eandem potestatem quam idem Johannes Rex Castellæ, ex parte nostrâ, in hac parte haberet, si personaliter interesset.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Septembris.

Per concilium.

De alligantiis Flandriæ continuandis et firmandis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 27. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Ad tenendum, continuandum, firmandum et corroborandum, inter nos et subditos nostros, et carissimum consanguineum nostrum comitem Flandriæ, et bonas villas suas Gandavi, Brugges, et Ipre, et gentes suas de Francia, et cæteros ipsius comitis subditos, amicitias, alligantias, conventiones, et concordias inter excellentissimum principem dominum Edwardum nuper Regem Franciæ et Angliæ, avum nostrum, pro se et subditis suis, ex unâ parte, et prædictum consanguineum nostrum, et tres suas bonas villas de Gandavo, Bruges, et Ipre, et ipsos de Francia, et alios subditos ipsius comitis ex alterâ parte hactenus factas, initas, et diutiùs observatas, prout in literis dicti avi nostri et comitis memorati, eorum magnis sigillis sigillatis, ad quas nos referimus, et hic pro insertis haberi volumus, pleniùs continetur:

Dilectos et fideles nostros Robertum Rous militem, et magistrum Johannem Codeford legum doctorem, archidiaconum Wiltesiæ, de quorum industriâ et fidelitate plenariè confidimus, de consensu et avisamento concilii nostri, nostros veros et legitimos procuratores, ac nuncios speciales, constituimus, ordinamus, et facimus per præsentes;

Dantes et concedentes eisdem Roberto et Johanni potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis et subditis nostris, præmissa omnia et singula tractandi, faciendi, et expediendi, ac omnia alia excercendi quæ circa ea duntaxat necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant magis speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid iidem Robertus et Johannes, nomine nostro, fecerint in præmissis.

Data, sub testimonio magni sigilli nostri, in palatio nostro Westm', xxviii. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De clero convocando, et subsidio concedendo.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 31. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri S., eadem gratiâ, archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, salutem.

Cum inimici nostri, inter se alligati, et undique hostiliter congregati, regnum nostrum Angliæ in pluribus locis per terram et per mare sæpiùs invaserunt, mala quamplurima et intollerabilia nobis et ligeis nostris perpetrando; et non solùm de hoc contenti, dictum regnum nostrum, ac ecclesiam sanctam, nosque, ac populum nostrum Angliæ de die in diem se parent totis viribus subvertere et destruere, nisi eorum malitiæ, adjuvante DEO, fortiùs resistatur;

Undè, in salvationem statûs ecclesiæ sanctæ, ac regni et populi prædictorum necessariam defensionem, sumptus, ac census, et expensas inæstimabiles, et aliquo tempore præterito magis solito grandiores, effundere nos oportet;

Verùm quia de copiâ thesauri vel bonorum, in primordiis nostri regiminis, nec mirum, penitus alieni, ad ipsorum onerum et sumptuum supportationem absque juvamine fidelium nostrorum non sufficimus, sicut scitis;

Vobis, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, rogando, mandamus quatinùs, consideratis tam arduitate negotiorum prædictorum, quam grandibus periculis quæ ecclesiæ et regno prædictis oculatâ fide iminere conspicitis, attentis et debitè consideratis, suffraganeos vestros, decanos, et priores ecclesiarum cathedralium, abbates et priores, et alios electivos, exemptos et non exemptos, necnon archidiaconos, capitula, conventus, collegia, totumque clerum cujuslibet diœcesis dictæ vestræ provinciæ, ad comparendum coram vobis in ecclesiâ Sancti Pauli Londoniæ, vel alibi, prout expedire videritis, ad breviorem diem quem poteritis, more solito convocari faciatis;

Et, eis dictis negotiis et periculis ibidem pleniùs expositis et declaratis, ipsos ad subsidium, in hoc casu competens et necessarium, in supportationem dictorum onerum et sumptuum, nobis concedendum, eo specialius et cum efficaciâ, quâ magis sciveritis vel poteritis, tantâ necessitate causante, inducatis, et partes vestras ad hoc effectualiter apponatis:

Nos, in cancellariâ nostrâ, de quantitate subsidii illius ac de terminis solutionis ejusdem, certificantes:

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum, ac salvationem et defensionem ecclesiæ et regni prædictorum, diligitis, nullatenus omittatis.

Teste meipso, apud Westm', xxix. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De R. de Sutton, custode rotulorum Hiberniæ constituto.

A. D. 1377.—An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 8. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti clerici nostri Roberti de Sutton confidentes, ipsum Robertum custodem rotulorum de cancellariâ nostrâ Hiberniæ facimus et constituimus per præsentes, quamdiu nostræ placuerit voluntati, percipiendo in officio illo feoda consueta. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', v. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

De R. de Preston, capitali justiciario de communi banco in Hiberniâ constituto.

A.D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 8. in Turr. Lond.

REX, eisdem, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Roberti de Preston chivaler pleniùs confidentes, constituimus ipsum Robertum capitalem justiciarium nostrum de communi banco nostro Hiberniæ, ad placita in eodem banco, unà cum aliis fidelibus nostris tenenda, secundum legem et consuetudinem partium illarum, quamdiu nobis placuerit, percipiendo in officio illo feodum consuetum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', v. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

De J. Kyrpok, capitali justiciario Regis ad placita in Hiberniâ constituto.

A. D. 1377—An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 5. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Johannis Kyrpok pleniùs confidentes, constituimus ipsum Johannem capitalem justiciarium nostrum ad placita, justiciarium nostrum Hiberniæ sequentia, unà cum aliis fidelibus nostris tenenda, secundum legem et consuetudinem partium illarum, quamdiu nobis placuerit: percipiendo in officio illo vadia et feoda consueta. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', v. die Octobris. Per ipsum Regem et concilium.

De S. Bray, capitali barone scaccarii in Hibernia constituto.

A. D. 1377.—An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti nobis Stephani Bray confidentes, constituimus ipsum Stephanum capitalem baronem de scaccario nostro Hiberniæ, percipiendo pro officio feodum consuetum. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', v. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro Nicholao Dagworth, de statu Hiberniæ supervidendo.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 8. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Sachez que nous, veullantz et desirrantz grandement purvoier a la salvation et amendement de notre terre d'Irland, et confiantz pleinement del loialte, sen et bone discretioun de notre cher et foial chivaler monsieur Nichol Dagworth, si avons, del assent de notre conseil, ordeigne et assigne le dit Nichol pur aler vers les parties de notre dit terre d'Irland, et lui avons done et commis plein poar, auctorite et mandement especiale, desouz escriptz, cestassavoir;

Nous avons assignez et ordenez le dit Nichol de surveer l'estat de la dite terre, et la value de touz noz revenues illoeqes, et auxi d'enquere, par les serementz des prodeshomes et loialx gentz de la dite terre, deinz franchies et dehors, del port de toutes maneres d'officiers illoeques; et auxi de touz maneres de terres, tenementz, rentes, revenues, fermes, conestableries, baillies, offices, et autres choses qeconqes a nous et a notre corone regardantz, et de la value d'icelles; et si nous soions ent duement responduz, solonc la value d'icelles, ou noun:

Et auxi de toutes maneres des gardes, mariages, eschetes, reliefs, et touz autres maneres des droites et profitz, a nous par qeconque voie illoeqs appurtenantes, et de nous concellez et detenuz par qeconque manere et par qeconques persones; et la ou il trouvera defaut duement par mesmes les enquestes, de seisir en noz mains les ditz offices, terres, tenementz, et autres profitz suisditz, et de ent faire notre profit, en meilleure manere q'il purra ou savera, par avis de noz chanceller et tresorer illoeqes.

Item, en eese de noz liges de mesme la terre, que le dit Nichol puisse respiter les homages duez a nous de noz foialx illoeqes, tanque a jour et termes come lui semblera bon:

Et aussi de visiter et surveer touz noz chastelx et forteresces en la dite terre, et de examiner les garnisons et les garnestures en ycell, et de faire corriger, amender, et redresser duement toutes les defautes que serront trouvez illeoqes; et de faire amender et reparailler noz chastelx illoeqes que sont abatuz ou empeirez; et de compeller les autres gentz du paiis, qui ount chastelx et forteresces illoeqes, pur faire mettre en ycelles sufficeant garnesture, en salvation de lour marches, en meilleur manere que a lui et notre justice illoeqes, chaunceller, tresorer, et autres de notre conseile celles parties semblera affaire pur notre honour et profit, et meindre charge de nous.

Item, pur ce que notre escheqer et notre commune bank illoeqes ont este longement assis a Cathirlagh, en la frounture de noz enemys, dont greindre profit de nous ad este sustret par celle enchesoun, et ensement noz leies abatuz et desusez, si avons done poar au dit Nicol d'assigner et mettre noz dites courtes la, ou lui semblera mieltz au honour et profit de nous, par l'avis de justice et autres officers suisditz; et aussi de renvier a tantz de foiz come busoigne serra touz maneres de noz officers en notre dite terre, qui serront trouvez en defaute par due inquisitioun; forspris notre chaunceller et tresorer, et autres qui ount a present commissioun de nous souz notre grant seal d'Engleterre; et ce par avis et assent de noz chaunceller et tresorer; et de mettre autres bones et sufficeantz en lour lieux, en manere come sera bon et profitable pur nous:

Et aussi de prendre et arester touz maneres des persones, de queconque estat ou condition q'ils soient, queux le dit Nichol purra trover contrariantz et rebeux encontre l'executioun des ascunes des articles ou choses dessuisditz, et de eux mettre a noz prisons, pur y detenir sauvement en arest tancome pur la deliverance diceux eions autrement ordenez.

Item, pur ce q'il covendra le dit Nichol de chivacher sovent foiz forciblement pur peril des enemys, entour l'executioun et l'exploit de noz ditz bosoignes, nous volons q'il eit retenue de gentz d'armes et archers, si sovent come busoignera resonablement en celle partie; et que notre dit tresorer d'Irlande eit mandement de lui paier pur tiel noumbre des gentz d'armes et de archers, come semblera as noz ditz officers que sera busoignable d'avoir en sa compaignie, pur l'execucion de noz busoignes suisditz.

Nous donons assi en mandement, estroitement enjoignanz par la tenure de noz presentes lettres, a notre justice illoeqes, et a noz chaunceller, tresorer, viscountz, mairs, baillifs, et touz noz autres officers foialx et liges illeoqes, q'ils et chescun di eux a dit Nichol, en l'execucioun de toutes les choses suisditz, soient entendantz, eidantz, conseillantz, respondantz, et obeissantz, a toutes les foiz q'ils, ou ascun de eux, serront garniz par le dit Nichol depar nous.

En tesmoignance de quelle chose a cestes noz lettres patentes nous avons fait mettre notre grant seal.

Donne, a notre palois de Westm', le vii. jour d'Octobre, l'an de notre regne primer.

Par le Roi et son conseil.

De R. Stokes barone scaccarii Regis constituto.

A. D. 1377.—An. 1 Ric. II.
Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 5. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod constituimus dilectum clericum nostrum Ricardum Stokes unum baronum de scaccario nostro, quamdiu nobis placuerit, percipiendo in officio illo feodum consuetum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ix. die Octobris.

De protectionibus, pro comitivâ ducis Britanniæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Rot. Franc. 1 Ric. II. m. 25. in Turr. Lond.

JOHANNES ROOS, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi fratris Regis, Johannis ducis Britanniæ, supra mare profecturus est, habet literas Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus', usque ad festum Paschæ proximò futurum, duraturas.

Pr. &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Octobris.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles literas Regis de protectione, cum clausula 'Volumus,' habent subscripti, qui in idem obsequium, in comitiva præfati ducis, supra mare profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub data subscripta; videlicet,

Richardus Baryngton. Teste Rege, apud Westm', xiv. die Octobris.
Per eandem billam.

Ricardus Northlond miles. Teste ut supra.
Per eandem billam.

De assignationibus, pro summis mutuatis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Pat. 1 Ric. II. p. 1. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, cum dilectus nobis Amandus Fitlyng, canonicus ecclesiæ Sancti Pauli Londoniæ, nobis centum marcas, pro expeditione quorumdam arduorum negotiorum nostrorum et statum regni nostri Angliæ tangentium, in magnâ necessitate nostrâ, liberè et spontè mutuaverit, videlicet, pro quodam viagio jam supra mare faciendo;

Quas per manus venerabilis in CHRISTO patris Thomæ episcopi Exoniensis, thesaurarii nostri, et camerariorum de scaccario nostro, recepimus;

Nos præfato Amando, de dictis centum marcis, infra annum à datâ præsentium, solutionem per nos fieri promittimus bonâ fide;

Et, ut eidem Amando de summâ prædictâ promptiùs satisfiat, concessimus, pro nobis et hæredibus nostris, quod præfatus thesaurarius noster, vel alius thesaurarius noster, qui pro tempore fuerit, competentem assignationem pro solutione sive satisfactione ejusdem summæ, in locis ubi meliùs expedire viderit, præfato Amando faciat:

Volentes et præcipientes quod hujusmodi assignatio, per dictum thesaurarium sic facienda, in suo robore perseveret, et firmum locum habeat, absque revocatione seu contradictione per nos vel hæredes nostros, aut aliquos officiarios seu ministros nostros, in futurum aliqualiter faciendis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Octobris.

Per breve de privato sigillo, et per billam thesaurariæ.

Consimiles litteras Regis habent subscripti de summis subscriptis; videlicet,

Abbas de la Hide, de quinquaginta libris.
Richardus Spicer, mercator de Bristoll, de quadraginta et quinque libris.
Rogerus Beauchampe, de centum marcis.
Richardus de Stafford, de centum marcis.
Prior de Ippeswych, de quadraginta libris.
Johannes Ropere de Canterbirs, de quadraginta libris.
Thomas Elys de Sandewico, de quadraginta libris.
Simon Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, de quingentis marcis.
Abbas de Keynesham, de viginti marcis.
Abbas de Glastenbirs, de centum libris.
Willielmus Dyghton clericus, de centum marcis.
Johannes de Beverle armiger, de centum marcis.
Major et comunitas villæ Bristolliæ, de sexcentis et viginti et una libris tresdecim solidis et quatuor denariis.
Abbas de Sancto Edmundo de Bury, de centum marcis.
Willielmus de Latymere, de quingentis marcis.
Prior Sanctæ Trinitatis de Norwico, de quadraginta libris.
Johannes de Cobbeham de Kent, de centum libris.
Abbas de Malmesbirs, de quinquaginta libris.
Robertus de Morton, de quadraginta libris.
Abbas de Evesham, de quinquaginta marcis.
Abbas de Rameseye, de centum marcis.
Johannes de Nevill, de ducentis marcis.

Pro archiepiscopo Eborum, de cuneis habendis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 25. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et baronibus suis de scaccario, salutem.

Supplicavit nobis venerabilis pater, Alexander Eborum archiepiscopus, ut cum ipse habere debeat, et omnes prædecessores sui, à tempore quo non extat memoria, habuerunt, et habere consueverunt, duos cuneos monetales pro cambio suo Eborum, sicut tam per recordum et processum justiciariorum itinerantium in comitatu prædicto, per nos ad scaccarium nostrum missa, quam per rotulos et memoranda scaccarii prædicti, poterit pleniùs, ut dicit, apparere;

Velimus præfato nunc archiepiscopo, hujusmodi duos cuneos, pro cambio suo Eborum, liberari jubere;

Nos, ipsius archiepiscopi supplicationi in hac parte annuentes, ut est justum, vobis mandamus quatinùs, visis recordo et processu, ac rotulis et memorandis prædictis, si vobis constiterit ita esse, tunc eidem nunc archiepiscopo duos cuneos, pro cambio suo prædicto, absque difficultate, et sine dilatione aliquâ, liberari faciatis, prout eos habere debeat, et prædecessores sui prædicti eos habere consueverunt.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Octobris.

Per concilium.

De filio comitis de Dene coram Rege et concilio ducendo.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 25. in Turr. Lond.

REX, majori et vicecomitibus Londoniæ, salutem. Quibusdam certis de causis, coram nobis et concilio nostro, in præsenti parliamento nostro apud Westmonasterium convocato, propositis, de assensu ejusdem concilii nostri, vobis mandamus, firmiter injungentes, quod filium comitis de Dene alienigenæ, tanquam obsidem in civitate prædictâ commorantem, coram nobis et concilio nostro, in dicto parliamento, hac instanti die Martis proximò futurâ, salvò et securè venire faciatis, ad faciendum ea quæ per dictum concilium nostrum, ex parte nostrâ, tunc contigerit ordinari: et habeatis ibi hoc breve.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Octobris.

Pro baronibus Quinque Portuum.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Claus. 1 Ric. II. m. 26. d. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et baronibus suis de scaccario, salutem.

Cum dominus Edwardus nuper Rex Angliæ, progenitor noster, considerans quod navigium suum Quinque Portuum non absque magnis sumptibus et expensis possit sustentari, ne navigium illud extunc deficeret vel periret, per literas suas patentes concessisset, pro se et hæredibus suis, quod omnes illi de Quinque Portubus prædictis, et alii quicumque advocantes se de libertate eorumdem, et indè gaudere volentes, contribuerent, videlicet, quilibet eorum juxta facultates suas, ad faciendum servitium ipsius progenitoris nostri et hæredum suorum de navibus suis, cum ab ipso vel hæredibus suis hoc haberent in mandatis;

Ac dictus Edwardus nuper Rex Angliæ, avus noster, concessionem prædictam ratam habens et gratam, eam pro se et hæredibus suis concesserit et confirmaverit;

Et ulterius, pro eo quod super dictis verbis generalibus in prædictis litteris contentis, videlicet, quod quilibet contribuat juxta facultates suas, dissentiones variæ antea fuerunt subortæ, ut barones portuum dictorum servitium prædictum eidem avo nostro et hæredibus suis commodius facere valerent temporibus oportunis, de consilio prælatorum, comitum et baronum suorum, ac communitatis regni sui Angliæ, in parliamento suo anno regni sui primo tento, concesserit per litteras suas patentes, pro se et hæredibus suis, eisdem baronibus Quinque Portuum, quod omnes illi de portubus illis, et alii quicumque advocantes se de libertate eorumdem, et indè gaudere volentes, contribuerent ad navigium et servitium prædicta manutenendum et faciendum de omnibus bonis et catallis suis, tam extra libertatem Quinque Portuum prædictorum quam infra existentibus: et ad hoc, per majores et juratos portuum prædictorum, ac etiam constabulariorum castri sui Dovorr', si necesse fuerit, debitè compellerentur; et quod bona et catalla dictorum baronum et aliorum, sive extra libertatem fuerint sive infra, quæ pro navigio et servitio prædictis manutenendo et faciendo taxarentur, ad talliagia sive alia onera quæcumque, cum bonis et catallis hominum forinsecorum, nullatenus taxentur, prout in litteris ipsius avi nostri prædictis pleniùs continetur.

Nos, ad prædictas concessiones ipsorum progenitorum nostrorum considerationem habentes, ac volentes eo prætextu, necnon in recompensationem sumptuum et expensarum, quos iidem barones et advocantes cum navigio suo, circa salvum conductum nunciorum nostrorum usque villam nostram Calesii, pro tractatu pacis ultimò destinatorum, gratanter apposuerunt, cum eisdem baronibus et advocantibus agere graciosè;

Vobis mandamus quod demandæ, quam eisdem baronibus et advocantibus, pro portione subsidii quatuor denariorum de qualibet personâ laicâ regni nostri Angliæ, domino Edwardo nuper Regi Angliæ avo nostro, per communitatem ejusdem regni concessi, ipsos contingente, per summonitionem scaccarii prædicti fieri facitis supersederi: et tam ipsos, quam collectores ejusdem subsidii infra libertatem portuum prædictorum, ad idem scaccarium exonerari et quietos esse faciatis.

Teste Rege, apud Westm', xxix. die Octobris.

De tractando cum Rege Arragonum.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 20. in Turr. Lond.

REX, omnibus, ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate et industriâ dilecti et fidelis militis nostri Johannis de Roches, et magistri Geraldi de Meuta, plenius confidentes, de assensu et avisamento concilii nostri, ipsos militem et Geraldum conjunctim, et in absentiâ dicti Geraldi, eundem militem per se, nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ad tractandum et concordandum cum magnifico et potente principe, domino Petro Rege Arragonum illustre, consanguineo nostro carissimo, seu ejus in hac parte procuratoribus, nunciis seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso Rege habentibus, de quibuscumque amicitiis, alligantiis, et mutuis auxiliis, inter nos et hæredes nostros, pro nobis, regnis, terris, et dominiis, ac subditis et vassallis nostris quibuscumque, et ipsum Regem et hæredes suos, pro se, regnis, terris, et dominiis suis, ac eorum omnibus subditis et vassallis, pro perpetuo duraturis, ordinamus, facimus, et constituimus per præsentes;

Dantes et concedentes eisdem militi et Geraldo conjunctim, et in absentiâ ipsius Geraldi præfato militi per se, potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis, hæredibus, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris, præmissa omnia et singula tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Et ea omnia, cum tractata, concordata, et expedita fuerint, firmandi et vallandi;

Et omnia alia excercendi, quæ circa ea necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid iidem miles et Geraldus conjunctim, aut ipse miles in absentiâ ipsius Geraldi, nomine nostro fecerint vel fecerit in præmissis, seu aliquo præmissorum.

Data sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', xxx. die Octobris.

De ordine militari suscipiendo.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.
Claus. 1 Ric. II. m. 21. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Præcipimus tibi, firmiter injungentes, quod per totam ballivam tuam, tam infra libertates quam extra, ubi expedire videris, publicè proclamari facias, quod omnes illi, qui quadraginta libratas terræ vel redditûs per annum habent, et eas per tres annos integros tenuerunt, et milites non sunt, ordinem suscipiant militarem citra festum Paschæ proximò futurum, vel in eodem festo ad ultimum, sub periculo quod incumbit;

Et de nominibus illorum, qui quadraginta libratas terræ vel redditûs habent in ballivâ tuâ, sicut prædictum est, diligenter inquiras, et nobis de nominibus illis, in cancellariâ nostrâ, constare facias ante festum supradictum; et hoc nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam, sub eadem data.

Quod certæ parvæ bargeæ, vocatæ Balyngeres, fiant et parentur.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis civitatis suæ Eborum, ac probis hominibus ejusdem civitatis, salutem.

Quia in præsenti parliamento nostro, per nos et concilium nostrum, de assensu militum, civium et burgensium pro communitate regni Angliæ ibidem summonitorum, ordinatum existit, quod certæ parvæ bargeæ, vocatæ Balingeres, in regno nostro Angliæ usque ad certum numerum, per vos et alias civitates et bonas villas ejusdem regni, fiant et parentur, citra primum diem Martii proximò futurum, ad proficiscendum in obsequium nostrum, in salvationem et defensionem regni prædicti, cum navigio nostro, quod tunc super mare proficisci ordinatur;

Assignavimus vos ad unam parvam bargeam competentem, vocatam Balingere, cum remis inter quinquaginta et quadraginta, fieri faciendam:

Et ideò vobis, districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus, quod bargeam prædictam cum omni celeritate quâ fieri poterit, dictum primum diem Martii, ad custus proborum, validiorum et magis divitum hominum civitatis prædictæ tantum, et non aliorum, aliquas alias gentes mediocres, vel inferioris statûs, ad expensas bargeæ prædictæ, sicut indè respondere volueritis, nullo modo onerantes, quacumque excusatione cessante, fieri et parari faciatis.

Ita semper, quod dicta bargea ad vestri periculum prompta sit et parata, cum sufficienti apparatu, eodem die ad ultimum, ad locum vobis per admirallum nostrum indè assignandum, ad proficiscendum super mare cum navigio prædicto, sine difficultate aliquali;

Scientes pro certo, quod si viagium prædictum, pro defectu facturæ dictæ bargeæ, per vestri negligentiam vel tepiditatem, quod absit, impeditum vel retardatum fuerit, vos, tanquam dictum viagium impedientes, non inmeritò puniri faciemus:

Volumus autem, et est nostræ claræ intentionis, quod statim, postquam dictum viagium super mare fuerit completum, et navigium abindè redierit, bargea prædicta vobis, qui eam sic in præsenti necessitate nostrâ fieri feceritis, deliberetur indilatè; ut vos indè, tanquam de catallis vestris propriis, liberè disponere et commodum vestrum facere valeatis, absque impedimento, vel calumpniâ nostri indè aliqualiter ulterius faciendâ.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium in parliamento.

[*Et erat patens.*]

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem data; videlicet,

Majori et ballivis ac probis hominibus villarum de Hull et Beverlaco pro una bargea.
Majori et ballivis et probis hominibus villarum de Barton et Grymesby pro una bargea.
Majori et ballivis et probis hominibus civitatis Lincoln pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus villæ de Sancto Botulpho pro una bargea.
Majori et ballivis et probis hominibus villæ de Lenn pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus civitatis Norwici pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus villæ Jernemuth pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus villarum Ghipwici, Sudbury, Baldesey et Hadleye pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus villarum Colcestre, Maldon, Manytre et Herwyc pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus villarum de Sancto Edmundo et Thetford pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus villarum Notyngh' et Derb' pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus de Coventre pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus villarum de Leyc' et Staunford pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus villarum Cantebr' et Hunt', videlicet, Huntyndon tertiam partem, et Cantebr' duas partes, pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus villarum de Plymouth et Dertmouth pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus civitatis Exon' pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus villæ Bristoll pro una bargea.
Majori ac ballivis ac probis hominibus civitatis Bathon' et Welles pro una bargea.
Ballivis et probis hominibus civitatis Hereford et Salop pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus Gloucestr' et civitatis Wygorn' pro una bargea.
Majori et ballivis ac probis hominibus civitatis Sarum pro una bargea.
Willielmo Walworth et Johanni Philipot pro una bargea, Johanni Olneye seniori et Johanni Piel pro medietate unius bargeæ, et Johanni Curteys pro alia medietate ejusdem bargeæ, } *pro civitate London.*
Ballivis et probis hominibus villarum de Jakesle et de Ely pro una bargea.
Johanni Haywoud maiori, Hugoni Crane, Ricardo Wigghte, Willielmo Jughe, Stephano Hayme, Ricardo Draper, Johanni Blake, Johanni Hamwelle, Marco Vayre, Radulpho Fode, Willielmo Wygghe, Roberto Mayhewe, Johanni Forde, Willielmo Morrewe, Waltero Colneve, Henrico Jordan, Johanni Bel, Johanni Halle, Waltero Bolour, Reymundo Leche, de civitate Wynton, } *pro civitate Wynt' pro una bargea.*

De eodem.

REX, carissimo avunculo suo Edmundo comiti Cantebrigiæ, constabulario castri sui Dovorr' et custodi Quinque Portuum suorum, vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum in præsenti parliamento nostro, per nos et concilium nostrum, de assensu militum, civium, et burgensium pro comunitate regni nostri Angliæ ibidem summonitorum, ordinatum existat, quod certæ parvæ bargeæ, vocatæ Balyngers, in regno nostro prædicto usque ad certum numerum, per civitates et bonas villas ejusdem regni, fiant et parentur, citra primum diem Martii proximò futurum, ad proficiscendum in obsequium nostrum, in salvationem et defensionem regni prædicti, cum navigio nostro, quod tunc supra mare proficisci ordinatur; ac mandaverimus majoribus, ballivis, et probis hominibus civitatum et villarum prædictarum, quod ipsi hujusmodi bargeas competentes, vocatas Balyngers, cum remis inter quinquaginta et quadraginta, ad custus validiorum et magis divitum hominum civitatum et villarum prædictarum tantum, et non aliorum, citra dictum primum diem Martii fieri et parari faciant:

Nos, attendentes quod barones portuum prædictorum ad ea, quæ communem salvationem et necessariam defensionem regni nostri prædicti specialiter concernunt, adeò benè, sicut cæteri homines ejusdem regni, tenentur, considerata præsente necessitate; quanquam ipsi de contributione hujusmodi onerum forinsecorum inter alios ejusdem regni, per cartas progenitorum nostrorum quondam Regum Angliæ, liberi esse debeant et quieti, et in ordinatione facturæ hujusmodi bargearum præsentes non fuerint:

Vobis mandamus, firmiter injungentes, quod, omni dilatione postpositâ, de qualibet villâ portuum prædictorum, majorem, ballivos et duos homines de melioribus et magis sufficientibus ejusdem villæ, coram vobis venire faciatis, et ipsis ex parte nostrâ, districtius quo poteritis, detis in mandatis, firmiter injungentes, quod ipsi quinque bargeas hujusmodi competentes, vocatas Balyngers, cum omni celeritate quâ fieri poterit, citra diem prædictum, ad custus proborum, validiorum et magis divitum hominum portuum prædictorum et membrorum eorumdem tantum, et non aliorum, aliquas alias gentes mediocres vel inferioris statûs ad expensas bargearum prædictarum, sicut indè respondere voluerint, nullo modo onerantes, quacumque excusatione cessante, fieri et parari faciant;

Ita semper, quod dictæ bargeæ ad ipsorum periculum promptæ sint et paratæ cum sufficienti apparatu, eodem die ad ultimum, ad locum eis per admirallum nostrum indè assignandum, ad proficiscendum super mare cum navigio prædicto, sine difficultate aliquali;

Et etiam scire faciatis eisdem pro certo, quod si viagium prædictum pro defectu facturæ dictarum bargearum, et eorum negligentiâ vel tepiditate, quod absit, impeditum vel retardatum fuerit, ipsos, tanquam dictum viagium impedientes, non inmeritò puniri faciemus:

Volumus autem, et est nostræ claræ intentionis, quod statim postquam dictum viagium super mare fuerit completum, et navigium indè redierit, bargeæ prædictæ eis, qui eas sic in præsenti necessitate nostrâ fieri fecerint, deliberentur indilatè; ut ipsi indè, tanquam de catallis suis propriis, liberè disponere et commodum suum facere valeant, absque impedimento, vel calumpniâ nostri indè aliqualiter ulterius faciendâ.

Nolumus tamen quod libertatibus eisdem baronibus per dictas cartas concessis, ratione hujusmodi præsentis facturæ bargearum prædictarum, aliqualiter derogetur.

Teste me ipso, apud Westm', xxx. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium in parliamento.

De eodem.

REX, dilectis sibi majori stapulæ nostræ Calesii, ac mercatoribus de societate ejusdem stapulæ, salutem.

Cum in ultimo parliamento nostro, per nos et concilium nostrum, de assensu militum, civium, et burgensium pro communitate regni nostri Angliæ ibidem summonitorum, ordinatum extiterit, quod certæ parvæ bargeæ, vocatæ Balingers, in regno nostro Angliæ, usque ad certum numerum per civitates et bonas villas ejusdem regni, fiant et parentur, citra primum diem Martii proximò futurum, ad proficiscendum in obsequium nostrum, in salvationem et defensionem regni prædicti, cum navigio nostro, quod tunc super mare proficisci ordinatur.

Et quia vos, præfate major, et quamplures vestrûm, præfati mercatores, coram concilio nostro onerastis vos ad unam parvam bargeam competentem, vocatam Balingere, cum quinquaginta remis, citra primum diem Martii proximo futurum, fieri et parari faciendam;

Vobis, districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus, quod hujusmodi bargeam competentem, cum quinquaginta remis, cum omni celeritate quâ fieri poterit, citra dictum primum diem Martii, ad custus et expensas vestras, quacumque excusatione cessante, fieri et parari faciatis.

Ita semper quod dicta bargea ad vestri periculum prompta sit et parata, cum sufficienti apparatu, eodem die ad ultimum, ad locum per admirallum nostrum indè assignandum, ad proficiscendum super mare cum navigio prædicto, sine difficultate aliquali, juxta promissionem indè per vos factam; scientes, *&c. ut supra in primo patenti.*

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Decembris.

Pro episcopo Wynton', de confirmatione pardonationis suæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 2. m. 2. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. Inspeximus quasdam litteras nostras patentes, quas venerabili in CHRISTO patri, Willielmo episcopo Wynton' nuper fieri fecimus, in hæc verba:

Ricardus, DEI gratiâ, &c. *prout sub datâ xxxi. diei Julii de verbo ad verbum usque ad finem, et tunc sic:*

Nos autem, ad instanciam et specialem rogatum communitatis regni nostri Angliæ, de avisamento et unanimi assensu prælatorum, ducis, comitum, baronum, magnatum, procerum et aliorum de concilio nostro, in præsenti parliamento nostro apud Westmonasterium, in Quindenâ Sancti Michaelis anno regnorum nostrorum primo tento, nobiscum assistentium, ob reverentiam DEI et sanctæ matris ecclesiæ, et specialem affectionem, quam ad personam ipsius episcopi, suis meritis exigentibus, gerimus et habemus, prædictas litteras nostras, quas in eodem parliamento nostro videri, legi, et diligenter examinari fecimus, necnon omnes gratias, pardonationes, quietancias, concessiones, relaxationes, ac omnia alia et singula in dictis litteris nostris contenta, cum eorum circumstanciis quibuscumque, præfato episcopo, ecclesiæ suæ Wynton' ac successoribus, hæredibus et executoribus ipsius episcopi, et terrarum suarum tenentibus, concessa sive indulta, acceptamus, approbamus, ratificamus, et præfato episcopo, pro nobis et hæredibus nostris, imperpetuum concedimus et confirmamus, prout litteræ prædictæ pleniùs testantur.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Decembris.

Per ipsum Regem et petitionem in parliamento.

Super elongatione filii comitis de Dene.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 21. d. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo, Alano de Buxhull, constabulario turris suæ Londoniæ, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Supplicavit nobis, dilectus consanguineus noster, Henricus de Percy, comes Northumbriæ, ut cum Willielmus de Faryngdon chivaler, unà cum aliis, in prisonâ turris nostræ prædictæ, detentus sit pro elongatione filii comitis de Dene;

Qui quidem comes captus fuit de guerrâ in bello de Nazare;

Velimus facere dimitti prædictum Willielmum à prisonâ prædictâ, ad morandum cum dicto consanguineo nostro, et in comitivâ suâ pro quodam tempore;

Et super hoc idem consanguineus optulerit manucapere, ad reintrandum in dictam prisonam corpus præfati Willielmi, quando et prout ipsum consanguineum nostrum fecerimus præmuniri, nos, quia idem consanguineus noster in cancellariâ nostrâ personaliter constitutus, manucepit ad reintrandum corpus prædicti Willielmi in prisonam prædictam, quando et prout ipsum consanguineum nostrum præmuniri fecerimus, vobis mandamus quod corpus prædicti Willielmi à prisonâ prædictâ, sine dilatione, deliberetis ex causa supradicta.

Teste Rege, apud Westm', v. die Decembris.

Per breve de privato sigillo.

Pro viduis Londoniæ.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi, majori, et vicecomitibus, ac aldermannis civitatis suæ Londoniæ, salutem.

Quia datum est nobis intelligi quod, temporibus progenitorum nostrorum, cujus contrarii memoria non existit, mulieres, viduæ civitatis nostræ prædictæ, de omnibus tallagiis omnimodisque contributionibus liberè et quietè extiterunt;

Nos, earum libertates et liberas consuetudines infringi vel violari nolentes, set potiùs ipsas viduas, in suis libertatibus, et liberis consuetudinibus, tenere et custodire volentes, ut tenemur, vobis mandamus quod prædictas viduas omnes libertates et liberas consuetudines, quas totis temporibus supradictis habuerunt et usi fuerunt, habere et gaudere permittatis, easdem viduas, in hac parte, aliter quam deberent, non molestantes in aliquo, seu onerantes.

Et, si quid eis, in præmissis, injuriatum fuerit, id sine dilatione corrigi et emendari faciatis, ita quod dictæ viduæ, ex hac causa, materiam non habeant nobis de cætero, conquerendi.

Nolentes quod, si aliquid dictis viduis, per vim vel cohertionem, contra libertates et liberas consuetudines suas prædictas, indebitè factum fuerit, quod id in præjudicium aut adnullationem libertatum, et liberarum consuetudinum suarum prædictarum aliqualiter convertatur.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Decembris.

Per breve de privato sigillo.

[*Et erat patens.*]

De alienigenis expellendis.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 14. in Turr. Lond.

REX, justiciario suo Suthwalliæ, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Cum, inter cætera, in parliamento nostro apud Westmonasterium, in Quindenâ Sancti Michaelis proximò præteritâ tento, per comites, barones, et communitatem regni nostri, pro communi utilitate ejusdem regni concordata, ordinatum existat quod, quicumque alienigenæ, tam seculares, quam religiosi fratres, videlicet, mendicantes et alii, de nationibus, nobis et regno nostro Angliæ inimicis, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, regnum nostrum Angliæ, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, tam in corporibus quam bonis suis, exeant, et ab eodem regno, citra festum Purificationis Beatæ Mariæ proximò futurum, totaliter expellantur, et infra idem regnum, guerris inter nos et adversarios nostros durantibus, non redeant, nec in eodem regno receptantur ullo modo;

Prioribus ecclesiarum conventualium, et aliis personis ecclesiasticis, titulum ad terminum vitæ suæ in prioratibus, beneficiis, seu officiis suis, in eodem regno, optinentibus, et pro non suspectis, set bonis et fidelibus personis nobis et regno nostro prædicto notoriè cognitis, et etiam aliis secularibus personis infra idem regnum nostrum maritatis seu etiam hæreditatis, vel aliàs nobiscum seu aliis dominis regni nostri prædicti moram trahentibus, et in servitiis nostris retentis, qui boni et fideles et non suspecti similiter fuerint, et sufficientem securitatem de eorum fidelitate et bono gestu erga nos et regnum nostrum prædictum facere poterunt et invenire, dumtaxat exceptis;

Ac insuper quod iidem priores ecclesiarum conventualium, et alii, ut prædictum est, præexcepti, infra idem regnum nostrum continuè morentur, et extra idem regnum nullatenus transeant, aut etiam mittant, per literas, seu nuncios, nec literas vel nuncios à partibus exteris, eisdem guerris, aut treugis inter nos et dictos adversarios nostros, si quas forsan iniri contigerit, durantibus, nisi prius eosdem literas et nuncios nobis, seu concilio nostro, monstrari fecerint, sub pœnâ prædictâ, quovismodo recipiant;

Et quod omnes hujusmodi alienigenæ, ab eodem regno nostro virtute ordinationis illius recessuri, in portu villæ Dovorriæ, exindè versus Calesium, per brevia nostra, eis in cancellariâ nostrâ super hoc primitùs impetranda, absque auro, argento, jocalibus, seu aliis bonis vel rebus, præter paucos denarios pro expensis suis, et vestes necessarias, secum tantum deferendos, transeant sub forisfactura prædicta, et non alibi quovis modo;

Et si qui, dicto festo Purificationis elapso, in regno nostro prædicto, contra dictam ordinationem, inveniri poterunt, sine difficultate qualibet capiantur, et tanquam alii inimici nostri imprisonentur, prout in eadem ordinatione pleniùs continetur;

Vobis mandamus quod ordinationem prædictam in civitatibus, burgis, villis, et aliis locis, ubi melius expedire videritis, in dominio nostro, in dictis partibus Suthwalliæ, publicè proclamari et teneri faciatis in formâ prædictâ.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Decembris.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis, sub eadem data; videlicet,

Justiciario suo Northwalliæ, vel ejus locum tenenti ibidem.
Justiciario suo Westwalliæ, vel ejus locum tenenti ibidem.
Custodi terræ et dominii de Glomorgan et Morganok in Wallia, vel ejus locum tenenti ibidem.
Custodi terræ et dominii de Breghennok, vel ejus locum tenenti ibidem.
Custodi terræ et dominii de Powys, vel ejus locum tenenti ibidem.
Carissimo avunculo suo Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lancastriæ, vel ejus senescallo in partibus Walliæ.
Edmundo comiti Marchiæ, vel ejus senescallo in partibus Walliæ.
Hugoni comiti Staffordiæ, vel ejus senescallo in partibus Walliæ.
Margaretæ comitissæ Norffolciæ, vel ejus senescallo in partibus Walliæ.
Philippæ comitissæ Marchiæ, vel ejus senescallo in partibus Walliæ.
Jacobo de Audelegh, vel ejus senescallo in partibus Walliæ.
Vicecomiti Pembrochiæ.

REX, majori et ballivis villæ Dovorriæ ac custodibus portûs et passagii ibidem, salutem.

Cum, inter cætera, *&c. ut supra usque ibi*, absque auro, argento, jocalibus, equis, seu aliis bonis, vel rebus, præter paucos denarios pro expensis suis et vestes necessarias tantum, et absque literis cambitoriis, seu aliquibus aliis, regno nostro Angliæ præjudicialibus, secum aliqualiter deferendis, transeant, sub forisfacturâ prædictâ, et non alibi quovis modo;

Et si qui, *&c. ut supra usque ibi*, prout in eadem ordinatione, quam in singulis comitatibus et dominiis Angliæ et Walliæ publicè proclamari fecimus, pleniùs continetur;

Vobis mandamus quod de omnibus et singulis personis, in eodem portu, virtute ordinationis prædictæ, transituris, diligens et strictum scrutinium faciatis, et omnimoda bona et res secum seu etiam super ipsos et eorum quemlibet, ultra dictos paucos denarios pro expensis suis et vestes suas necessarias tantum, secum, ut prædictum est, deferendos, inventa, ad opus nostrum arestari, et nobis indè, ad scaccarium nostrum, secundum vim, formam, et effectum ordinationis prædictæ, responderi, et literas cambitorias, et omnia alia, nobis et regno nostro prædicto præjudicialia, si quæ forsan cum eisdem inventa fuerint, coram nobis et concilio nostro, de tempore in tempus, mitti faciatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Decembris.

REX, scrutatori forisfacturarum nostrarum in portu villæ Calesii, salutem.

Cum, *&c. ut supra usque ibi*, vobis mandamus quod, de omnibus et singulis personis, in portu prædicto, juxta formam ordinationis prædictæ, applicantibus, diligens et strictum scrutinium faciatis, et omnimoda bona et res, secum seu etiam super ipsos et eorum quemlibet, ultra dictos paucos denarios, *&c. ut supra.*

Teste ut supra.

Pro episcopo Dunolmensi, contra attemptata per archiepiscopum Eborum.

A. D. 1377. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 19. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, A. eadem gratiâ, archiepiscopo Eborum, Angliæ primati, salutem.

Cum nuper dato intelligi domino E. nuper Regi Angliæ, avo nostro, vos personam venerabilis patris Thomæ episcopi Dunolmensis, ac clerum et populum Dunolmensis diœcesis, visitare, et procurationes ab eodem clero, et diversas pecuniarum summas à populo prædicto extorquere, et alia inaudita et insolita ibidem perpetrare intendisse, aliter quam à tempore, cujus contrarii memoria non extitit, fieri fuerat consuetum;

Idem avus noster, per breve suum, vobis præceperit quod aliqua, quæ in enervationem privilegiorum aut libertatum, glorioso confessori Sancto Cuthberto ecclesiæque Dunolmensi concessorum, seu turbationem populi, vel audaciam seu solamen inimicorum nostrorum Scotiæ cederent, non attemptaretis, prout in dicto brevi latiùs continetur, sicut per inspectionem rotulorum cancellariæ ejusdem avi nostri nobis constat;

Nos, attendentes invasiones, homicidia, deprædationes, explorationes, et incendia nonnulla burgorum et villarum, infra regnum et dominia nostra, per ipsos inimicos hostiliter et fraudulenter, postquam gubernacula regni nostri susceperimus, facta;

Ac proindè, et ex aliis causis altioribus, coram nobis et concilio nostro propositis, et cordi nostro summè insidentibus, pacem, tranquillitatem, et unitatem ubique in regno nostro confovere, ac infringentes vel infringi conantes easdem, seu ad id assensum, consensum, causam, vel excitationem dantes, clàm vel palàm, castigare, et dictum breve, maximè cum de matura deliberatione et avisamento peritorum concilii ipsius avi nostri emanaverit, vim et effectum, in omnibus et singulis articulis et particulis, in eo contentis, exnunc prout extunc, firmiter retinere volentes;

Vobis districtiùs quo sciverimus vel poterimus, firmiter injungendo, mandamus quod aliqua, quæ in enervationem, derogationem, seu violationem effectûs brevis prædicti, seu alicujus articuli vel particulæ in eo contenti, seu libertatum et privilegiorum eorumdem, aut turbationem populi, vel audaciam seu solamen inimicorum prædictorum, cedere valeant quoquo modo, colore quæsito vel mandato, nullatenus, attemptetis, seu, quantum in vobis est, attemptari, procurari, vel fieri permittatis, sicut de periculo, quod indè nobis et toti regno nostro formidatur evenire, volueritis respondere;

Et, si quid attemptatum, procuratum, vel factum fuerit in præmissis, id sine dilatione qualibet omninò revocari faciatis; scientes indubiè quod, si quid in contrarium effectûs brevis prædicti, seu alicujus articuli vel particulæ in eo contenti, feceritis, prout nec per vos nec alium quemcumque quavis auctoritate fieri contentamur, vobis, tanquam hujusmodi turbationis et audaciæ occasionatori, ac contemptori mandatorum et violatori pacis nostrorum, resistere volumus, et rependere vices vestras.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Decembris.

Per concilium.

De attemptatis, super marchias Scotiæ, reformandis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Scot. 1 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Edmundo de Mortuo Mari comiti Marchiæ, Johanni de Nevill de Raby, Ricardo le Scrop senescallo hospitii sui, magistro Johanni de Appelby decano ecclesiæ Sancti Pauli Londoniæ, et magistro Johanni de Waltham clerico, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, quatuor, tres, et duos vestrùm, ad corrigendum, reformandum, et in statum debitum reducendum omnia et singula attemptata seu facta, per quoscumque incolas aut subditos regni nostri Angliæ, contra formam conventionum seu treugarum, nuper factarum et initarum inter dominum E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum, subditosque ejus ex unâ, et, claræ memoriæ, David de Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, jam defunctum, ejusque vassallos et subditos qualescumque, ex altera parte, et per illustrem principem Robertum, consanguineum nostrum, de Scotia confirmatarum;

Et specialiter ad querelas omnium et singulorum, qui de injuriis, eis contra formam dictarum treugarum, in partibus Marchiarum, videlicet, de la Estmarche et la Westmarche, regni nostri Angliæ, factis seu perpetratis, conqueri voluerint, audiendum, et plenam et celerem justitiam indè faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ, contra formam dictarum treugarum, per subditos nostros attemptata fuerint, tam tempore prædicti David quam tempore prædicti Roberti consanguinei nostri, debitè reformandum;

Et ad omnes et singulos, in hac parte delinquentes, arestandum, capiendum, et incarcerandum, et juxta eorum demerita debitè puniendum;

Et ad consimilem reformationem et punitionem de dicto consanguineo nostro, et hominibus suis de Scotia, super attemptatis per eos, et eis adhærentes, contra subditos nostros, petendum, prosequendum, et fieri faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ in hac parte necessaria fuerint vel oportuna, faciendum et exequendum:

Et ideò vobis mandamus quod vos, quatuor, tres, vel duo vestrûm, ad certos dies et loca, super hoc per vos præfigenda et etiam elonganda, præmissa omnia et singula faciatis, et exequamini in formâ prædictâ;

Super præmissis autem omnibus et singulis, faciendis et effectualiter adimplendis, damus et committimus vobis, quatuor, tribus, et duobus vestrûm, ut præmittitur, plenam et liberam, tenore præsentium, potestatem;

Universis et singulis vicecomitibus, constabulariis castrorum, et villarum majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, in partibus et dominiis prædictis, tam infra libertates quam extra, dantes, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, quatuor, tribus, et duobus vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes quotiens et prout eis, seu eorum alicui, scire feceritis ex parte nostrâ;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid vos, quatuor, tres, vel duo vestrûm, nostri nomine, feceritis in præmissis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilis commissio dirigitur Edmundo de Mortuo Mari comiti Marchiæ, Henrico de Percy comiti Northumbriæ, ac præfatis Johanni de Nevill de Raby, Ricardo le Scrop, Johanni de Appelby, et magistro Johanni de Waltham, quinque, quatuor, tribus, et duobus eorum.

Teste ut supra.

De minerâ auri et argenti commissâ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 20. d. in Turr. Lond.

CESTE endenture faite parentre nostre seignur le Roy d'une part, et Henry de Burton de l'autre part, tesmoigne;

Que come le dit Henry eit certifiez et enformez le conseil notre dit seignur le Roy de diverses mynes d'or et d'argent esteantes conteez de Cornewaill, Deveneshire et Somers', dont à notre dit seignur le Roy avendra grant profit, sicome l'avant dit Henry dit; notre dit seignur le Roy, par cause de celle information, de l'assent et avys de son dit conseil, ad grantez et lessez a ferme au dit Henry totes les mynes d'or et d'argent, qui sont trovez, et les queles il purra trover, es conteez avantditz, a avoir ovesque touz les profitz de les ditz mynes provenantz, de la

feste de la Chandeleure prochein venant, tanque a la fyn de deux anz lors procheinz ensuantz:

Rendant au dit seignur le Roy par an a son escheqer le septisme denier de touz les ditz profitz: et trovant le dit Henri pur les autres sys, paiez des ditz profitz, tous les costages affaire sur les ditz mynes, et sur touz les oevereignes de l'or et argent dycellez, par les ditz deux anz, et auxi paiant les feez d'une persone covenable, qui par le dit notre seignur le Roy serra deputez a estre son contreroulour, sanz riens demander de notre dit seignur le Roy, pur nulle des chosez avantditz;

Proveu toutefoiz, que si aucune graunde ou droit veyne d'or soit trove es ditz conteez deinz mesme le temps, l'une moytee de tout le profit de ce mesme celle veyne demoerge a dit notre seignur le Roy mesmes, et que mesme celui Henry respoigne a notre dit seignur le Roy de celle moyte a son dit escheqer; et l'autre moyte notre dit seignur le Roy voet que le dit Henry eit et reteigne devers lui, pur les coustages affaire sur celle veyne, et sur les oevereignes de lor dycelle.

En testmoignance de quels choses, a la une parte de ceste endenteure demurant devers le dit Henry, notre dit seignur le Roy ad fait mettre son graunt seal; et a l'autre parte de mesme l'endenteure, demurant devers notre seignur le Roy Richard avant dit, le dit Henry ad mys son seal.

Donne a Westm' le ii. jour de Janvier, l'an de regne notre dit seignur le Roy primer.

Per billam de privato sigillo.

De confirmatione cujusdam concordiæ, in universitate Oxon'.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 2. m. 7. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Celebratâ nuper, ut accepimus, in Crastino Purificationis Beatæ Mariæ proximò præterito, in universitate Oxon', quâdam congregatione, juxta statuta et privilegia universitatis ejusdem, ac certis gratiis, dispensationibus, et reconciliationibus diversis personis, ut est honesti moris, ibidem factis et concessis, quidam de universitate prædictâ, qui dictæ congregationi non intererant, easdem gratias, dispensationes et reconciliationes propter eorum absenciam impedire, et tam eas quam congregationem prædictam, si ipsorum potestas voluntatibus respondisset, cassare voluerunt totaliter et adnullare; et sic diversæ manutenentiæ, conventicula illicita, dissentiones, et discordiæ ibidem habita et facta fuerunt, in commotionem et terrorem universitatis illius, ac scandalum et obprobrium manifesta;

Et, perveniente ad aures carissimi avi nostri, Regis jam defuncti, clamore vehementi de præmissis, idem avus noster certos et sufficientes clericos, commissarios suos, per litteras suas patentes assignaverat, ad congregationem, gratias, dispensationes et reconciliationes prædictas, si eas debitè factas fuisse, per informationes et documenta congrua reperire possent, ipsius avi nomine roborandum, et ad dissentiones et discordias prædictas, et earum causas et circumstancias, examinandum, sedandum, pacificandum. decidendum, et finaliter terminandum, sicut per inspectionem rotulorum cancellariæ prædicti avi nostri nobis constat:

Quarum verò litterarum excitatione et prætextu, vicesimo sexto die Martii proximò jam elapso, in quadam solemni convocatione Oxon' habitâ, contrariantes in hac parte facti sunt amici, et sub hac formâ debitè et uniformiter concordarunt, videlicet;

Quod omnes illæ gratiæ, quæ per magistros Willielmum de Kekisby in theologiâ baccalarium et Thomam Swyndon, dicto vicesimo sexto die Marcii essent exhibendæ, vel quas ipsi essent exhibituri, starent imperpetuum valituræ, absque impugnatione regentium aliquali, dictique Willielmus et Thomas certas gratias eodem die in convocatione prædicta exhibuerunt pro perpetuò valituras;

Quæ quidem concordia, in præsentiâ plurimorum peritorum universitatis prædictæ, postmodum recitata, denunciata, et publicata extitit, prout per instrumentum publicum super recitatione, denunciatione et publicatione hujusmodi confectum, sigillis officiorum cancellarii universitatis prædictæ, ac decani universitatis ejusdem communitum, et in cancellariâ nostrâ exhibitum et monstratum, planè liquet.

Nos, advertentes quod fructus multiplex litteratorum in universitate prædictâ salubrius et fœcundius producetur, si pax et quies inibi foveantur, et per inquietudinem et pacis raritatem hujusmodi fructus abesse poterit verisimiliter et deleri; et cupientes, eo prætextu, ad pacem et tranquilitatem ibidem confovendam, et insolentiam studentium reprimendam, laborare, et effectualiter ponere partes nostras, nè per innovationem vel resuscitationem litis præteritæ majora incommoda et pericula succedant, prioribus graviora, dictam concordiam et omnia in eâ contenta acceptamus, approbamus, et auctoritate nostrâ regiâ roboramus, eandemque concordiam inviolabilem et firmam volumus perhenniter permanere; omnibus et singulis insuper inhibentes firmiter et districtè, nè quis ausu temerario aliquid innovet aut præsumat recitare, per quod dicta concordia turbari seu lædi poterit aliqualiter, vel infringi:

Et hoc omnibus quorum interest vel interesse poterit, innotescimus per præsentes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Januarii.

De proclamatione faciendâ, de lanis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 18. d. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum et subsidiorum nostrorum in portu villæ de Kingeston super Hull, salutem.

Mandamus vobis, quod in singulis locis infra villam prædictam, ubi melius expedire videritis, ex parte nostrâ publicè proclamari faciatis, quod omnes et singuli mercatores, qui lanas aliquas exnunc usque ad mensem Septembris eskippare voluerint, easdem lanas infra spatium quatuordecim dierum ante festum Purificationis Beatæ Mariæ proximò futurum, et menses Februarii et Martii extunc proximò sequentes, solutis priùs custumis et subsidiis nobis indè debitis, eskippare faciant, et non aliquo alio tempore, sine mandato nostro speciali, pro periculis quæ inde super mare per inimicos nostros evenire poterunt; et eosdem mercatores lanas illas in portu prædicto in formâ prædictâ, et non alio modo, eskippare permittatis: aliquo mandato nostro vobis priùs incontrarium directo, non obstante.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Januarii.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem data; videlicet,

Collectoribus in portu villæ Novi Castri super Tynam.
Collectoribus in portu villæ Berewici super Twedam.
Collectoribus in portu villæ de Sancto Botulpho.
Collectoribus in portu villæ de Lenn.
Collectoribus in portu villæ Magnæ Jernemuth.
Collectoribus in portu villæ de Ghippewico.
Collectoribus in portu villæ de Sandewico.
Collectoribus in portu civitatis London'.
Collectoribus in portu civitatis Cicestr'.
Collectoribus in portu villæ Sutht'.
Collectoribus in portu villæ de Melcombe.
Collectoribus in portu civitatis Exon'.
Collectoribus in portu villæ Bristoll'.

Super treugis cum adversario de Francia, capiendis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 13. in Turr. Lond.

LE Roy d'Engleterre et de France, a noz chers et foialx monsieur Guichard d'Angle conte de Huntyngdon, monsieur Hugh de Segrave chivaler, et meistre Wauter Skirlawe dean de Seint Martyn Grant de Londres, salutz.

Parmy la tresgrande experience et parfaite conissance, qui nous avons et tenons de voz avisementz, discretion, et leaute, confiantz certeinement d'icelles, nous, par l'avis et consentement de nostre grant conseil, de nostre certeine science et auctorite roial, donons et commettons a vous, ou a deux de vous, dont nous volons que vous conte soiez un, auctorite, plein poair, et mandement especial d'accorder, estaiblir, et accepter, ovesque les deputez et comys de Charles nostre adversaire de France, aiantz a ce faire bone et suffisante puissance et auctorite, bones, fermes, et loiales trieues, soeffrance, et abstinences de guerre, tant par terre come par mere, tant pur nous, come pur touz noz subgiez, amys, alliez, et adherenz, et pur touz noz seignuriez, terres, paiis, et lieux, tant decea la mier come dela, et nostre dit adversaire, ses subgiez, amys, alliez, aidantz, et adherens, et pur ses seignuriez, terres, paiis, et lieux quielconques, tantz et si longement a durer come bone et profitable a faire vous semblera, ovesque toutes les clauses, condicions, moderations, et circumstances, qui purront estre et serront accordez;

D'accorder, mettre, et establir commissaires, deputez, gardeins, et conservatours de mesmes les trieues, tantz, et tieles, et es lieux, qui bon vous semblera;

D'affermer et asseurer, par foy et par serement, a jurer en l'alme de nous, et par toute la meillour manere qui faire ce purra, ycelles trieues, ovesque touz ses clauses, condicions, et dependences;

Et de faire publier et crier ycelles trieus par touz les places et lieux, que a faire serra, a fin q'eles soient le mieultz conuez;

Et d'accorder, faire, convenir, et establir toutes autres choses necessaires et profitables a les trieues, ou autres devantditz, aussi avant come nous y fuissons en nostre propre persone, suppose qui plus especial mandement en serroit requis en tiel cas;

Et de faire reparer, amender, et faire redrescer touz les attemptatz et griefs contraires a les trieues, soeffrances, et abstinences avantdites, si avant come tenuz y serrons, et par manere que nostre dit adversaire serra a nous et a noz gentz en cas semblable;

Et promettons, en lealte et en bone foy, avoir et tenir, toutditz, ferm et aggreable tout ce qui serra fait par vous en les choses devantdites, et chescune d'celles.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paloys de Westm', le xvi. jour de Januer.

Par le Roi et son conseil.

De tractando cum dicto adversario, super alligantiis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc 1 Ric. II. p. 1. m. 12. in Turr. Lond.

REX, universis præsentes literas inspecturis, salutem. Noveritis quod cum, ob honorem DEI et sedis apostolicæ reverentiam, ad operosam instantiam et requisitionem venerabilium in CHRISTO patrum dominorum Ravennensis et Rothomagensis archiepiscoporum, prædictæ sedis nunciorum, pro bono pacis, inter nos et Carolum adversarium nostrum Franciæ reformandæ, specialiter directorum, dilectos et fideles nostros Guichardum d'Angle comitem Huntyngdon', Hugonem Segrave militem, et Walterum Skirlawe decretorum doctorem decanum Sancti Martini Magni Londoniæ, pro ipsius pacis tractatu, apud Bruges, in instanti festo Conversionis Sancti Pauli inchoando, nuncios nostros direxerimus speciales;

Fuerimusque per venerabiles in CHRISTO patres supradictos solicitati quampluries, et per repetitas ipsorum literas, aliquibus nostris consiliariis directas, humiliter requisiti, ut ad dictum pacis negotium dulcius maturandum, faciliùs inducendum, et firmius colligandum, tractatui etiam matrimoniali, super matrimonio inter nos et filiam ipsius adversarii nostri contrahendo, nostrum regium præberemus assensum;

Nosque, volentes, ut Regis pacifici verus filius, ea quæ pacis sunt inquirere et prosequi, dumtamen rationabilis offeratur, ac de fidelitate et circumspectione providis prædictorum comitis, Hugonis, et Walteri pleniùs confidentes;

Ad tractandum cum dicto adversario nostro, vel nunciis, deputatis vel deputandis ab eodem, super sponsalibus et matrimonio inter nos et filiam ipsius adversarii nostri contrahendo, ac super dote, dotalitio, ac donatione, propter nuptias, et arris in hac parte constituendis, sive in terris, castris, dominiis, et honoribus, seu aliis rebus quibuscumque, mobilibus vel immobilibus, consistant seu limitari debeant;

Et ea, quæ sic tractata, constituta, et consensa fuerint, quacumque securitate firmandum;

Ac omnia alia et singula quæ in præmissis, et circa ea, necessaria fuerint vel oportuna, faciendum et expediendum, etiam si mandatum exigant speciale;

Ipsis comiti, Hugoni, et Waltero, ac duobus eorumdem, quorum dictum comitem unum esse volumus, damus et concedimus plenam et liberam, tenore præsentium, potestatem;

Promittentes, pro nobis et hæredibus nostris, nos ratum et gratum habituros quicquid per dictos comitem, Hugonem, et Walterum, ac duos eorum, ut præmittitur, actum vel gestum fuerit in præmissis, et quolibet præmissorum.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Januarii.

Par le Roi et son conseil.

De bonis, quæ fuerunt Aliciæ Perrers, liberandis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, vicecomitibus London', salutem. Mandamus vobis, quod de bonis et catallis quæ fuerunt Aliciæ Perrers, per vos in manum nostram captis, tanquam nobis forisfactis, dilecto clerico nostro Alano de Stokes, custodi magnæ garderobæ nostræ, ad opus nostrum, res et parcellas subscriptas, videlicet;

Unum testerum cum dimidia celura in unâ peciâ de *baldekino rubeo*, et uno coopertorio de eadem sectâ, pretii octo librarum;

Tres curtinas de taffetâ rubeâ, pretii viginti solidorum;

Unam tabulam plicantem de Pruys cum uno covercle, pretii quadraginta *solidorum*;

Unam tabulam plicantem de Pruys, pretii viginti solidorum;

Unam ymaginem de beata Maria in uno tabernaculo, pretii centum solidorum;

Unum par tabellarum de Pruys in quadam causulâ, pretii trium solidorum et quatuor denariorum;

Unum coffrum ferro ligatum, pretii viginti solidorum;

Duos coffros ferro ligatos, pretii quadraginta solidorum;

Unum magnum coffrum cum panno lineo infra lineato, pretii decem solidorum;

Et unam tabulam longam cum tristellis, pretii quatuor solidorum;

Per indenturas indè inter vos modo debito conficiendas, continentes dictas parcellas et pretium earumdem, liberari faciatis, per quas indenturas et præsens mandatum nostrum, volumus vos indè erga nos exonerari.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Januarii.

Per billam de privato sigillo.

De compellendo habentes catalla ad valorem decem librarum, facturæ cujusdam Balingeræ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, ballivis civitatis nostræ Norwici, salutem. Cum, de assensu militum, civium et burgensium, pro communitate regni nostri Angliæ, ad parliamentum nostrum apud Westm' in Quindenâ Sancti Michaelis proximò præteritâ summonitum, venientium, ordinatum fuisset, quod certæ parvæ bargeæ, vocatæ Balingers, in regno nostro Angliæ usque ad certum terminum, per cives et probos homines civitatis vestræ prædictæ, ac aliarum civitatum et bonarum villarum ejusdem regni, citra primum diem Martii proximò futurum, fieri et parari deberent, ad proficiscendum in obsequium nostrum, in salvationem et defensionem regni nostri prædicti, cum navigio nostro, quod super mare fieri ordinatur:

Et insuper, assignavimus vos et cæteros cives civitatis prædictæ, ad unam parvam bargeam competentem, vocatam Balinger, cum remis inter quinquaginta et quadraginta fieri faciendum, et vobis mandaverimus quod bargeam prædictam, cum omni celeritate quâ fieri poterit, citra dictum primum diem Martii, ad custus proborum, validiorum, et magis divitum hominum civitatis prædictæ tantum, et non aliorum, alias gentes mediocres ad expensas bargeæ prædictæ nullatenus onerantes, quacumque excusatione cessante, fieri et parari faceretis, prout in litteris nostris patentibus indè confectis, plenius continetur.

Jamque datum sit nobis intelligi, quod quamplures mercatores et alii cives civitatis prædictæ, licet ipsi satis sufficientes in bonis, mercandisis, et cæteris suis possessionibus, fuerint, ad contribuendum expensis circa facturam bargeæ prædictæ apponendis omninò recusant, et ad aliquid solvendum in hac parte expressè contradicunt, in nostri et regni nostri prædicti periculum, dampnum manifesta, ac contra ordinationem supradictam:

Nos, hujusmodi dampno et præjudicio, prout convenit, obviare volentes, vobis, districtiùs quo poterimus, firmiter injungendo, mandamus, quatinùs omnes et singulos cives communitatis prædictæ, mercandisas, bona seu catalla, seu terras vel tenementa, ad valorem decem librarum et ultra habentes, ad contribuendum expensis circa constructionem dictæ bargeæ apponendis, quibuscumque excusatione et dilatione postpositis, per districtionem et alio modo legitimo quocumque, compellatis;

Ita semper quod dicta bargea circa dictum primum diem Martii plenariè fiat, et totaliter, sicut prædictum est, paretur; et quod mediocres gentes statûs inferioris, vel etiam aliqui pauperes, ad contribuendum, vel ad aliquid solvendum in hac parte, minimè compellantur. Et hoc sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Januarii.

Custodia manerii de Asshehurst Adæ Pynkhurst conceditur.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 3. m. 32. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de graciâ nostrâ speciali, concessimus dilecto nobis Adæ Pynkhurst, uni sagittariorum carissimi domini et avi nostri defuncti, custodiam manerii et parci nostrorum de Asshehurst in comitatu Surriæ, habendam quamdiu nobis placuerit, et ipse benè se gesserit in officio supradicto;

Percipiendo pro custodiâ prædictâ tres denarios per diem pro vadiis suis, quamdiu custodiam habuerit supradictam.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxix. die Januarii.

Per breve de privato sigillo.

Pro Mundina Danos, nutrice Regis.

A. D. 1378. An 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 3. m. 7. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de graciâ nostrâ speciali, et pro bono servicio quod dilecta nobis Mundina Danos, de partibus Aquitanniæ, nobis impendit, et consideratione quod ipsa nutrix nostra extitit;

Concessimus præfatæ Mundinæ triginta libras, percipiendas singulis annis ad totam vitam suam, de exitibus sive firmâ manerii nostri de Wyttele in comitatu Surriæ, per manus custodum, ballivorum, sive firmariorum manerii prædicti, pro tempore existentium, ad terminos Paschæ et Sancti Michaelis per æquales portiones.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Februarii.

Per breve de privato sigillo.

De certis custumis Regi reservandis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum et subsidiorum nostrorum in portu villæ Berewici super Twedam, salutem.

Licet nuper vobis mandaverimus, quod de quolibet sacco lanæ, et de quibuslibet ducentis et quadraginta pellibus lanutis, quæ in navibus à festo Sancti Nicholai proximò præterito, carcata fuerunt, et extunc in eodem portu carcari contingeret, sex solidos et octo denarios de indigenis, et decem solidos de alienigenis, de antiquâ custumâ, pro expensis hospitii nostri reservari, et custumam coriorum, stanni, plumbi et aliarum parvarum custumarum quarumcumque, similiter à dicto festo in navibus in eodem portu carcatorum et carcandorum, unà cum exitibus de coketto, thesaurario et camerario nostris, ad receptam scaccarii nostri de tempore in tempus solvi faceretis:

Quibusdam tamen certis de causis, vobis mandamus quod easdem custumas, videlicet, dimidiam marcam de quolibet sacco lanæ, et de quibuslibet ducentis et quadraginta pellibus lanutis de indigenis, et decem solidos de alienigenis, et omnes alias parvas custumas supradictas, nobis ex causâ prædictâ integrè reservetis, à die coronationis nostræ et extunc, quousque aliud à nobis indè habueritis in mandatis.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Februarii.

Per billam thesaurarii.

Consimilia brevia diriguntur collectoribus subscriptis, sub eadem datâ; videlicet,

Collectoribus in portu villæ Novi Castri super Tynam.

Collectoribus in portu villæ de Kingeston super Hull.

Collectoribus in portu villæ de Sancto Botulpho.

Collectoribus in portu villæ de Lenn.

Collectoribus in portu villæ Magnæ Jeremuth.

Collectoribus in portu villæ de Gippewico.

Collectoribus in portu civitatis London.

Collectoribus in portu villæ de Sandewico.

Collectoribus in portu villæ Cicestr'.

Collectoribus in portu villæ Suthť.

Collectoribus in portu villæ de Melcombe.

Collectoribus in portu civitatis Exon'.

Collectoribus in portu villæ Bristoll.

Pro hominibus manerii de Mere, in comitatu Wiltes.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 13. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, et ministris civitatum, burgorum, villarum, et aliorum locorum infra regnum nostrum Angliæ quorumcumque, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Ex parte dilectorum tenentium nostrorum manerii nostri de Mere, quod est parcella ducatûs nostri Cornubiæ, nobis est ostensum, quod, licet iidem tenentes et omnes antecessores sui, tenentes manerii prædicti, à tempore cujus contrarii memoria non existit, quieti esse consueverint à præstatione theolonei per totum regnum nostrum Angliæ:

Iidem tamen tenentes ad solvendum theoloneum de bonis et rebus suis, ad diversa loca infra idem regnum adductis, et exindè delatis, in eisdem locis graviter distringuntur, et eâ occasione multipliciter inquietantur minus justè, in nostri præjudicium, et ipsorum tenentium dampnum non modicum et gravamen; et quia eisdem tenentibus injuriari nolumus in hac parte;

Vobis mandamus, quod si ita est, tunc ab hujusmodi districtionibus et inquietationibus præfatis tenentibus, occasione præmissâ, decæterò faciendis, desistentes, ipsos de hujusmodi theoloneo vobis de bonis et rebus suis præstando, quietos esse permittatis, prout indè quieti esse debent, et ipsi et antecessores sui prædicti de hujusmodi theoloneo à tempore prædicto hucusque quieti esse consueverunt; et districtionem, si quam eis, vel eorum alicui, occasione præmissâ feceritis, sine dilatione relaxari faciatis eisdem.

Teste Rege, apud Westm', x. die Februarii.

[*Et erat patens.*]

Pro Hugone de Calvyle, capitaneo Calesii.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 2. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. salutem. Sciatis quod, propter necessariam defensionem villæ nostræ Calesii, ac partium adjacentium, volumus et concedimus quod dilectus et fidelis noster Hugo de Calvyle, capitaneus villæ nostræ prædictæ, omnes et singulas naves et bargeas ad portum ejusdem villæ Calesii declinantes, de tempore in tempus, quotiens expediens fore viderit, unà cum eskippamento marinariorum navium et bargearum prædictarum, capere valeat et arestare, ad proficiscendum in obsequium nostrum super costeram maris, in defensionem regni nostri Angliæ et dictæ villæ Calesii, et partium illarum, pro vadiis per ipsum Hugonem in hac parte solvendis.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm injungimus et mandamus, quod eidem Hugoni et deputatis suis in hac parte, in præmissis intendentes sitis, respondentes, et obedientes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Februarii.

Per consilium.

De protectione pro comitivâ Petri de Courtenay.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 1. in Turr Lond.

JOHANNES DE MERIET chivaler, qui in obsequium Regis, in comitivâ dilecti consanguinei et fidelis Regis Petri de Courtenay, supra mare profecturus est, habet litteras Regis de protectione cum clausulâ 'Volumus,' per dimidium annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Februarii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles literas Regis de protectione habent subscripti, qui in obsequium Regis, in comitivâ præfati Petri supra mare profecturi sunt, usque ad festum Sancti Michaelis proximo futurum duraturas; videlicet,

Thomas Broke de comitatu Devon'.
Willielmus Mounk de comitatu Devon'.
Thomas Lond' de comitatu Somers'.
Willielmus Cysel.
Johannes Testewode.
Walterus Denys de comitatu Devon'.
Willielmus Godewyn de comitatu Somers'.
Ricardus Clyvedon de comitatu Somers'.
Johannes Aver de comitatu Devon'.
Robertus Forde de comitatu Somers'.
Johannes Farewey de comitatu Devon'.
Willielmus Appeldore de comitatu Devon'.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Februarii.

Per billam de privato sigillo.

De inventario faciendo de bonis, quæ fuerunt domini Edwardi nuper Regis Angliæ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 3. m. 6 in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Ricardo de Abberbury, Nicholao Bonde, militibus, Johanni de Armesthorpe et Johanni Bacon, camerariis scaccarii nostri, salutem.

Sciatis quod nos fidelitate et circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, tres vel duos vestrûm, ad supervidendum ex parte nostrâ, in præsentiâ dilectorum et fidelium nostrorum Rogeri de Bello Campo, Roberti de Assheton, et Johannis de Ipre, militum, et Nicholai Carreu, vel unius eorum, omnia jocalia et alia bona quæcumque, quæ fuerunt carissimi domini Edwardi nuper Regis Angliæ defuncti, die obitus sui, in quorumcumque manibus existant:

Et ad faciendum bonum et fidele inventarium de omnibus jocalibus et aliis bonis prædictis, continens particulas et verum precium eorumdem; et ad onerandum super Sancta Ewangelia omnes illos, qui habent in custodiâ vel in manibus dicta jocalia et bona, et sub pœnâ omnium quæ nobis forisfacere possint, quod omnia prædicta jocalia et bona plenè et fideliter absque concelamento aliquo ostendent;

Et quod informabunt etiam vos de nominibus omnium aliorum, quos noverint in manibus, in custodiâ, vel alio modo aliqua bonorum prædictorum habere, et ad capiendum homines in hac parte sciolos, et eos per eorum sacramenta onerandum ad appreciandum fideliter jocalia et bona supradicta.

Et ideò vobis mandamus, firmiter injungentes, quod circa præmissa cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

In cujus, &ç.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Februarii.

Per billam de privato sigillo.

De villâ Oxoniæ fortificandâ, propter periculum, si Franci, quod raro fecerunt, invasionem faciant.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis suis villæ Oxoniæ, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum, ut certè didicimus, muri et turelli villæ prædictæ, quæ ab antiquo firmari et claudi solebant, adeò debiles et ruinosi devenerunt, et fossata, quæ ab antiquo lata et profunda esse solebant, taliter obstructa existunt, quod villa prædicta, si inimici nostri Franciæ in regnum nostrum Angliæ applicuerint, quod absit, sicut raro fecerunt, in maximo periculo consistit, nisi celerius remedium apponatur:

Et licet vos, ac cæteri cives et probi homines ibidem pro salvatione villæ illius, ac communi utilitate vestrâ, et aliorum de partibus adjacentibus ad dictam villam confluentium, si periculum ibidem imineat aliquale, fueritis et sitis in voluntate et firmo proposito muros, et turellos, ac portas villæ prædictæ reparare et emendare, necnon eadem fossata, et clausuras dictæ villæ mundare, vestris ac communibus expensis hominum de villâ prædictâ, propter hujusmodi pericula præcavenda, et quamplura alia, ad fortificationem dictæ villæ valdè necessaria, facere volueritis, et ea sic fieri disposueritis, quidam tamen malivoli homines ibidem, licet in facultatibus et possessionibus sufficientes fuerint, ad contribuendum expensis, pro salvatione ejusdem villæ apponendis, omninò contradicunt, nec se volunt ad hoc per vos aliqualiter justiciari;

Et quia utilitatem reipublicæ, ubique in regno nostro Angliæ, fieri volumus, ut tenemur, vobis mandamus quod muros, turellos, portas, fossata, et clausuras villæ prædictæ, cum omni celeritate, debitè reparari et construi et emendari;

Et insuper quascumque personas, tam religiosas quam seculares, terras, tenementa, seu redditus, aut etiam mercandisas, aut alia bona, infra libertatem dictæ villæ habentes, seu imposterùm habituri, ad contribuendum expensis, circa reparationem, emendationem, et constructionem omnium et singulorum præmissorum, pro salvatione dictæ villæ, apponendis, quemlibet eorumdem, videlicet, juxta facultates et possessiones suas, nemini in hac parte parcendo, pauperibus et mendicantibus dumtaxat exceptis, per districtiones et alios vias et modos quibus melius et celerius poteritis, quacumque excusatione cessante, compelli faciatis; et hoc nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

[*Et erat patens.*]

De protectione pro quibusdam studentibus in universitate Oxon.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 1. m. 2. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilecti nobis in CHRISTO frater Dalmacus de Raxach, et frater Franciscus de Graynoylles de regno Arragoniæ, ordinis Fratrum Minorum, nuper in regnum nostrum Angliæ venissent, in universitate Oxon' in studio moraturi.

Nos, volentes pro securitate ipsorum Dalmaci et Francisci, qui de amicitiâ et benevolentiâ nostrâ existunt, ut intelleximus, graciosè providere, suscepimus ipsos Dalmacum et Franciscum in universitate prædictâ et alibi infra regnum nostrum Angliæ, causâ studii morando, studendo, et hinc inde eâ de causâ transeundo, pro eorum libito voluntatis, in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensionem nostras speciales:

Et ideò vobis mandamus, quod eisdem Dalmaco et Francisco in universitate prædictâ, et alibi infra regnum nostrum Angliæ, causâ studii morando, studendo, et hinc indè eâ de causâ transeundo, ut prædictum est, non inferatis, seu, quantum in vobis est, ab aliis inferri permittatis, injuriam, molestiam, dampnum, arestum, impedimentum aliquod, seu gravamen; et si quid, &c.

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Februarii.

De protectione, pro comitivâ Regis Castellæ.

A. D. 1378. An. 1 Ric II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 18. in Turr. Lond.

JOHANNES NOREYS miles, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi avunculi Regis Johannis Regis Castellæ et Legionis et ducis Lancastriæ, supra mare profecturus est, habet literas Regis de protectione, cum clausula 'Volumus,' usque ad festum Sancti Michaelis proximò futurum, duraturas. Pr., &c.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Martii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles literas Regis habent subscripti, qui in idem obsequium in comitiva ejusdem ducis supra mare profecturi sunt, per idem tempus duraturas.

Gilbertus Denys.
Willielmus Gybon capellanus.
Ricardus Boys.
Thomas Penthelyn.
Willielmus Poleyn.
Johannes Hunte.

Edmundus de la Pole miles.
Johannes Burton armiger.
Johannes Rokel de comitatu Essexiæ, armiger.
Thomas de Caketon, civis Londoniæ.
Johannes Wake de Clyston.
Thomas Ernysby de Londonia, armiger.
Robertus de Standish filius Johannis de Standish.
Willielmus de Bulkeley de Chedill.
Rogerus Colman.
Ricardus Glover armiger.
Willielmus Hauley chivaler.
Johannes Rygmaudon.
Ricardus de Hampton.
Johannes Wyghtryng.
Adam de Syngulton.
Johannes Kerle.
Edmundus de Wassyngton.
Ricardus Dynelay.
Thomas del Marche.
Johannes de Asheton.
Thomas Goys.
Walterus Blount.
Ricardus de Balderston miles.
Robertus Harpere de Maxfeld.
Stephanus Worlyk.
Johannes Chaunceux miles.
Thomas Beaumond miles.
Ricardus Hoo de Canterbiry.
Michael de la Pole miles.
Johannes Blount de Beveresbrok miles, de comitatu Wiltes.
Rogerus Gayly.
Johannes Mersh.
Ricardus Brond de Londonia.
Ricardus Kent stokfishmonger, de Londonia.
Sampson de Metham de comitatu Hertfordiæ.
Johannes filius Willielmi de Grafton, clericus, de comitatu Buks.
Johannes Kersle drover.
Alexander de Lounde armiger.
Johannes Mersh de comitatu Northamptoniæ.
Robertus Frye, civis Londoniæ.
Johannes Swan.
Robertus de Pilkynton, armiger senescalli dominii Halton in comitatu Cestriæ.
Gerardus de Lounde miles.
Johannes Whyte de Tykhill.
Johannes Boteller chivaler.
Thomas de Suthworth chivaler.
Thomas Driffeld.
Robertus Standish armiger.
Ricardus Parker de Piryton.

De jocalibus thesaurario et camerario liberandis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri W. eâdem gratia, episcopo London, ac dilecto et fideli suo Ricardo comiti Arundell, salutem.

Cum dilecti et fideles nostri Nicholaus Brembre, Willielmus Walworth, Johannes Philipot et Johannes Haddele cives London', et alii mercatores regni nostri Angliæ, decem milia librarum nobis in magnâ necessitate nostrâ accommodassent, et nos per litteras nostras pro dictâ summâ eisdem Nicholao, Willielmo et Johanni obligati fuerimus, ac certa jocalia pro securitate dictorum mercatorum vobis fecerimus liberari, ad eadem jocalia, tanquam in manu mediâ, tam pro securitate ipsorum mercatorum quam certorum dominorum, qui præfato Johanni Philipot in summâ prædictâ pro nobis se liberaliter obligarunt, salvò custodienda;

Et quia mercatoribus prædictis, de dictâ summâ decem milium librarum nobis sic accommodatâ, plenè satisfactum existit, sicut iidem Willielmus et Johannes Philipot coram concilio nostro recognoverunt:

Vobis mandamus quod omnia jocalia prædicta, sub custodiâ vestrâ, ex causâ prædictâ existentia, thesaurario et camerario nostris deliberari faciatis indilatè: de quibus quidem jocalibus, ac de custodiâ eorumdem cum deliberata fuerint, volumus vos erga nos et hæredes nostros plenariè exonerari et quietari imperpetuum per præsentes.

Teste Rege, apud Westm', x. die Martii.

De confirmatione pro comite de Mark'.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 4. m. 25. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Constat nobis per inspectionem rotulorum cancellariæ domini Edwardi nuper Regis Angliæ, avi nostri, quod idem avus noster litteras suas patentes fieri fecit in hæc verba:

EDWARDUS, DEI gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Sciatis quod, cum nos nuper, intuitu homagii et fidelitatis, quæ bonæ memoriæ Adulphus nuper comes de Mark' nobis fecit, necnon propter servitia et auxilia nobis per eum impensa, et per ipsum et hæredes suos impendenda, per litteras nostras patentes concesserimus eidem comiti et hæredibus suis quadringentos florenos de Florenciâ, percipiendos singulis annis ad scaccarium nostrum, ad terminos Paschæ et Sancti Michaelis, per æquales portiones.

Nos, pro eo quod dilectus et fidelis noster Engelbertus, filius et hæres ejusdem Adulphi, homagium et fidelitatem nobis fecit, et dictas litteras nostras patentes nobis restituit; ac pro servicio ipsius Engelberti jam comitis de Mark', et hæredum suorum nobis et hæredibus nostris impendendo, concessimus eidem Engelberto quadringentos florenos, præcii cujuslibet trium solidorum sterlingorum, percipiendos eidem Engelberto et hæredibus suis singulis annis, ad scaccarium prædictum, ad terminos prædictos, per æquales portiones.

In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes.

Teste me ipso apud Westm', xv. die Octobris, anno regni nostri Angliæ vicesimo sexto, regni verò nostri Franciæ tertiodecimo.

Nos autem, concessionem prædictam ratam habentes et gratam, eam, secundum formam litterarum prædictarum, de gratiâ nostrâ speciali approbamus, ratificamus, et, tenore præsentium, confirmamus.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xi. die Marcii.

Per magnum concilium.

De protectione, pro comitivâ Thomæ Trevet.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

LAURENCIUS DRYNG, qui in obsequium Regis, in comitivâ Thomæ Trevet ad partes Vasconiæ profecturus est, ibidem in obsequium Regis moraturus, habet litteras Regis de protectione cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege apud Westm', xvi. die Marcii.

Per billam, &c.

Consimiles litteras Regis habent subscripti, qui in obsequium Regis versus partes prædictas in comitivâ præfati Thomæ profecturi sunt, per idem tempus duraturas; videlicet,

Robertus Courteman de Grantham,
Robertus Pulteney,
Walterus Brunne,
Radulphus Brunne,
Ricardus Pulteney,
Johannes Chaumber.
} *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Nicholaus Waldebufe,
Johannes Grynder,
Johannes Body,
Thomas atte Halk,
Johannes Lucas de Plesse in com' Essex.
} *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Reginaldus de la Pole. T. R. apud Westm', xxv. die Marcii. Per billam, &c.

Walterus Potenhale,
Willielmus Wynthorp.
} *T. R. apud Westm', xxxi. die Marcii.*

Johannes Houlot,
David Jordan.
} *T. R. apud Westm', viii. die Aprilis.*

Willielmus Olyver capellanus. T. R. apud Westm', xxiiii. die Aprilis.

Galfridus de Sancto Quintino. T. R. apud Westm', ii. die Maii. Per billam, &c.

Radulphus de Elyngham,
Willielmus Tendryng miles,
Rogerus Joye de Attelburgh, de com' Norff',
Johannes Jelham,
Henricus Warton,
Rogerus Holme,
Thomas Blakebourne.
} *Teste Rege, apud Westm', primo die Maii. Per billam, &c.*

Ricardus de Kyngeston. Teste Rege, apud Westm', xx. die Maii Per billam, &c.

Johannes fil' Willielmi de Grafton clericus de com' Buk. Teste Rege, apud Westm', xxv. die Maii. Per billam, &c.

Ad ingenia, vocata Canons, pro castro de Brest, providenda.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 15. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Thomam Norwich ad emendum et providendum, ad opus nostrum, per supervisum dilecti nobis Thomæ Restwold, in civitate nostra Londoniæ, et alibi infra libertates et extra, pro denariis nostris, promptè in manu per manus dicti Thomæ solvendis, duo magna et duo minora ingenia, vocata Canons, sexcentas petras pro eisdem ingeniis, et pro aliis ingeniis, duodecim balistas, quatuor milia querellorum, centum arcus, trescentas garbas sagittarum, sex milia bordarum de waynscot, tres mille libras ferri, centum garbas aceris, et viginti milia clavorum magnorum et parvorum, trescentas libras de salpetre, centum libras sulphuris vini, unum dolium carbonum de Salugh, sex secures, duas sawes, sex naugers, duodecim pykoys, centum bacones, duo milia de stokfysh, et dolia et barelles pro præmissis imponendis, pro stauro et munitione castri nostri de Brest;

Et ideò vobis mandamus quod eidem Thomæ, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum, super hoc, ex parte nostrâ, fueritis requisiti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Martii.

De navi, vocatâ la Alice, apud castrum præfatum, moraturâ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 4. m. 20. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod de gratiâ nostrâ speciali, et pro eo quod dilectus et fidelis miles noster Richardus Abberbury ordinatur ad morandum apud castrum de Brest in Britannia, in obsequio nostro, super salvâ custodiâ castri prædicti, ad opus nostrum, et ad proficuum nostrum et regni nostri;

Concessimus eidem militi nostro navem vocatam la Alice, unà cum batello, et toto apparatu, ad eandem navem pertinente, quæ fuit carissimi domini et avi nostri nuper Regis Angliæ defuncti;

Habendam eidem Richardo, de dono nostro, ad finem quod ipse habeat dictam navem, morantem cum eo, apud castrum prædictum, ad gravamen, quod poterit, cum navi illâ, inimicis nostris supra mare faciendum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

De acquietantia pro jocalibus liberatis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 4. m. 25. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Por ce que le reverent piere en DIEU William evesque de Londres et nostre chier et foial cosin Richard conte d'Arundell ont liverez a noz tresorer et chamberleins de nostre eschequer, a nostre oeps, les joialx que ensuient; c'estassavoir,

Trois grandes corones d'or, ovesque rubies, saffirs, emeraudes, et perles grosses, c'estassavoir, la meilloure corone trove en la garde de monseur Philipp la Vache, gardein des ditz joialx, et la corone de Spaigne, et la tierce melloure corone trove aussi en le garde de dit monseur Philipp;

Item, une grande nouche, ovesque une grant cerf blank en mylieu, naufrees d'une rubie, poisante iv. l. xx. d.;

Item, la palet d'Espaigne tout d'or et de perre, ovesque les trois peces de la suite;

Item, tout la vessel d'or trovez en la garde de dit monseur Philipp;

Touz les queux joialx estoient n'adgairs baillez as ditz evesque et conte, a garder, en ouele main, pur greindre seurtee de paiement de une somme de dys mille livers d'esterlinges, par Johan Philipot citein de Londres et certeins autres merchantz, apprestee a nous en eide et avancement d'une viage et armee, lors ordenez d'estre fait sur la meer;

Nous, del assent et accorde de nostre conseil, veullantz purvoier a la seurtee et salvacion des ditz evesque et conte en celle partie, mesmes les evesque et conte, des touz les joialx susdites et de la garde d'ycelles, quitons, delivrons, et absolons, et eux, lour heirs, et executours en deschargeons, as touz jours, par le teneure de cestes presentes lettres;

Veullantz et grantantz pur nous, et pur noz heirs, que les ditz evesque et conte, ou ascun d'eux, leur heirs, executours, ou terre tenantz, de la garde des ditz joialx, ou de la receite d'ycelles, en temps a venir, ne soient empeschez, grevez, ne melestez, par nulle voie, par nous, ne noz heirs, n'autres ministres n'officers de nous, ne de noz heirs queconques.

En tesmoignance de quele chose as cestes noz lettres patentes nous avons fait mettre nostre grant seal.

Don' a Westm', le xix. jour de Marz.

Per billam de concilio sub sigillo prædicti thesaurarii consignatam.

De acquietantiâ pro Rege irrotulatâ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 8 d. in Turr. Lond.

A TOUZ ceux qui cestes lettres verront ou orront, nous mair et communaltee de la citee de Londres, salutz.

Come nadgaires, al graunt eaide et requeste de notre tresredoute seignour Richard, par la grace de DIEU Roy d'Engleterre et de France et seignour d'Irland, nous lui apprestames cynk mill livres d'esterlinges, en queux de sa propre science, et sibien de l'avys de son plein conseil, come d'autres grauntz de son roialme d'Engleterre, il se reconuist d'estre debtour, et tenuz a nous, mair et comunaltee, ou noz successours, a paier par les mains de ses custumers el port de Londres, parentre la date de ses lettres patentes, portantz date le quint jour d'Octobre, l'an de son regne primer, et le feste del Annunciation notre Dame adonques proschein ensuant, ou a mesme le feste.

Et a greindre seurte du dit paiement, feust ordenez et assentuz par l'avis de notre dit seignour le Roy et de son dit conseil, et des autres grauntz du roialme, sibien de ceux qui sont nommez pur executours du Roi Edward, aiel notre dit seignour le Roy come d'autres, que certeins joyalx, perree et vesseal a la value de cynk mill livres, que sont en vynt et un coffres et casses, nous feurent mys en gage, come par les dites lettres notre dit seignour le Roy patentes plus au pleyn est contenuz.

Sachez nous, avantditz mair et comunaltee, avoir resceuz de Nicholl Brembre et Johan Philippot, custumers notre dit seignour le Roy el port de Londres, les cynk mill livres suisditz a nous duez; des queuz nous tenons estre pleinement purpaiez, et notre dit seignour le Roy et ses custumers quites par icestes:

En tesmoignance de quele chose a cestes lettres avons mys notre commune seal, le dys et noefisme jour de Marcz, l'an du regne notre dit seignour le Roy primer.

Et memorandum quod prædictus major, duodecimo die Aprilis anno presenti, venit apud Westm', coram magno concilio domini Regis, et recognovit pro se et communitate prædictâ dictum scriptum, et omnia contenta in eodem in formâ prædictâ: quod quidem scriptum ex precepto dicti concilii liberatur thesaurario Regis, in thesaurariâ Regis custodiendum.

De universitate Oxoniæ ad respondendum, coram Rege, super excessibus perpetratis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, cancellario universitatis Oxoniæ, ac procuratoribus ejusdem universitatis, salutem.

Cum, temporibus progenitorum nostrorum, in universitate nostrâ prædictâ, tempore Quadragesimali, plus quam aliquo alio tempore anni, instigante pacis æmulo, solebat pax periculosè turbari;

Nos, cupientes pacem et tranquillitatem ejusdem universitatis conservari plenius et foveri, miserimus, de familiâ et latere nostris, quosdam viros ad vos, fidedignos et pacificos, pro conservatione pacis, commodo, et honore universitatis prædictæ;

Vos tamen, spreto modestiæ fræno, prædictos nuncios nostros, affabiliter vos alloquentes, irascibili vultu et protervo recepistis irreverenter, et à vobis omni responsione bonâ vacuos dimisistis et inanes, dictique nuncii nostri, diversis contumeliis et injuriis lacessiti,

ad nos redierunt sine honore, non sine nostro contemptu et vituperio non modico, et coronæ nostræ læsione manifesta;

Vobis, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, mandamus, firmiter injungentes, quod in propriis personis vestris, unà cum tribus monachis, videlicet, quodam monacho de Gloucestria, quodam monacho ecclesiæ Christi Cantuariæ, et quodam monacho de Norwico, in universitate prædictâ commorantibus, qui ad malefacta prædicta facienda adjutores fuerunt, ut dicitur, ac quibuscumque cartis et aliis munimentis, libertates et privilegia, eidem universitati per quoscumque progenitores nostros concessa, qualitercumque tangentibus, sitis coram nobis et concilio nostro, apud Westmonasterium, die Lunæ proximò futuro, ad respondendum ibidem super hiis et aliis, vobis ex parte nostrâ tunc obiciendis:

Vobis insuper, districtiùs quo poterimus, prohibemus ne aliqua libertates seu privilegia, vobis, ante hæc tempora, à progenitoribus nostris, ut prædictum est, concessa, quousque aliud indè duxerimus ordinandum, uti vel excercere quovis modo præsumatis sub forisfacturâ antedictâ.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Martii.

Per ipsum Regem et concilium.

De proclamatione faciendâ, de lanis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 6. d. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum suarum in portu villæ Novi Castri super Tynam, salutem.

Licet, octavo die Januarii proximò præterito, vobis mandaverimus quod in singulis locis infra villam prædictam, ubi meliùs expedire videritis, ex parte nostrâ publicè proclamari faceretis, quod omnes et singuli mercatores, qui lanas aliquas extunc usque ad mensem Septembris eskippare vellent, easdem lanas infra spatium quatuordecim dierum ante festum Purificationis Beatæ Mariæ proximò futurum, et menses Februarii et Martii extunc proximò sequentes, et non alio tempore, absque mandato nostro speciali, pro periculis quæ super mare per inimicos nostros evenire possent, eskippari facerent, prout in eodem mandato pleniùs continetur:

De assensu tamen concilii nostri vobis mandamus, quod in singulis locis infra villam prædictam, ubi melius expedire videritis, publicè proclamari faciatis, quod omnes et singuli mercatores, qui lanas aliquas usque villam nostram Calesii ducere voluerint, easdem lanas in eodem portu suo periculo eskippare, et eas ad voluntatem suam versus dictam villam nostram Calesii extunc, solutis priùs custumis et subsidiis nobis indè debitis, transducere possint, et ipsos mercatores dictas lanas usque villam illam, in formâ prædictâ, transducere permittatis, quousque aliud indè duxerimus ordinandum: mandato nostro prædicto non obstante. Et hoc nullatenus omittatis. Ita semper quod salvò et secure transeant, juxta formam proclamationis priùs inde factæ.

Teste Rege, apud Westm', xxiiii. die Martis.

Per billam Thes'.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem data; videlicet,

Collectoribus in portu villæ Kingeston super Hull.
Collectoribus in portu villæ de Sancto Botulpho.
Collectoribus in portu villæ de Lenn.
Collectoribus in portu villæ Magnæ Jernemuth.
Collectoribus in portu villæ Gippewici.
Collectoribus in portu villæ de Sandewico.
Collectoribus in portu civitatis Cicestr'.
Collectoribus in portu villæ Suthť.
Collectoribus, &c. in portu civitatis London.

Pro capitali de Bogeo, super burgesiâ suâ, de non exhæredando.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi, majori, juratis, et probis hominibus civitatis nostræ Burdegalæ, salutem.

Monstravit nobis dilectus et fidelis noster Archibaldus de Greilly, capitalis de Bogeo, avunculus et hæres Johannis de Greilly, nuper capitalis de Bogeo, quod licet idem Archibaldus jam, per mortem præfati Johannis, qui domum de Podio Paulini Burdegalæ, dum vixit, in feodo et hæreditate tenuit, quæ quidem domus quondam fuit domini de Podio Paulini, domum ipsam in feodo et hæreditate, per successionem hæreditariam, in civitate nostrâ Burdegalæ, possideat;

Et tam dictus Johannes quam omnes alii domini, qui dictam domum in feodo et hæreditate possiderant, à tempore cujus contrarii memoria non existit, ratione domûs illius, burgenses civitatis prædictæ extiterunt, et burgesiam ibidem in feodo et hæreditate habuerunt eidem domui pertinentem et annexam;

Nichilominus vos, colore quarumdam literarum patentium domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, tricesimo die Septembris, anno regni sui Angliæ quadragesimo nono, factarum, per quas voluit, concessit, et confirmavit, ex certis causis, in dictis literis expressatis, quod nullus generosus, miles, seu alius quicumque, reputans se generosæ conditionis existere, aliquis burgensis ejusdem civitatis ex tunc fieret quomodolibet in futurum, nitimini ipsum Archibaldum à dictâ burgesiâ suâ expellere et exhæredare;

Super quo nobis supplicavit sibi per nos remedium adhiberi;

Et quia, habitâ per concilium nostrum, super tenore literarum prædictarum, in rotulis cancellariæ dicti avi nostri irrotulatarum, deliberatione plenariâ, clarè liquet literas, concessionem, et ordinationem dicti avi nostri prædictas ad hoc duntaxat, quod nullus generosus, miles, seu alius quicumque, reputans se generosæ conditionis existere, aliquis burgensis ejusdem civitatis, à prædicto tricesimo die Septembris, in futurum fieret, ut prædictum est, se extendere, et non ad priores burgenses, vel eorum hæredes, quantumcumque generosos, seu generosæ conditionis, à burgesiis suis ibidem expellendos seu exhæredandos;

Volentes præfato Archibaldo in ea parte fieri quod est justum, vobis, ex consideratione dicti concilii nostri, mandamus quod, si dictus Johannes, et omnes alii domini, qui dictam domum in feodo et hæreditate possiderant, ratione domûs illius, burgenses civitatis prædictæ extiterunt, et burgesiam ibidem, eidem domui pertinentem et annexam, habuerunt, ut prædictum est;

Tunc vos dictum Archibaldum burgesiam suam, ratione domûs suæ prædictæ, in civitate prædictâ, habere, ipsâque burgesiâ, cum omnibus ad eam pertinentibus, uti et gaudere permittatis, prout prædictus Johannes, et omnes alii domini supradicti, burgesiâ suâ ibidem, ratione domûs illius, à tempore prædicto, uti et gaudere consueverunt, absque impedimento aliquo super hoc præfato Archibaldo, colore literarum concessionis, et ordinationis dicti avi nostri prædictarum, aliqualiter faciendo.

Data apud Westm', xxvi. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

De non ducendo priorem Sanctæ Frideswidæ à præsentiâ concilii.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi Nicholao Haule, locum tenenti marescalli prisonæ Marescalciæ hospitii nostri, salutem.

Cum nuper, certis de causis, de avisamento concilii, dilectum nobis in Christo priorem Sanctæ Frideswidæ Oxon', qui nuper pro certis feloniis undè indictatus fuit apud Aylesbury, in prisonâ Marescalciæ prædictæ detentus fuit, apud Westm', coram concilio nostro per vos personaliter venire ordinaverimus, quo pretextu, vos ipsum priorem ibidem duci fecistis;

Ac jam intellexerimus quod vos ipsum priorem usque Aylesbury ad prædictam prisonam, absque mandato seu auctoritate concilii nostri reducere intenditis; nos nolentes quod idem prior à presenciâ dicti concilii nostri recedat, seu abindè ducatur, quousque aliud indè per nos et dictum concilium nostrum fuerit ordinatum;

Vobis præcipimus, firmiter injungentes, quod ipsum priorem à civitate London', seu alibi ubi concilium nostrum extiterit, nullatenus recedere permittatis, nec ipsum abinde ducere præsumatis, set ipsum ibidem per vos, seu alium per vos deputandum, custodiri faciatis, quousque aliud à nobis seu concilio nostro habueritis in mandatis.

Et hoc nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', primo die Aprilis.

Prohibitio nè collectores quintarum decimarum in civitate Londoniæ aliquid levent de clero.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 7. d. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Adæ Lovekyn, Willielmo Tonge, Thomæ Welforde, Roberto Lucas, Johanni Haddele, Johanni Norhampton, Johanni Organ et Johanni Sely, *collectoribus duarum quintarum decimarum, nobis* per communitatem regni nostri Angliæ concessarum, in civitate London', salutem.

Referentibus et graviter conquerentibus prælatis et clero regni nostri Angliæ, nostris est auribus intimatum, quod vos, quasdam novitates insolitas et inauditas, in derogationem et præjudicium libertatis ecclesiasticæ manifestè redundantes, voluntariè jam inchoantes, diversas personas ecclesiasticas in civitate prædictâ commorantes, qui de bonis, de beneficiis suis ecclesiasticis provenientibus, cum clero taxatis, ac de officiis et servitiis suis vivunt, quæ nunquam ad quintasdecimas ante hæc tempora inter laicos taxari consueverunt, ad contribuendum dictis duabus quintisdecimis, laicos et cives dictæ civitatis contingentibus, infra civitatem illam per bona sua prædicta in hospitiis suis graviter distringi fecistis, et districtiones indè factas detinetis, in statûs ipsius cleri depressionem, et contra intentionem nostram, et formam concessionis in parliamento nostro indè factæ, undè per ipsos prelatos et clerum nobis intimè supplicatur, ut eorum remedio in hac parte providere dignaremur.

Sanè igitur recolentes, quod ad libertatem ecclesiasticam in suo jure observandam, debitè et illæsè vinculo juramenti astringimur; attendentes etiam, quod talis novitas insolita et inprovidè incepta, si sic fieri permittatur, non solum in ipsarum personarum dampnum et jacturam, verum etiam in totius cleri prædicti, et jurium libertatis ecclesiasticæ enervationem et subversionem, ac fidei nostræ læsionem, necnon in legum et consuetudinum regni nostri semper hactenus usitatarum adnullationem, et maximè in primævo nostri regiminis, cedere posset manifestè, quod *nolumus, sicuti nec debemus,* DEO *dante, aliqualiter tolerare, nec ipsum* clerum per hujusmodi impositiones et onera noviter sic facta, indebitè prægravari;

Vobis igitur, districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus, ac districtè prohibemus, nè aliquod onus alicui personæ ecclesiasticæ, in solutione dictarum duarum quintarumdecimarum, contra libertatem ecclesiasticam, aliter quam fieri de jure deberet, et ante hæc tempora temporibus progenitorum nostrorum rationabiliter fieri consuevit, imponere seu facere præsumatis: set si aliqua hujusmodi novitas insolita et improvidè inchoata, ad contribuendum hujusmodi quintisdecimis per vos in civitate prædictâ, contra libertatem ecclesiasticam, aliquibus personis ecclesiasticis facta vel attemptata, seu aliquod hujusmodi onus impositum fuerit aliter quam fieri consuevit, tunc ea sine dilatione dimitti et revocari, et si aliquas pecuniarum summas, districtionem, sive pignora, de aliquâ personâ ecclesiasticâ contra dictam libertatem in hac parte aliqualiter ceperitis, restitui et relaxari faciatis indilatè, sine difficultate aliquali.

Et de causâ quare tales novitates insolitas sic facere præsumpsistis, nos, vel concilium nostrum, die Veneris proximò futuro ad ultimum certificetis.

Teste Rege, apud Westm', v. die Aprilis.

Per concilium.

De tractando, super alligantiis Flandriæ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 18. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Ad tenendum, continuandum, firmandum, et corroborandum, inter nos et subditos nostros, et carissimum consanguineum nostrum comitem Flandriæ, et bonas villas suas Gandavi, Brugges, et Ipre, et gentes suas de Franco, et cæteros ipsius comitis subditos, amicitias, alligantias, conventiones, et concordias, inter excellentissimum principem dominum Edwardum, nuper Regem Franciæ et Angliæ, avum nostrum, pro se et subditis suis ex unâ parte, et prædictum consanguineum nostrum, et tres suas bonas villas de Gandavo, Brugges, et Ipre, et ipsos de Franco, et alios subditos ipsius comitis ex alterâ parte hactenus factas, initas, et diutius observatas, prout in literis dicti avi nostri et comitis memorati, eorum magnis sigillis sigillatis, ad quas nos referimus, et hic pro insertis haberi volumus, plenius continetur;

Dilectos et fideles nostros, Guichardum d'Angle comitem Huntyngdon, Hugonem de Segrave militem, et magistrum Walterum de Skirlawe legum doctorem, decanum Sancti Martini Magni Londoniæ, de quorum industriâ et fidelitate plenariè confidimus, de consensu et avisamento concilii nostri, nostros veros et legitimos procuratores ac nuncios speciales constituimus, ordinamus, et facimus per præsentes:

Dantes et concedentes eisdem comiti, Hugoni et Waltero, et duobus eorum, potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis et subditis nostris, præmissa omnia et singula tractandi, faciendi, et expediendi, ac omnia alia excercendi quæ circa præmissa necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant magis speciale;

Necnon easdem amicitias, alligantias, conventiones, et concordias, si necesse fuerit, ampliandi et elargandi, et similiter corrigendi et reformandi;

Et ad alias alligantias, conventiones, et concordias inter nos et subditos nostros, et ipsum comitem ac villas prædictas, et ipsos de Franco, cæterosque ipsius comitis subditos, de novo faciendi, ordinandi, vallandi, et affirmandi, prout ipsis procuratoribus et nunciis nostris, vel duobus eorum, pro honore nostro, ac utilitate et commodo nostro, regnique et populi nostrorum, juxta discretiones suas, magis videbitur expedire.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', v. die Aprilis.

Per ipsum Regem et concilium.

Conventiones factæ cum duce Britanniæ, super liberatione castri de Brest, in possessionem Regis, durante bello Gallico.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scac.

JOHAN, duc de Bretaigne, conte de Montfort et de Rychemond, a touz ceaux que cestes lettres verront, salutz.

Nous avoms veu *certein treitee fait et acordee par entre notre trespuissant seigneur monsieur* Richard Roy d'Engleterre et de France et son conseil d'une part, et nous d'autre part, en la forme que ensuit.

Ces sont les articles.

PRIMEREMENT, que notre dit seigneur le Roy avera le chastiel de Breest, ove touz les apportenances, si bien les breefs de Bretaigne, a prendre illoeques, comme seicheries, et touz autres seigneuries et profitz queconques;

Et ferra garder bien et surement, a ses propres custages, mesme le chastiel, durant les guerres;

Et, les guerres finies, ou par treitee, ou par longe trewe, ou autrement, par quecunque voie que ce soit, notre dit seigneur le Roy est tenuz et obligez, pour lui, et pour ses heirs, de rendre, bien et loialment, le dit chastiel de Breest, ove touz les apportenances avantditz, au dit duc ou a ses heirs de son corps, ou a sa femme, sanz fraude ou mal engin, franchement et quietement, sanz ascun empechement pour defaute de paiement, ne pour autre cause quecunque, que poet estre dit ou fait a l'encontraire, qant notre dit seigneur le Roy ou ses heirs ent serront requis par le dit duc, ou par les soens eantz poair de lui, ou par ascun de eaux, ou tout ensemble;

Et a ce faire et acomplir en maniere suisdite, notre dit seigneur le Roy a promys, loialment en parole de Roy, pour lui et ses heirs, et aussi ont promys, en foy de chevalrie, pour eaux et pour lour heirs, de l'assent de notre dit seignour le Roy, le duc de Lancastre, les contes de la March, d'Arundel, Warrewyk, Stafford, et Suffolk, par lour lettres, ensealles de lour sealls, qu'ils mettront lour loial diligence, par devers notre dit seigneur le Roy et ses heirs, de bien et loialment accomplir les choses suisditz, et les ferment tenir.

Item, en cas que le dit duc devie sanz heir de son corps, adonques, apres le mort de dit duc et sa femme, le dit duç voet et grante que le dit chastiel de Breest, ovesque touz les apportenances, demorge a notre dit seigneur le Roy, et a ses heirs de son corps.

Item, que notre dit seignour le Roy donera et assignera au dit duc un chastiel covenable, a la value de sept centz marcs, annuelement en terres et en rentes, en Engleterre, en bon assiete, et a plus pres ensemble qu'ils porront bonement, ovesque touz seigneuries, comoditees, gardes, mariages, fees, avoesons, et touz autres profites quecumques, as ditz terres et seignuries apportenantz, a avoir et tenir au dit duc et sa femme, et as heirs issantz du corps de dit duc tant comme les dit chastiel de Breest demorrera en la main de notre dit seignour le Roy, ou de ses heirs, en la manere suisdite.

Item, que notre dit seignour le Roy donera au dit duc, pour l'acord suisdit, milles livers d'esterlinges; les queux serront baillez a sa feme, ou a receivour de dit duc, quel hure que notre dit seigneur le Roy serra en possession de le chastiel avantdit.

Item, avera le dit duc franche entree, issue, et demore en le dit chastiel de Breest, toutes les foiz que lui plerra, sanz aucun empechement.

Item, avera le dit duc franchement, hors de dit chastiel, touz ses joals et autres biens, a lui apportenantz en icelle, qant et quel hure qu'il voudra. par lui ou par ses deputes.

Item, serront faites endentures des vitailles et artelliries, que as gentz de notre dit seigneur le Roy serront deliverez, ovesque le dit chastiel, a fyn que a tant soit renduz au dit duc, ou a soens, qant le dit chastiel lour serra rebaillez.

Item, que les breefs, et autres noblesses de dit duc, a Breest, notre dit seigneur le Roy usera en noun de dit duc, et noun autrement.

Item, le dit duc avera lettres de notre dit seignour le Roy, a ses officers a Burdeaux, qu'ils lui suffront et facent enjoyer ses breefs qu'il ad a Burdeaux, si comme lui et ses auncestres ount fait.

Item, si le dit chastiel de Breest soit venduz, ou par ascun voie perduz souz le main de notre dit seigneur le Roy, ou de ses heirs, avant que mesme le chastiel de Breest soit restitut au dit duc, ou a ses heirs, ou a sa femme, en manere comme dist est; notre dit seigneur le Roy et ses ditz heirs serront tenuz a faire ce qu'ils porront a regainer et recoverer le dit chastiel, a fin qu'il soit restitut au dit duc, ou a ses heirs, ou a soens, en manere desuisdite:

Et les autres seignours, avant nomez, promettront, et serront tenuz a faire ce qu'ils porront loialment, devers notre dit seigneur le Roy, et ses ditz heirs, a ce faire:

Et que, tanque le dit chastiel soit restitut au dit duc, ou a ses heirs de son corps, ou a sa femme, comme desuz est dit, le dit duc, et sa femme, et ses ditz heirs tendront le dit chastiel, et les sept centz marcs de terre et de rente, que lour serront assignez en Engleterre comme dit est, ovesque touz lour apportenances suisditz parfournez, jusques a la value de dit chastiel de Breest, ovesque les apportenances d'ycelle:

Et, a quel hure que le dit chastiel de Breest serra renduz et restitut au dit duc ou a sa femme, ou as heirs de dit duc de son corps, que notre dit seigneur le Roy puisse franchement reprendre a sa main, sanz contredit du dit duc, le chastiel et les terres et rentes ovesques touz les apportenances, que notre dit seigneur le Roy lui avera assignez en Engleterre pour la cause avantdite.

Item, que les aliaunces avant ses hures faites par entre le Roy Edward, que darrein morust, et le dit duc, serront confermez et ratefiez par notre dit seigneur le Roy qu'ore est.

Item, le dit duc avera retorner des brefs, en tout sa terre, apportenant a la contie et honour de Rychemond, et les autres fraunchises apportenantz a ycelles, as termes des vies de dit duc et de sa femme.

Et quant a ce que en le quatre article desuisdit est contenuz, que notre dit seigneur le Roy doneroit au dit duc, pour le dit acord, milles livers d'esterlingas, les quels serront baillez a sa ditte femme, ou a son receivour, qele hure que le notre seigneur le Roy serroit en pocession de dit chastiel, estoit acorde, apres la faissance des articles avantditz, parentre le dit notre seigneur le Roy et le dit duc, que la ditte somme serroit paiez par le dit notre seigneur le Roy a soudiours que estoient demorranz en le dit chastiel de Breest, en partie du paiement de ce que as ditz soudiours estoit dehues de lour gages, avantque le dit duc fist la livre de dit chastiel hors de sa main, a cause de l'acord suisdit; et que le dit duc tendroit notre dit seigneur le Roy pour quite et descharges qant a paier a lui les mille livers avantditz, et que le dite quarte article soit desore de nulle vertue.

Nous avant dit duc, touz les suisditz articles, en manere comme desuis sont acordez, treitez, et specefiez, eantz fermez et agreables, ycelles en tout ce que a nous et a notre partie touche et poet toucher en quecunque manere, promettoms et grantoms, de notre franche et liberal volunte, pour nous et pour noz heirs, en bone foy, de bien, et ferment, et loialment garder, tenir, et accomplir, de notre part, en touz poyntz, sanz fraude et mal engin, et sanz ren faire ou suffrer estre fait a contraire par nous, ne par autres quecunques, par quecunque voie que se soit, que puisse estre dit ou fait.

Et par especial veulloms et grantoms que, si nous devioms sanz heir de notre corps, adonques, apres la mort de nous et de notre dite femme, le dit chastiel de Brest, ovesque touz les apportenantz, remeine a notre dit seigneur le Roy, et a ses heirs de son corps, par tout jours, comme desuz est contenuz.

Et aussi voloms et grantoms, pour nous et pour noz heirs, que, en cas que le dit chaustiel soit a nous, ou a notre dite femme, ou a noz ditz heirs de notre corps, restitut, solonc le purport de dite treite, que adonques notre dit seignour le Roy, et ses heirs puissont franchement, sanz contredit de nous, ne de notre dite femme, ne de noz ditz heirs, seisir a lour main le chastiel, ovesque toutes les terres, seigneuries, et apportenantz quecunques, que notre dit seignour le Roy nous avera baillez et assignez en Engleterre, a cause de dit chastiel de Breest, par vertue de treite suisdit, en manere comme il estoit parle, treite, et acorde.

En tesmoignance de quele chose nous avoms a ces presentz fait mettre notre seal.

Don' a Westm', le quinte jour d'April, l'an du regne de notre dit seignour le Roy Richard primere.

Et ce voullons et outre jours avons parfornysant les choses de desous escriptes.

Passe de notre main.

Sub sigillo ducis, ceræ rubeæ expresso, et a cauda pergamenæ pendente.

Ejusdem ducis literæ super præstatione quorundam articulorum, in præfatis conventionibus pactitiorum.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

JEHAN, duc de Bretaingne, comte de Montfort et de Richemont, a touz ceulx qui ces presentes lettres verront et orront, salut.

Comme certain traitte et acordance ait este palle et accorde par entre notre treshonore et tressredoubte seigneur et frere le Roy Richard Roy d'Angleterre et de France, et son noble conseill, touchant le chastel de Brest et ses appartenances, qui deit demourer en la guarde de notre dit seigneur le Roy durant le temps de ces guerres;

Et en cas que nous devions de cest siecle en l'autre sanz heir de notre corps, le dit chastel doit auxi demourer a notre dit seigneur le Roy, pour luy, et pour ses heirs de son corps, avecques toutes ses appartenances;

Comme sur ce est plus pleinere maintion faitte en lettres sur ce faites par entre notre dit seigneur le Roy et nous duc desusdit.

Savoir faisons que, come notre dit seigneur le Roy est tenu de nous faire rendre et delivre, pour luy, et ses heirs de son corps, a nous, ou a noz heirs de notre corps, ou a notre femme, ou a qui cause avera de nous, fraunchement et quittement, le dit chastel de Brest, avecques ses appartenances, les guerres passees et finees par traittee, longue trewe, ou autrement par quecunque voye que ce soit, toutesfoiz et quant notre dit seigneur le Roy, ou ses heirs, ou qui cause avera de luy, en soient requis par nous, ou noz heirs de notre corps, par notre femme, ou cause ayanz de nous, selond les lettres sur ce faites;

Et apres ce que notre dit seigneur le Roy, ou ses heirs de son corps, ou a cause ayanz de luy, avera fait randre et delivrer, franchement et quittement, a nous, ou noz heirs de notre corps, ou a notre famme, ou cause aianz de nous, le dit chastel de Brest et ses appartenances, comme dit est, par les dittes lettres, nous Johan, duc desusdit, suymes tenuz et obligez, pour nous, noz heirs de notre corps, ou qui cause avera de nous, et pour notre famme, a delivrer et randre, franchement et quittement, sanz aucun desturbier, a notre dit seigneur et frere le Roy, ou a ses heirs de son corps, ou cause ayanz de luy, le chastel ou chasteaulx, terres, rentes, et autres appartenances, que notre dit seigneur et frere le Roy nous fera bailler et assigner, tant qu'il, ou ses heirs, ou ayanz cause de luy, come dit est, tandront le dit chastel de Brest et ses appartenances, sanz le nous randre, toutesfoiz et quant notre dit seigneur et frere le Roy, ou ses heirs de son corps, ou cause ayanz de luy, en requerront nous, ou noz heirs de notre corps, ou notre femme, ou qui cause et pouer avera de nous, selond la tenour des lettres de la ditte accordance;

Et, quant est de milles livres, queulx notre dit seigneur et frere le Roy nous devoit paier par la ditte accordance;

Pour ce que, de notre assentement, notre dit seigneur le Roy en doit faire paiement aux souldaers qui par avant ces heures ont garde le dit chastel de Brest, en partie de lour guages;

Nous, Jehan, duc desusdit, en quittons plenierement notre dit seigneur et frere le Roy et lessions.

Et toutes ces chauses tenir et acomplir fermement et loyalment, sanz fraude ne mal engin, et sanz riens faire ou souffrir estre fait au contraire par nous, ne par autres quelconques, par quelconque vaie que ce soit, qui puisse estre dit ou fait, prometons et guarantons pour nous et pour noz heirs, en bonne foy, et comme leal chivalier.

En tesmoign. des quelles chouses nous avons fait mestre et appenser a ces presentes lettres notre propre seail.

Donne a Chescunt, en notre manoir, le v. jour d'Apprill, l'an du regne de notre dit tres honoure et tres redoubte seigneur et frere le Roy Richard, secund puis le conquest, d'Angleterre premier.

Sub sigillo ducis, ceræ rubeæ expresso, a cauda pergamenæ pendente.

Pro Johanne Fastolf.

A.D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, ballivis villæ Magnæ Jernemuth, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum dominus Edwardus nuper Rex Angliæ avus noster, vicesimo octavo die Januarii anno regni sui Angliæ quadragesimo octavo, per litteras suas patentes, de gratiâ suâ speciali, et pro bono servitio quod dilectus armiger noster Johannes Fastolf eidem avo nostro impenderat et extunc impenderet, concesserit ei viginti libras percipiendas singulis annis de firmâ villæ prædictæ per manus ballivorum ejusdem, qui pro tempore fuerint, ad terminos Paschæ et Sancti Michaelis per æquales portiones ad totam vitam ipsius Johannis, vel quousque pro statu suo aliter duceret ordinandum:

Et nos, sexto die Martii proximò præterito dictam concessionem præfati avi nostri ratam habentes et gratam, eam secundum formam litterarum prædictarum, per litteras nostras patentes de gratiâ nostrâ speciali, et pro eo quod præfatum Johannem retinuimus penes nos

moraturum, approbaverimus, ratificaverimus, et confirmaverimus, prout in litteris et confirmatione nostrâ prædictis pleniùs continetur;

Vobis mandamus, quod eidem Johanni id quod ei aretro est de prædictis viginti libris annuis à prædicto sexto die Martii, et easdem exnunc singulis annis, ad terminos prædictos, æquis portionibus de firmâ villæ prædictæ solvatis, juxta tenorem litterarum avi nostri et confirmationis nostræ prædictarum; recipientes à prædicto Johanne litteras suas acquietantiæ quæ pro nobis sufficientes fuerint in hac parte.

Et nos vobis indè in compoto vestro, de tempore in tempus, debitam allocationem habere faciemus.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Aprilis.

[*Et erat patens.*]

De castro de Brest recipiendo, et vadiis soldariorum perpacandis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 7. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qi ces lettres verront, saluz. Come, par certeine tretee, fait et acordez par entre nous et nostre trescher frere Johan duc de Bretaigne et conte de Richemund, le dit duc feut tenuz de bailler et delivrer a nous le chastel de Brest en Bretaigne, a demorer en nostre meyn, en certeyn forme, contenue en dit tretee, sicomme par noz lettres patentes en faites poet pleinement apparoir;

Et sur ce envoiasmes, pardevers le dit chastel, nostre trescher oncle Thomas comte de Bukyngham, nostre conestable d'Engleterre: noz foialx cosyns, Edward de Cortenay comte de Deveneshire, et Johan d'Arundell nostre mareschal d'Engleterre: noz treschers et fealx, William sire de Latymer, Johan sire de Cobham, Wauter sire de filz Wauter, Michel de la Pole, Rauf de Ferriers, Guy de Bryen le filz, Johan de Montagu le filz, Hugh la Zouche, et Hugh de Hastynges; a recevoir en nostre meyn le dit chastel, selonc le purport du dit tretee;

Et avant que nostre dit oncle et nos autres foialx surnomez poeient avoir la liveree du dit chastel, il leur covenoit, pur nostre meillour, eux obliger, sibien as capiteyns et autres soudiours q'estoient en dit chastel, en certeines sommes d'or, qui les ditz capiteyns et autres soudiours disoient a eux estre dues pur lour gages, pur le temps q'il avoient demorez en mesme le chastel, avant le jour de la dite liveree, come as autres, ensy come en suyt; c'estassavoir,

A Johan Austyn chivaler, pur lui et les soudiours de son hostel, demorantz en mesme le chastel, cynk milles sept centz unze francs et quatres soldz;

A Johan Lakyngheth chivaler, milles cynquante quatre francs et demy;

A nostre cher et foial Robert Knolles, pur deniers par lui paiez as certeins balesters, demoranz en dit chastel, quatre centz sessante sept franks;

A Guillame Knok, quatre centz quatre vintz dix et noef franks et demy;

A William Damyot, sept centz quatre vingtz oet francs quatre soldz;

A Johan de Valence, trois milles trois centz et quatre francs;

As certeins autres soudiours, alanz en Engleterre, unze centz quarante et noef francs;

As soudiours attendantz en mesme le chastel, noef milles cent cynquante et sept francs;

Item, as certeins marchantz de Bordeux, pur vitailles de eux achatez pur vitaillement du dit chastel, dousze cenz francs;

A dit Robert Knolles, pur le quartre lors a comencer, pur quel il emprist a demorer illoeqes sur la garde du dit chastel, dix milles deux centz et quatre vintz francs;

Et a un marchant de Bayone, pur cent et trent et deux pipes de vyn, de li achatez pur le vitaillement du dit chastel, deux milles trois cenz sessante et sesze francs;

A paier a certein termes, compris en lettres obligatoires sur ce faites, par nostre dit oncle et noz autres foialx surdiz;

Sachez nous, pur ce que le dit chastel sera pleinement deliverez a nostre meyn, par acord fait entre nous et nostre dit oncle, et les autres obligez, come dessus, avoir grantez a eux, et a chescun de eux, de descharger et desdomager eux, et lour heirs, executours, et assignez, devers les personnes as queux ils se ount obligez en la manere susdite, et ensi leur promettons loialment et en bone foy par ces presentes.

En tesmoignance de quele chose nous avons fait faire cestes noz lettres enseellez de nostre grant seal.

Don' a Westm', le ix. jour d'Averile.

Per concilium.

Pro priore prioratûs Sancti Michaelis in Vallia, in Insulâ de Gerneseye.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 7. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Hugoni de Calvele, custodi insularum suarum de Gerneseye, Jereseye, Serk, et Aureneye, vel ejus locumtenenti in prædictâ insulâ de Gerneseye, salutem.

Cum tertio decimo die Octobris proximò præterito, per litteras nostras patentes, commiserimus dilecto nobis in CHRISTO fratri Johanni Garini, monacho Montis Sancti Michaelis in periculo maris in Normannia, priori prioratûs Sancti Michaelis in Vallia in insulâ de Gerneseye, custodiam ejusdem prioratûs, et omnium terrarum et possessionum ad eundem prioratum spectantium, cum pertinentiis, in manu nostrâ, occasione guerræ inter nos et illos de Francia motæ, existentium; habendam à festo Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, ultimò præterito, quamdiu prioratum prædictum in manu nostrâ, occasione prædictâ, contigerit remanere; reddendo indè nobis sexaginta libras sterlingorum per annum, vel valorem in monetâ ibidem currente, per manus custodis insulæ prædictæ seu ejus locumtenentis, ad terminos Natalis DOMINI, Paschæ, et Sancti Johannis Baptistæ, per æquales portiones:

Ita tamen, quod idem prior inveniat bonam et sufficientem securitatem quolibet anno, coram custode insulæ prædictæ seu ballivo ejusdem, aut eorum loca tenentibus, de dictâ firmâ benè et fideliter annuatim solvendâ, et quod dictus prior domos et edificia ad dictum prioratum pertinentia, sustentet, et omnia onera eidem prioratui incumbentia sive spectantia, faciat et supportet, quamdiu custodiam habuerit supradictam, prout in litteris prædictis plenius continetur.

Ac jam, ex gravi querelâ ipsius prioris accepimus quod vos, machinantes ipsum priorem voluntariè prægravare, ipsum priorem ad solvendum majorem summam pro firmâ prioratûs prædicti quam in dictis litteris nostris expressatur, per graves districtiones bonorum et catallorum suorum, ac firmariorum suorum prioratûs prædicti, ac per alias diversas duritias et injurias, et gravamina quamplurima compellere nitimini, in statûs ipsius prioris depressionem, et prioratûs sui prædicti destructionem, ac contra tenorem litterarum nostrarum prædictarum, ac protectionis nostræ eidem priori in hac parte factæ:

Nos igitur, nolentes eidem priori injuriari in hac parte, vobis mandamus, firmiter injungentes, quod ipsum priorem firmâ suâ prædictâ gaudere permittatis, juxta tenorem litterarum ac protectionis nostrarum prædictarum, ipsum priorem ultra dictam firmam sexaginta librarum in eisdem litteris expressatarum, nullatenus onerantes; et animalia, ac bona et catalla ipsius prioris et firmariorum suorum per vos, præmissâ occasione capta et arestata, dearestari, et eidem priori ac firmariis suis hujusmodi deliberari faciatis indilatè: eo non obstante, quod ipse majorem summam ante datam litterarum nostrarum prædictarum reddere consuevit.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Aprilis.

Per concilium.

[*Dupplicatur.*]

Willielmus Chambre cancellarius scaccarii in Hiberniâ constituitur.

A. D. 1378.—An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 5. m. 17. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod constituimus dilectum clericum nostrum magistrum Willielmum Chambre archidiaconum Dublin' cancellarium de scaccario nostro Hiberniæ, quamdiù nobis placuerit, percipiendo in officio illo feodum consuetum.

In cujus, &c.

T. R. apud Westm', xiv. die Aprilis.

Per breve de privato sigillo.

De nave, vocatâ la Alice, custodibus castri de Brest liberandâ.

A. D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II.
p. 2. m. 8.
in Turr. Lond.

REX, universis et singulis loca nostra tenentibus, capitaneis armatarum, admirallis, et aliis capitaneis, et eorum loca tenentibus, necnon vicecomitibus, majoribus, ballivis, servientibus ad arma, ac aliis ministris, fidelibus, et subditis nostris, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod cum, de avisamento concilii nostri, fecerimus liberari dilectis et fidelibus nostris Ricardo Abberbury et Johanni Golofre, custodibus castri nostri de Brest, quandam navem vocatam la Alice, quæ fuit carissimi domini, domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, et quæ, post mortem ejusdem avi nostri, ad manus nostras devenit;

Volumus quod iidem Ricardus et Johannes habeant eandem navem, cum marinariis sufficientibus pro eadem, in comitivâ suâ, apud dictum castrum nostrum de Brest, ad serviendum nobis supra mare, prout meliùs eisdem Ricardo et Johanni, ad nocumentum inimicorum nostrorum, videbitur faciendum;

Nolentes quod prædicta navis, seu aliquis marinariorum ejusdem, pro tempore quo iidem Ricardus et Johannes capitanei castri nostri prædicti sic extiterint, ad deserviendum nobis alibi capiantur aut arestentur.

In cujus, &c.

Teste Rege apud Westm', xv. die Aprilis.

Per billam de privato sigillo.

De liberatione præfati castri faciendâ.

A. D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II.
p. 2. m. 10.
in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo, Roberto de Knolles chivaler, salutem.

Cum inter nos, et carissimum fratrem nostrum ducem Britanniæ, ac etiam carissimum avunculum nostrum comitem Bukynghamiæ, et certos alios ligeos nostros;

Qui nuper de dicto fratre nostro castrum de Brest receperunt, et illud vobis tradiderunt custodiendum, juxta tenorem certarum indenturarum inter dictum avunculum nostrum et alios ligeos nostros prædictos et vos confectarum;

Concordatum existat quod vos plenè deliberabitis ad manum nostram castrum supradictum, prout per literas, sub sigillis dicti avunculi nostri et quorumdam dictorum aliorum ligeorum nostrorum sigillatas, et vobis directas, plenius poterit apparere;

Et super hoc ordinaverimus dilectos et fideles milites nostros Ricardum Abberbury et Johannem Golofre ad recipiendum à vobis dictum castrum, et illud nomine nostro custodiendum;

Vobis injungimus et mandamus, super fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, et super omni quod erga nos forisfacere poteritis, quod eisdem Ricardo Abberbury et Johanni Golofre castrum supradictum, unà cum victualibus nostris, artilleriis, et aliis rebus, quæ ad nos pertinent et debent pertinere in eodem, deliberetis, et plenè deliberari faciatis, promptè et sine dilatione vel difficultate aliquali;

Facientes indenturam inter vos et dictos Ricardum et Johannem, de omni eo quod sic deliberaveritis; per quam indenturam et præsens mandatum nostrum volumus vos indè erga nos exonerari.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Aprilis.

Per breve de privato sigillo.

Pro Guillielmo Arramon de Madaillan, domino de Roazan.

A.D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon.
1 Ric. II. m. 6.
in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod de gratiâ nostrâ speciali, et pro bono servicio quod dilectus et fidelis noster Guillielmus Arramon de Madaillan, dominus de Roazan, nobis impendit et impendet in futuro, et pro eo quod ipse, occasione præsentis guerræ, majorem partem terrarum suarum infra dominium nostrum Aquitaniæ amisit, prout informamur:

De assensu concilii nostri, dedimus et concessimus eidem Guillielmo quingentas libras monetæ nostræ infra dominium nostrum Aquitaniæ currentis, percipiendas annuatim, ad terminos Sancti Michaelis et Paschæ, per æquales portiones, per manus constabularii nostri Burdegaliæ, qui pro tempore fuerit, quousque terras suas prædictas recuperaverit, vel sibi annuatim ad valorem ejusdem summæ in formâ prædictâ possidenda, duxerimus provideri.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Aprilis.

Per breve de privato sigillo.

Pro eodem Guillielmo.

REX eisdem, salutem. Sciatis quod de gratiâ nostrâ speciali, et pro bono servicio quod dilectus et fidelis noster Guillielmus Arramon de Madaillan dominus de Roazan nobis impendit et impendet in futurum, et pro eo quod ipse, occasione præsentis guerræ inter nos et adversarios nostros Franciæ, majorem partem terrarum suarum infra dominium nostrum Aquitaniæ amisit, prout informamur:

De assensu concilii nostri, dedimus et concessimus eidem Guillielmo terram de Blanhadeis in Bassadoys, cum suis proficuis et pertinentiis; et quæ quidem terra nuper extitit domini de Mussidane, et per ejus rebellionem ad manum nostram, tanquam nobis forisfacta, devenit;

Et insuper dedimus et concessimus eidem Guillielmo medietatem loci et dominii de Blasymond, quæ nuper fuit domini de Logoiran defuncti, et quæ per ejus rebellionem ad manum nostram, tanquam nobis forisfacta, similiter devenit;

Habend' et tenend' easdem terram et medietatem, cum suis proficuis et pertinentiis, de nobis et hæredibus nostris, per servicia indè debita et consueta, et per quæ tenebantur antequam ad manus nostras ex causis supradictis devenerunt, quousque terras suas perditas, ut supradictum existit, recuperaverit, vel sibi aliter annuatim, ad valorem earumdem terræ et medietatis in formâ prædictâ possidenda, duxerimus provideri.

In cujus, &c.

Teste ut supra.

Per breve de privato sigillo.

Pro Johanne duce Britanniæ.

A.D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II.
p. 2. m. 8.
in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus litteras patentes domini Edwardi nuper Regis Angliæ, avi nostri, nuper factas dilecto et fideli nostro Johanni duci Britanniæ, comiti Richemond et de Mountford, in hæc verba:

EDWARD, par la grace de DIEU, Roi de France et d'Engleterre, et Seignur d'Irlande, a perpetuele remembrance et memoire, conuz chose soit as touz, presentes et avenirs, que par l'advis et meure deliberation des prelatz, piers, countes, barons, et les autres grandes et sages de notre counseil, et par especiale pur les tres grandes amours et affection, que nous avons toudiz portez envers notre tres cher filz, allie et foial, Johan duc de Bretaigne, conte de Richemond et de Mountford, et ses ancestres, conoissantz ycellui Johan avoir este tretez avant de lee nous et notre maison d'Engleterre, jusques a parclos de son estat, et toudis, de bone volente et entention, et assez enclins d'avansoier notre bien et honour si avant come il ad poeu bonement faire, et aiant a ce moult grande regarde, come reson est, a l'onour de DIEU, et en afforcement des alliances, nadgaires faites entre nous et lui, et quiete et repos des subgiz de l'un et de l'autre, nous avons assentuz et accordez les choses que s'ensuent, c'estassavoir;

Que nous Roi, noz heires, et enfantz, issantz et descendantz de notre corps, et les hoirs de noz enfantz, et lour heirs, neez, ou a naistre, touz noz subgiez, verrais et loialx, obeissantz de noz ditz enfantz et de lour heirs, serront touzjoursmais, a perpetuite, a notre dit filz, allie et foial, le dit duc de Bretaigne, touz ses heirs, enfantz et subgiez susditz, bons, verrais, loialx et entiers amys et alliez; et lour garderons, maintendrons, garderont, maintendront, et sustendront par terre et par mier, de corps, de biens et d'amis, et de touz noz sens et poissance, en touz lour necessitez, encontre touz et envers touz, qui purront vivre ou morir, de quelconque estat ou poissance q'ils soient, sanz forspris de nulle persone du mounde, qui desore en aucun temps avenir se voudra afforcier, ou s'afforceroit de porter, mouvoir, ou faire guerre, domage, prejudice, vilenie, ou grevance ascun, par quelconque manere, ne par quelconque cause, ou occasion, a les persones de notre dit filz le duc de Bretaigne, ou de ses heirs ou enfantz, ou de les heirs de lour enfantz, lour terres, paiis, ou lieux, ou a lour subgitz quielconque neez ou a naistre, sanz faire en ascun temps defaute aucun, ne alleger ou opposer exception, excusation ne essoine a l'encontre dez ditz alliances.

Sauvez tant que, a touz les foitz que nous, ou noz heirs, ou les autres avantditz, aurons ou auront, mestir de l'eide de notre dit filz le duc de Bretaigne, de ses heirs, ou de les autres avantditz, l'en avera et prendra

regarde, de bone foie, et sanz malveise coverture, a les necessaires affaires, occupations, et chargez que nous, noz heirs ou enfants, et lour hoirs et enfantz, covendrons, ou covendront, necessairement supporter et suffrir, au temps lors courrant, pur la necessaire defense et salvacion de nous, de noz roialmes, seignuries, paiis, et subgitz verrais, loialx et obeissantz, a recovrer de noz et de leur droitures contre les notre ou lour enemis, presentz et avenirs.

Et parmy ces alliances, touz les subgitz avantditz, de quelque estat ou condicion q'ils soient, de notre dit filz le duc de Bretaigne, ou de ses heirs et enfantz, et de les heirs de lour enfantz, pourront en noz roialme, paiis et seignuries, obeissantz franchement, seurement, et paisiblement, par terre et par mere, entrecomuner et entreconverser, passer et repasser, sojournir et demourir: et les marchantz marchander, et amesner lour marchandise en touz les portz, havens, paiis, lieux et seignuries, obeissantz deinz notre roialme d'Engleterre, et de noz autres paiis et seignuries, et ailleurs hors de ceulx, les uns a les autres, toutefoitz et tantefoitz que leur plerra, par paiant a notre partie les devoires et custumes, sanz guerre, riot, contencion, ou debate faire, mesner, exciter, ne mouvoir: et yceulx subgitz serront touditz sustenuz, recuillez, eidez, traitiez, demesnez, refreschez, et comfortez en noz roialmes, seignuries, paiis, et lieux obeissantz, tout auxi amablement et paisiblement, come en lour paiis propre estre le purroient, serroient ou devroient, et come en temps de bone paix: la quele chose serra notifie et publie en nos roialmes, paiis, et seignuries, le plustost que bonement faire se purra, au profitz des subgiez de l'un et de l'autre, a fin que la chose soit overtement conuz.

Item, nous, Roi avantdit, noz heirs et enfantz, et les heirs de noz ditz enfantz, et touz noz et leur subjitz avantdiz, eschuerons et eschueront, empescherons et empescheront, contresterrons et contresterront, destourberons et destourberont, de parole et de faite, a tout le notre et le leur poair, sanz fraude et sanz mal engin, et com bons, verrois et loialx amis et alliez faire le devront, l'un a l'autre, tout le mal, domage et vilenie, qui en ascun temps purra avenir, ou avendra, a notre dit filz le duc de Bretaigne, ses heirs, enfantz, et subgiez, et a leur heirs, enfantz et subgiez; et de ce, ferrons et ils ferront hastivement garnir, aviser et savoir, a notre dit fitz le duc de Bretaigne, et a ses heirs, enfantz et subgiez, et lour heirs, enfantz et subgiez, par terre et par mer, par messages, lettres et autrement, par la meilleure et plus hastive maniere que faire le purrons, ou ils purront, par ascune voie du monde.

Item, nous accordons et promettons, loialment et en bone foie, que en touz les trieuez, paix, abstinences, ou soeffrances de guerre, paix, ou accordances quiconques, que nous ferrons ou prendrons, nous, noz heirs, ou noz enfantz, leur heirs, leur paiis et seignuries, et subgiez suisditz, d'une part, ovesque nos enemis, malveulliantz, ou adversaires quielconques, qui ja sont, ou en apres serront, d'autre part, notre dit filz, alliez et foial le duc de Bretaigne, ses heirs et ses enfantz, et les heirs de lour enfantz, et leur paiis, seignuries, droitures, et subgiez quelconques, serront expressement compris, et eux, lour honores, estat, droitures, seignuries, jurisdictions, noblesses, franchises, libertes, terres, possessions, paiis, subgiez et droitures, et tout lour estat, en touz choses, sauvez, gardez et reservez auxi entierment come ils unqes feurent en temps passez, et come en temps des ancestres notre dit fitz le duc de Bretaigne, par autiele manere come nous Roi, noz heirs, ou enfantz, ou les heirs de noz ditz enfantz, et lour subgiez, obeissantz, voudrons ou voudront, avoir fait, et aurons et auront, a notre propre fait et busoigne: et que nous, noz heirs, enfantz et subgiez obeissantz, et les heirs de noz enfantz et subjitz obeissantz, a touz jours garderons et garderont, aiderons et aideront, sustendrons et sustendront, manutendrons et manutendront, notre dit fitz le duc de Bretaigne, ses heirs et enfantz, et les heirs de ses enfantz, lour droitures, subgitz, paiis et seignuries suisdites, par touz les voies resonables et honestes que nous savrons, ou ils savront, purrons ou ils purront, encontre touz leur enemis, malveulliantz ou adversaires quiconques, presentz ou avenirs.

Item, notre dit filz le duc, ne ses heirs de son corps procreez, ne serroient tenuz a faire homage pour la duchie de Bretaigne, a nous, ne a noz heirs, en cas qu'il nous ou nos heirs, venons ou venont, a la possession de la corone de France.

Item, ne serront desormes en aucun temps scientement receptez, refreschez, aidez, consaillez, comfortez, ne favorez, en noz roialme d'Engleterre, paiis ne seignuries obeissantz, par aucune coverture les adversaires, malveullantz, ou enemis privez ou appertez, de notre dit filz le duc de Bretaigne, ne de ses heirs ne enfantz avantditz, soient ils de l'un paiis ou de l'autre, ou de quielconque autre paiis, nation, ou condicion qu'ils soient, sanz aucun forspris ou excepcion de persone, ne de lieu; ne yceulx enemis, malveullantz, ne adversairs, soeffert scientement passer, sojourner, ou demourir en noz ditz roialmes, paiis, ou seignuries obeissantz, par quielconque cause ou occasion que ce soit, mais touz noz subgiez, malveulliantz ou adversaires, de notre dit filz et allie le duc de Bretaigne, estoiantz ja hors de noz paiis ou seignuries obeissantz, fesantz ascuns grevances sur notre dit filz en ces paiis ou seignuries obeissantz, si avant come nous les purrons savoir, serront realment et de fait comandez, chargez, amonestez et ajournez depar nous, de retourner vers lour paiis, sur peine de corps, de biens et d'eritages qu'ils purront forfaire envers nous, sanz plus faire domage ou offense aucune, par quielconque manere sur notre dit fitz le duc de Bretaigne, ou sur les gentz ou bienvullantz, et saunz duon, eide ou counseil, ne comfort a ces enemis, les queles nous tenons et tendrons toutdis pour les nostres. Et s'ils ne voudrent a ce obeir, en tieu cas ils serront deslors banniz et exilez, et forsjuggez de lour ditz paiis, biens et heritages, sanz espoir de retourner.

Item, si nous envoions nos gentz pardela, pour grever noz enemis, un foiz ou pleuseurs, le dit duc voet et ottroie que noz gentz, qui ensi serront envoiez depart nous, del heure qu'ils vendront devers son paiis et seignuries de Bretaigne obeissantz, serront toudis bonement et amablement resceuz, recuillez et receptez, en ses chasteux, fortetesces, villes et autres lieux de ses paiis et seignuries obeissantz de Bretaigne, et illeoques, et aillours, par toute sa poissance et seignuries, en amable maniere tretez, refreschez, vitaillez et comfortez, a leur despenses, a touz les foitz et par tout le temps qu'ils vendront, serront ou demourront; nous a lui baillant obligacion, que noz subgitz, en manere come dessus est dit, depar nous envoiez, receuz, recuillez et receptez, lui soient obeissantz, et rendront franchement et quitement a le dit duc, ou as heirs de son corps procreez, ou a sa femme, ou a ceux qui auront cause du dit duc, ou de ses heirs de son corps procreez, ou de sa femme, les ditz chasteulx, forteresces, et villes, sanz fraude ou mal engin, non obstant Merk, tant de temps passe, come de temps present, ou avenir.

Et, outre ce, nous Roi avantdit, ordeinerons, pourchacerons et ferrons, endurons et soeffrons nos gentz et subgitz obeissantz, sanz destourber ou empeschement aucun, a tut le foitz qui leur plerra, aler, a l'enforcement de le dit duc, pour guerrer et grever, quielque part qui meulx lui semblera, ses enemis, les paiant gages resonables come entre eux purront accorder; toutesfoitz noz gentz et subgiez, passantz et demourantz en la paiis du dit duc de Bretaigne, averont illeoques lour vitaillez et vivres, parpaiant resonablement le pris ou valeure, et le plus aisement et a meindre domage que faire se purra, sur les subgiez verrais et obeissantz le dit duc: et, si ascun de eux soient trovez illoeques faisantz le contraire, la punissement de eux appartiendra a le dit duc.

Item, accordons pour nous, nos heirs et enfantz, et leur heirs quelconques, neez ou a naistre, que en cas que ascun des subgiez de le dit duc lievent ou rebellent encontre lui, ou ses heirs, ou soient aidantz ou adherentz as enemis ou adversaires de nous, ou a noz heirs, en appert ou en covert, en France, Acquitaign ou ailleurs, quielque part qui soit, encontre la fourme des ditz alliances, en tiele cas cestes presentes alliances ou covenances ne serront ja par tant rumpuz ne depessez, ne le dit duc, ne ses heirs avantditz, ne purront encourir devers nous, ne nos heirs, aucune forfaiture; mais le dit duc pourra et ferra punir depar lui mesmes, et par ses officers et ministres, par lour corps, biens et heritages, et par toutes les autres maniers qui bones lui semblera, pour garder les ditz alliances sanz blame, reproeve, ou offence aucune avoir ne encourir devers nous, ne noz heirs, par ycel cause, en temps avenir.

Toutes les quelles choses et chescun dicelles, si avant, come ils nous touchent ou notre partie, por nous, et por noz heirs, et notre partie avantdite, promettons en bone foie, et en parole du Roi a le dit duc et a ses heirs, a tenir, garder, enteriner, et accomplir, de point en point, loiaument et en bon foie, et sanz fraude ou mal engin, et sanz dire, allegger ou purposer, en jugement ne dehors, taisiblement ne expressement, aucune chose a l'encontre en ascun temps avenir.

Et pour ce, nous nous avons obligiez envers notre dit filz le duc et ses heirs, nos heirs, nos terres, paiis, seignuries, lieux et subgitz obeissantz, et biens queconques, presentz ou avenirs; et a ce nous avons renoncie, et par la teneure de nos presentz lettres nous renoncions, a les exceptions de fraude et de deceite, de force, de poair, et de constraint, de crois pris ou a prendre, et a touz les privileges du Pape, d'Emperour, ou d'autre prince quielconque, impetrez ou impetrer, de plus ou meyns avoir este dit, q' escript, ou generalement a toutes excepcions, cauteles, remedes et defenses de droit, de fait, de usage, de lieu, ou de custume, pour quoi nous nous pourrons eider ou defendre encontre ascuns des choses dessus escriptes, ou a la leie, disant generale renonciacion non valoir.

Don' par tesmoignance de notre grant seal a notre paloys de Westm', le xix. jour de Decembre, l'an de Grace mille troiscentz septant et deux, et de noz regnes de France trente et trois, et d'Engleterre quarrant et sys.

Nos autem, amicicias et alligancias antedictas, prout in supradictis litteris ipsius avi nostri notantur, specificantur et expressantur, ratas habentes ac firmas et gratas, eas omnes et singulas, pro nobis et hæredibus nostris, ac pro parte nostrâ, de assensu et avisamento prælatorum, dominorum et magnatum, ac aliorum de concilio nostro, tenore præsentium, ratificamus et confirmamus, juxta vim, formam et effectum litterarum supradictarum. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm'.

De bargeis et balingeris apparandis et muniendis.

A. D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Rogero Wylesham, locum tenenti constabularii castri nostri Dovorr', et custodis Quinque Portuum nostrorum, et Johanni Philipot civi London', salutem.

Sciatis quod assignavimus vos ad arraiandum bargeas et balingeras Quinque Portuum prædictorum, et ad compellendum, omnibus viis et modis quibus melius sciveritis, homines dictorum portuum et membrorum suorum, ad apparandum et muniendum bargeas et balingeras suas, de omnibus et singulis, quæ ad eas pertinent:

Dantes vobis, tenore præsentium, plenam potestatem substituendi tales homines, quos vobis melius videbitur fore expediens pro commodo nostro, ad capiendum et eligendum marinarios, tam infra portus prædictos quam extra, ac in comitatu Kantiæ et Sussex', infra libertates et extra, usque ad numerum, qui sufficere poterit pro duodecim bargeis et balingeris, et ad tractandum cum Petro Rede et Johanne atte Halle de Dovorr'

ac aliis, quos vobis melius fore videbitur expediens pro comodo nostro, ad essendum capitanei dictarum bargearum et balingerarum, ad proficiscendum in eisdem vasis versus partes boriales, ad naves pro viagio carissimi avunculi nostri Johannis ducis Lancastriæ ordinatas, versus portum Suthampton' conducend' et ad strictum mare contra hostes nostros custodiendum, et ad bona quæ poteritis ibidem faciendum.

Ita quod dictæ bargeæ et balingeræ promptæ et paratæ super mare existant cum omni celeritate quâ aliquo modo fieri poterit vel ordinari, et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios inveneritis vel rebelles, arestandum et capiendum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque de eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis, districtius quo poterimus, injungimus et mandamus, quod, omnibus aliis prætermissis, et excusatione quacumque cessante, circa præmissa cum omni diligentiâ et solicitudine intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ;

Damus autem universis et singulis hominibus ad arma, armatis, sagittariis, dominis, magistris et marinariis navium et bargearum, tam dictorum portuum quam comitatuum prædictorum, ac vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris et aliis quibuscumque fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et substitutis vestris in hac parte, in præmissis omnibus et singulis intendentes sint, auxiliantes, obedientes et respondentes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per magnum concilium.

De proclamando, quod nullus sine licentiâ, sub magno sigillo, extra regnum transierit.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 3. d. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis villæ Novi Castri super Tynam, ac custodibus passagii portûs ejusdem villæ, salutem.

Quibusdam certis de causis, coram nobis et concilio nostro propositis, de assensu concilii et avisamento ejusdem concilii nostri, et aliorum procerum et magnatum regni nostri Angliæ, vobis præcipimus, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, in locis in ballivâ vestrâ ubi meliùs expedire videritis, ex parte nostrâ publicè proclamari et firmiter inhiberi faciatis;

Nè quis, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, mercatoribus notis, qui pro exercitio mercandisarum suarum ad partes exteras se divertere voluerint, dumtaxat exceptis, ad aliquas partes exteras, sine licentiâ nostrâ speciali, sub magno sigillo nostro vobis, præfati custodes, super hoc directâ, se divertat, sub pœnâ quod hujusmodi transiens extra dictum regnum nostrum, absque hujusmodi licentiâ nostrâ, nobis forisfaciet omnia, quæ nobis forisfacere poterit, et etiam extra protectionem nostram ipso facto ponatur;

Et quod nullus, cujuscumque statûs fuerit, aliquem vel aliquos extra dictum regnum nostrum, absque hujusmodi licentiâ nostrâ, ducere vel duci facere præsumat, clàm vel palàm, sub eisdem pœnis: et quod omnes illi, qui extra dictum regnum nostrum, absque hujusmodi licentiâ nostrâ, inveniri contigerit transientes, arestentur et capiantur, et prisonis nostris mancipentur, in eisdem moraturos, quousque aliud per ipsorum deliberationem duxerimus ordinandum:

Et vos, præfati custodes, à præfatis mercatoribus et eorum quolibet, ante recessum suum, corporale capiatis sacramentum, quod ipsi ad aliquas partes exteras ad aliqua alia facienda, nisi pro fidelibus mercandisis suis ibidem faciendis et excercendis, absque hujusmodi licentiâ nostrâ, se non divertent, nec aliquem vel aliquos ad dictas partes secum ducent, seu duci facient, clàm vel palàm, sub forisfacturâ et pœnâ prædictis:

Et nos in cancellariâ nostrâ de nominibus omnium et singulorum, ad dictas partes in dicto portu de hujusmodi licentiâ nostrâ transientium, ac de die passagii sui, distinctè et apertè de tempore in tempus, sub sigillis vestris certificetis, cum brevi nostro de licentiâ prædictâ:

Et hoc, sicut vos ipsos indempnes servare volueritis, nullatenus omittatis: scientes quod si aliqui contra hoc præsens mandatum nostrum ad dictas partes per ballivam vestram transire contingat, vos, præfati custodes, ex hâc causâ pœnam et forisfacturam prædictas subire faciemus.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem datâ; videlicet,

Majori et ballivis villæ de Kingeston super Hull ac custodibus passagii portus ejusdem villæ.
Ballivis villæ de Sancto Botulpho ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Magna Jernemuth ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Gippewico ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Lenn' Episcopi ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Colecestr' ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Faversham ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ Dovorr' ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ Sandewici ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Hethe ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Quenesburgh, ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Romency ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Wynchelse ac custodibus passagii.
Ballivis villæ de Hastynges ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Cicestr' ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Southampton' ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Dertmuth ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ de Plymmuth ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ Exon ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Falemuth ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Melcombe ac custodibus passagii, &c.
Majori et ballivis villæ Bristoll' ac custodibus passagii, &c.
Ballivis villæ de Fowy, ac custodibus passagii, &c.

De hominibus armatis, pro munitione navium, arestandis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Johanni de Brunham majori villæ de Lenne, Johanni Haukyn servienti nostro ad arma, et Johanni Kepe, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad quinquaginta homines armatos, ac sagittarios et marinarios, sufficientes pro munitione et eskippamento cujusdam magnæ navis, ac cujusdam bargeæ, et unius balingeræ villæ de Lenne, in locis ubi melius expedire videritis, alibi pro obsequio nostro minimè arestatos, cum omni festinatione quâ fieri poterit, arestandum et capiendum; ad easdem navem, bargeam et balingeram, et omnia alia vasa in comitatu Norff', Suff' et Essex', pro viagio carissimi avunculi nostri Johannis ducis Lancastriæ, arestata et ordinata, abindè versus portum Suthampton', salvò et secure ducendum; et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios inveneritis seu rebelles, arestandum et capiendum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus, quod circa præmissa cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis hominibus ad arma, armatis, sagittariis, dominis, magistris, et marinariis navium, bargearum et balingerarum, necnon vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et cuilibet vestrûm in executione præmissorum, intendentes sint, auxiliantes, obedientes et respondentes.

In cujus rei, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per concilium.

R. Tresylian justiciarius ad placita constituitur.

A. D. 1378.—An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni de Cavendissh capitali justiciario suo, salutem. Quia volumus quod dilectus et fidelis noster Robertus Tresylian, sit unus justiciariorum nostrorum ad placita coram nobis tenenda assign'; vobis mandamus quod ipsum Robertum ad hoc in socium admittatis.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

De compellendo ad defensionem villæ de Scardeburgh.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, ballivis villæ de Scardeburgh, salutem. Attendentes qualiter villa prædicta super costerâ maris in maximo periculo inimicorum situata, existit, ac intelligentes quod eidem villæ maximum dampnum et periculum, inimicorum nostrorum, nisi citiùs pro salvatione et securâ custodiâ ejusdem debitè provideatur, pro eo quod quamplures, terras, tenementa et redditus in eadem villâ possidentes, salvationi et defensioni villæ prædictæ contribuere recusant, evenire formidatur;

Volentesque proindè salvationi ejusdem villæ providere, volumus, et, de avisamento concilii nostri, vobis districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus, quod tam omnes et singulos dominos et alios, cujuscumque statûs et conditionis fuerint, terras, tenementa et redditus in eadem villâ habentes, quam illos, qui bona et catalla ibidem habent, in dictis terris, tenementis, bonis et catallis suis in eadem villâ, ad contribuendum custodiæ et salvationi villæ prædictæ, contra maliciam et aggressus inimicorum nostrorum, videlicet, quemlibet eorum juxta facultates et possessiones suas in eadem villâ, nemini in hac parte parcendo, exceptis tantum privilegiatis, compelli et distringi, et pro salvatione et securâ custodiâ ejusdem villæ, omnibus aliis prætermissis, super hoc ordinari faciatis.

Ita quod dampnum vel periculum eidem villæ, per hujusmodi hostiles incursus, quod absit, per vestri defectum non eveniat quovis modo. Et hoc sub gravi forisfacturâ, et sicut de periculo, si quod evenerit, respondere volueritis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xi. die Maii.

Per magnum concilium.

De navibus et marinariis arestandis, pro viagio Regis Castellæ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis, &c. salutem. Sciatis quod assignavimus dilectos nobis Jacobum Lyons, servientem nostrum ad arma, et Willielmum Wille, conjunctim et divisim, tam ad omnes et singulos naves, bargeas et alia vasa, quam ad omnes marinarios à ponte London' per totam aquam Thamisiæ, et abindè usque Suthampton' in singulis portubus et locis, tam infra libertates quam extra existentes, qui pro passagio carissimi avunculi nostri, Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, et aliorum dominorum, pro proximo viagio supra mare arestati vel assignati existunt, usque portum Suthampton' duci et venire faciendum;

Ita quod eosdem, naves, vasa et marinarios, habeant ibidem, cum omni celeritate et expeditione quâ fieri poterit, prout ipsis Jacobo et Willielmo per concilium nostrum pleniùs est injunctum: et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios seu rebelles invenerint, arestandum et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, districtiùs quo poterimus, injungimus et mandamus, quod eisdem Jacobo et Willielmo in præmissis omnibus et singulis intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout ipsi, vel eorum aliquis, vobis vel alicui vestrûm scire fecerint ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Maii.

[*Dupplicatur.*]

De viagio per Regem Castellæ supra mare.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 4. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, &c. ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Ricardum Imbrigg, servientem nostrum ad arma, ad capiendum centum marinarios idoneos in comitatu Essexiæ, ubicumque inveniri poterunt, infra libertates et extra, et eosdem marinarios venire faciendum usque portum Sandewici, citra quintum diem Junii proximò futurum, ad proficiscendum exindè, in servitium nostrum, ad vadia nostra, in proximo viagio, per carissimum avunculum nostrum Johannem Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, supra mare faciendo, prout eis, in adventu suo usque portum prædictum, ex parte nostrâ, injungetur;

Et ad capiendum quoddam vas, competens ad dictos marinarios et hernesia sua usque dictum portum, ex causâ prædictâ, ducendum, pro vadiis nostris, in manibus, per dictum Ricardum, tam dictis marinariis eundo usque dictum portum, quam marinariis dicti vasis, promptè solvendis;

Et ad sufficientem securitatem à dictis centum marinariis capiendum, quod ipsi ad dictum portum ad diem illum ad ultimum, erunt et extunc exindè durante dicto viagio, à servitio nostro, sine licentiâ admirallorum nostrorum, non recedent;

Et ad omnes rebelles, et ipsos qui talem securitatem invenire noluerint, arestandum, et prisonis nostris committendum, in eisdem moraturos.

Necnon ad arestandum, ex parte nostrâ, bona et catalla eorum, et ad ostia domorum suarum sigillandum, quousque iidem marinarii in dictum servitium nostrum proficisci, et ad hoc faciendum securitatem invenerint, ut prædictum est, invenire voluerint, vel quousque de eis nostram præceperimus voluntatem;

Et ideò vobis mandamus quod eidem Ricardo, in præmissis faciendis, intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes quotiens et prout idem Ricardus, vos, vel aliquem vestrûm, super hiis, oneravit, seu scire fecerit ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Maii.

Per billam de privato sigillo.

REX, eisdem, salutem. Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Johannem Orewell, servientem nostrum ad arma, ad sexaginta marinarios idoneos, in aquis Thamisiæ et Medeweye, et in costeris earumdem, ubicumque inveniri poterunt, tam infra libertates quam extra, arestandum et capiendum, et eosdem marinarios venire faciendum, usque portum Sandewici, infra quindecim dies proximò futuros, ad proficiscendum, *&c. ut supra usque ibi*, promptè solvendis *et tunc sic*, et ad sufficientem securitatem de dictis sexaginta marinariis capiendum, quod ipsi ad dictum portum, *&c. ut supra.*

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Maii.

Per billam de concilio.

Super financiâ comitis de Sancto Paulo.

A. D. 1378. — An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 4. in Turr. Lond.

VINCELOTUS DE GUYSY Gallicus, qui de licentiâ Regis in regnum Angliæ, à partibus transmarinis, causâ financiæ comitis de Sancto Paulo, prisonarii Regis, venturus existit, habet literas Regis de salvo conductu et protectione, veniendo à partibus prædictis, in regnum Angliæ, cum uno valetto et duobus equis, usque ad festum Sancti Michaelis proximo futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Maii.

Per concilium.

De subsidio pannorum.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Claus. 1 Ric. II. m. 2. d. in Turr. Lond.

REX, ballivis civitatis Norwici, salutem. Cum in quodam statuto contineatur quod omnimodi panni, qui venditioni exponuntur, antequam sigillentur sigillo ad hoc ordinato, exceptis pannis, quos aliquis pro vesturâ suâ et familiæ suæ fieri fecerit, nobis sint forisfacti;

Ac in quadam indenturâ, inter nos et Willielmum Gerard de Norwico, cui subsidium pannorum venalium in comitatu Norff' et Suff', quod domini et communitates regni nostri Angliæ domino Edwardo nuper Regi Angliæ avo nostro, nuper concesserunt, pro quadam certâ firmâ nobis annuatim reddendâ commisimus, confectâ, inter cætera, contineatur quod prohibitum erit, sub gravi forisfacturâ, nè aliquis factorum hujusmodi pannorum pannum aliquem extra suam permittat transire custodiam, quousque sigillo ad hoc ordinato sigilletur:

Nos, statum prædictum, ac conventiones in indenturâ prædictâ contentas, quantum in nobis est, observari volentes; vobis præcipimus, firmiter injungentes, quod in singulis locis infra civitatem prædictam, ubi meliùs expediri videritis, ex parte nostrâ publicè proclamari, et distinctè inhiberi faciatis, nè aliquis factor hujusmodi pannorum pannum aliquod, exceptis pannis illis, quos aliquis pro vesturâ suâ et familiæ suæ fecerit, sicut prædictum est, extra custodiam suam, ut præmittitur, transire permittat quousque sigillo prædicto fuerit consignatus, sub forisfacturâ supradictâ.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Maii.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eadem datâ; videlicet,

Majori et ballivis villæ de Lenn'.

Ballivis villæ Magnæ Jernemuth'.

Ballivis villæ de Bury.

Majori et ballivis villæ de Sudbury.

De marinariis capiendis, pro viagio Johannis Regis Castellæ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Rogero de Wylesham locum tenenti constabularii Dovorr', Willielmo Ide majori Sandwici, Thomæ Elys de Sandwico, et Henrico Cretyng servienti castri Dovorr', salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad eligendum et arestandum per vos et deputatos vestros, tot marinarios magis idoneos et sufficientes, qui inveniri poterunt, tam infra libertates Quinque Portuum quam alibi in comitatu Kantiæ, infra libertates et extra, exceptis illis, qui alibi pro obsequio nostro sunt assignati, quot pro munitione navium et vasorum subscriptorum necessarii fuerint, videlicet;

Navis vocatæ La James de Sandwico; balingeræ de Sandwico; novæ craieræ de Pruys apud Sandwicum existentis, unde Thomas Elys et socii sui sunt domini: ac navis vocatæ La Cristofre de Dansk', in quâ Johannes Bysquey interfectus fuit; navis vocatæ La Jerusalem London; magnæ navis vocatæ La Cogg de Pruce, quarum trium navium Johannes Philipot et socii sui sunt domini: necnon navis vocatæ La Cristofre London', undè Ricardus de Preston est dominus;

Et ad dictos marinarios in eisdem navibus et vasis ponendum, et eos cum eisdem navibus et vasis usque portum Suthampton' cum omni celeritate, duci faciendum; ita quod sint ibidem octavo die Junii proximò futuro ad ultimum, ad proficiscendum exindè in obsequium nostrum, ad vadia nostra, in proximo viagio supra mare, in comitivâ carissimi avunculi nostri, Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, prout eis ex parte nostrâ injungetur: et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios inveneritis seu rebelles, arestandum et capiendum, et eos prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque sufficientem securitatem vobis invenerint ad fideliter serviendum nobis in navibus et viagio supradictis;

Necnon ad capiendum sufficientem securitatem, tam de dominis quam magistris navium et vasorum prædictorum, quod ipsi dicta naves et vasa ad locum et diem prædictos promptè habebunt, sine difficultate aliqualiter, nemini, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, in hac parte parcendo.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm districtius quo poterimus, injungimus et mandamus, quod, omnibus aliis prætermissis, et excusatione quacumque cessante, circa præmissa omnia et singula cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ: et etiam dicta naves et vasa, cum omni festinatione quâ aliqualiter fieri poterit, arraiari et parari, et ea ad portum prædictum, ad diem illum promptè habeatis, ut prædictum est; taliter vos habentes in hac parte ita quod per vestri negligentiam et defectum, materiam non habeamus impedimentum viagii prædicti, quod absit, in vobis sub vestri periculo assignandi.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, ac aliis fidelibus nostris tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et cuilibet vestrûm in præmissis intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos seu aliquem vestrûm, super hiis ex parte nostrâ fueritis præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Maii.

Per concilium.

[*Duppl'.*]

Super eodem negotio.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Waltero Aunsel, magistro navis vocatæ La Jerusalem London', Willielmo Skantelon magistro craieræ vocatæ La Nicholas London', Johanni Knyght magistro craieræ vocatæ La Seint Marie London', Philippo Henden magistro craieræ vocatæ La Seint Mariebot de Smalheth, Laurencio Chesse magistro navis vocatæ La Katerine London', Waltero Skele magistro navis vocatæ La Margarete London', Thomæ Broun magistro navis vocatæ La Cristofre de Dansk', et Thomæ Couper magistro navis vocatæ La Cristofre London', salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad eligendum et arestandum per vos et deputatos vestros, tot marinarios magis idoneos et sufficientes, qui inveniri poterunt, tam in aquâ Thamisiæ quam in comitatu Essex', tam infra libertates quam extra, exceptis illis, qui alibi pro obsequio nostro assignantur, quot necessarii fuerint pro navibus et vasis supradictis; et ad eosdem marinarios in eisdem navibus et vasis ponendum, et eos cum eisdem navibus et vasis usque portum Suthampton' cum omni celeritate duci faciendum; ita quod sint ibidem octavo die Junii proximò futuro ad ultimum, ad proficiscendum exindè in obsequium nostrum, ad vadia nostra, in proximo viagio supra mare in comitivâ carissimi avunculi nostri, Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, prout eis ex parte nostrâ injungetur, et ad omnes illos, *&c. usque* viagiis supradictis.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm districtius quo poterimus, injungimus et mandamus, quod, omnibus aliis prætermissis, et excusatione quacumque cessante, circa præmissa omnia et singula cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis, *&c. ut supra.*

In cujus, &c.

Teste ut supra. Per concilium.

[*Triplicatur.*]

Pro majore et communitate villæ Novæ Sarum.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Pat. 1 Ric. II. p. 6. m. 16. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. Sciatis quod nos, ad supplicationem majoris et communitatis civitatis Novæ Sarum, nobis et concilio nostro per petitionem suam suggerentium, ipsos quoddam fossatum circa villam prædictam, pro salvatione et defensione ejusdem villæ et tocius patriæ adjacentis, si periculum, quod absit, eveniret, facere incepisse, et quandam palam ligneam super fossatum prædictum construere proposuisse; ipsosque ad præmissa perficienda, absque nostro juvamine, nullatenus sufficere;

De avisamento concilii nostri prædicti, concessimus eisdem majori et communitati proficuum et emolumentum de sigillo nostro, ad pannos sigillandos ordinato, provenientia, in civitate prædictâ, per unum annum proximò futurum, percipienda; unâ cum viginti quercubus ad maeremium aptis, in tali loco infra parcum de Claryndon, forestam de Bukholt, vel de Grovele capiendis, ubi justiciario nostro forestæ pro minori dampno nostro videbitur faciendo, in auxilium præmissorum. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Maii.

Per billam concilii.

Pro Thoma de Wodestok comite Bukynghamiæ.

A.D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Claus. 1 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Bukinghamiæ, qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, salutem.

Cum sextodecimo die Julii proximò præterito, videlicet, die coronationis nostræ, volentes personam carissimi avunculi nostri Thomæ de Wodestok ad exaltationem et decentiam statûs sui honorare, eidem Thomæ nomen et honorem comitis dederimus, et ipsum in comitem Bukynghamiæ præfecerimus, ac de eisdem nomine et honore per cincturam gladii investiverimus, habenda et tenenda eadem nomen et honorem comitis Bukynghamiæ sibi et hæredibus suis imperpetuum;

Et præterea dederimus et concesserimus, et cartâ nostrâ confirmaverimus, præfato comiti, sub nomine comitis Bukynghamiæ, viginti

libras, percipiendas et habendas sibi et hæredibus suis prædictis, singulis annis, de exitibus ejusdem comitatûs, per manus vicecomitis illius qui pro tempore fuerit, ad festa Sancti Michaelis et Paschæ, per æquales portiones, imperpetuum, prout in cartâ nostrâ prædictâ pleniùs continetur;

Tibi præcipimus quod eidem comiti id, quod ei àretro est de prædictis viginti libris annuis, à prædicto sextodecimo die, et easdem viginti libras exnunc, singulis annis, ad terminos prædictos, æquis portionibus, de exitibus comitatûs prædicti, de tempore in tempus solvas, et ei indè intendens sis et respondens juxta teuorem cartæ nostræ supradictæ;

Recipiens à præfato comite literas suas acquietantiæ, quæ pro nobis sufficientes fuerint in hac parte, et nos tibi indè, in compoto tuo, debitam allocationem habere faciemus.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Maii.

De conductu pro Rege Navarræ.

A.D. 1378. An. 1 Ric. II.
Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 4. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, per unum annum duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suam specialem nobilem et potentem principem Karolum Regem Navarræ; veniendo versus regnum Angliæ, cum quingentis personis, armatis vel non armatis, in comitivâ suâ, et in eodem regno, seu alibi per dominium et potestatem Regis, morando, et exindè ad propria redeundo, ac equos, hernesia, et bona sua quæcumque.

Teste Rege, apud Westm', xxxi. die Maii.

Per magnum concilium.

Ad priorem S. Johannis Jerusalem, pro Johanne de Assheton.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.
Claus. 1 Ric. II. m. 2. d. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi in CHRISTO, priori et confratribus Sancti Johannis Jerusalem in Angliâ, salutem.

Sciatis quod, de gratiâ nostrâ speciali, et eo prætextu quod carissimus dominus et avus noster nuper Rex Angliæ, defunctus, concessit servienti suo Johanni Assheton palfreyman, talem sustentationem, ad totam vitam suam habendam, in manerio de Hampton' in comitatu Midd', quod quidem manerium ad vos pertinet, in omnibus, qualem Johannes Baker defunctus ibidem habuit in vitâ suâ, ad mandatum carissimi domini et avi nostri supradicti; et ita acciderit, quod idem dominus et avus noster obiit antequam idem Johannes habuit seu recuperare potuit sustentationem prædictam, ut accepimus.

Concessimus eidem Johanni dictam sustentationem, habendam ad totam vitam suam, sicut prædictum est:

Et ideò vobis rogamus quatinus ipsum Johannem ad sustentationem illam admittatis, et ei talem sustentationem in omnibus, qualem prædictus Johannes Baker dum vixit, habuit, in eodem manerio vestro ministrari; et litteras vestras patentes communi sigillo vestro signatas mentionem de hiis, quæ de eodem manerio sic percipiet, facientes, sibi super hoc fieri faciatis: pro quo in agendis domus vestra prædicta teneri volumus specialius in futurum. Et quid indè ad hunc rogatum nostrum duxeritis faciendum, nobis rescribatis per præsentem portitorem.

Teste Rege, apud Westm', primo die Junii.

Per breve de privato sigillo.

De custodiâ castri de Frounsak, Johanni domino de Neville concessâ.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.
Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, cum dilectus et fidelis noster Johannes dominus de Nevill, locum nostrum tenens in partibus Aquitaniæ existat, sicut per indenturas inter nos et præfatum Johannem indè confectas, pleniùs continetur:

Nos, eâ causâ, de assensu concilii nostri concessimus præfato Johanni custodiam castri nostri de Frounsak, et terræ de Cadilak in Fronsades, ac terrarum de Cundak et de Barbana in dominio nostro Aquitaniæ, habendam cum omnibus proficuis, reventubus et emolumentis, ad dicta castrum et terras pertinentibus sive spectantibus, quamdiu prædictus Johannes locum nostrum tenens in partibus prædictis fuerit, absque aliquo nobis indè reddendo: ita quod idem Johannes omnia onera ejusdem custodiæ ad custus suos proprios supportet, absque aliquo à nobis ex hac causâ exigendo, quamdiu custodiam habuerit antedictam.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

De monetâ Scotiæ usque Eborum ducendâ.

A.D. 1378. An. 1 Ric. II.
Rot. Scot. 1 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Northumbriæ, salutem. Cum per literas nostras patentes assignaverimus et deputaverimus dilectos et fideles nostros Robertum de Boynton, custodem castri, Thomam de Ilderton, camerarium villæ nostræ Berewici super Twedam, Alanum del Strother, vicecomitem de Rokesburgh, et te, ad recipiendum, nomine nostro, de Roberto consanguineo nostro Scotiæ, vel deputatis ab eo, apud Berewicum super Twedam, quatuor milia marcarum sterlingorum de monetâ nostrâ Angliæ, vel aurum seu argentum ad valorem;

Quæ quidem quatuor milia marcarum dictus consanguineus noster, ad festum Sancti Johannis Baptistæ, in partem satisfactionis quinquaginta et sex milium marcarum, in quibus idem consanguineus noster et alii domino Edwardo nuper Regi Angliæ, avo nostro, et hæredibus suis obligantur, pro David de Bruys defuncto, nobis solvere tenetur;

Et ad dicta quatuor milia marcarum abindè usque civitatem nostram Eboracensem, ad custus nostros, de exitibus dicti comitatûs Northumbriæ, sine dilatione conducendum, ibidem Willielmo de Melton, chivaler, ac majori civitatis Eborum liberandum, prout in literis nostris prædictis pleniùs continetur;

Tibi, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, præcipimus, firmiter injungentes, quod dicta quatuor milia marcarum, à dictâ villâ Berewici, usque civitatem nostram Eborum, salvò et securè, in comitivâ prædictorum Roberti, Thomæ, et Alani, vel Thomæ Durant, quem ad dicta quatuor milia marcarum computandum, numerandum, et triandum assignavimus, sumptibus nostris, de exitibus dicti comitatûs Northumbriæ, cum omni celeritate conduci, et præfatis Willielmo et majori, per indenturas, indè inter vos modo debito faciendas, liberari facias;

Et de custubus, quos circa conductionem prædictam apponi contigerit, tibi in compoto tuo debitam allocationem habere faciemus.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Junii.

De protectione pro Johanne de Neville de Raby, locum tenente Regis Aquitaniæ, et aliis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.
Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

JOHANNES de Nevill de Raby, locum tenens nostrum in Aquitania, qui in obsequium Regis, ad partes Aquitanniæ, profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in comitivâ præfati Johannis ad partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub data subscripta; videlicet,

Robertus de Orgill',
Willielmus de Claxton, chivaler,
Willielmus de Lynton',
Nicholaus de York,
Robertus Moubray, chivaler,
} *Teste Rege, apud Westm', v. die Junii.*
Per billam, &c.

Jacobus the Brune. Teste Rege, apud Westm', primo die Junii.
Per billam, &c.

Adam de Mysterston,
Robertus Munchamp de Akes, } *Teste Rege, apud Westm', vi. die Junii.*
Per billam, &c.

Johannes Lempster. Teste Rege, apud Westm', primo die Junii.

Willielmus Bruys, chivaler. Teste Rege, apud Westm', quinto die Junii.
Per billam, &c.

Johannes Warde,
Willielmus Elys,
Johannes Heron',
Willielmus de Thirlkeld,
Thomas Fairfax. } *Teste ut supra.*
Per billam, &c.

Johannes Tolof de Scocia,
Ricardus Reynes de London',
Adam Penteneye de London',
Johannes Brettevill'. } *Teste Rege, apud Westm', xx. die Junii.*
Per billam, &c.

Radulphus Stokes alias dict' Radulphus de Thornton de comitatu Eborum. Teste Rege, apud Westm', ix. die Junii.
Per billam, &c.

Cuthbertus de Fisshebnrn'. Teste Rege, apud Westm', xv. die Junii.

Walterus Albyn de Cokesale,
Johannes de Rouchestre,
Willielmus Shorthose,
Johannes Roche, chivaler,
Willielmus de Hilton',
Thomas de Etton',
Robertus Clifford',
Willielmus de Carnaby,
Walterus Giles,
Johannes de Sudbery,
Thomas Bikeryng,
Willielmus de Tyberton',
Johannes Glissham,
Willielmus Swynbourne,
Willielmus Berughby,
Willielmus Randon',
Willielmus Elys de Berewyk in Elmet,
Johannes Stainer de Essex',
Robertus Parkere,
Thomas de Halghton',
Johannes Man de comitatu Cornubiæ. } *Teste Rege, apud Westm', Per billam, &c.*

De forisfactis, per rebellionem Berardi de Lebreto, domino de Montferant concessis.

A.D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de gratiâ nostrâ speciali, et pro bono servitio quod dilectus et fidelis noster Bertrandus dominus de Montferant nobis impendit et impendet in futurum, et consideratione magnorum dampnorum quæ habuit et sustinuit occasione præsentium guerrarum, de assensu concilii nostri, dedimus et concessimus prædicto Bertrando omnia hospitia, terras, redditus, reventiones, maneria, jurisdictiones, homines, jura, debita, et deveria, ac omnia alia bona, mobilia et immobilia, quæ Berardus de Lebret, chivaler, nuper dominus de Lognoyran, habuit, tenuit, et percepit, et quæ sibi debebantur in civitate nostrâ Burdegalæ et in baillagio ejusdem; exceptis locis, terris, juribus, et deveriis in Tiran et Brissak, et pertinentiis suis quibuscumque:

Dedimus etiam eidem Bertrando omnia terras et deveria, quæ præfatus Berardus habuit et tenuit in villâ et castellaniâ de Bourg, et in patriâ de Burgzes, ac omnia debita quæ sibi debebantur ibidem, cum omnibus pertinentiis suis, ante tempus rebellionis suæ contra nos, quæ quidem hospitia, terræ, redditus, reventiones, maneria, jurisdictiones, homines, debita, jura, et deveria, per forisfacturam et rebellionem prædicti Berardi, ad nos pertinent;

Habenda et tenenda omnia prædicta hospitia, terras, redditus, reventiones, maneria, jurisdictiones, homines, jura, et deveria, cum pertinentiis, et dictis locis, terris, juribus, et deveriis de Tiran et de Brissak, cum pertinentiis, ad totam vitam præfati Bertrandi, de nobis et hæredibus nostris per eadem servitia, per quæ prædictus Berardus ea tenuit ante rebellionem supradictam;

Ita semper quod, post mortem prædicti Bertrandi, omnia prædicta hospitia, terræ, redditus, reventiones, maneria, et jurisdictiones, cum pertinentiis, sibi per nos sic data, ad nos et hæredes nostros integrè revertantur.

In cujus, &c.

Dat', apud Westm', ix. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

Et mandatum est locum tenenti Regis in dominio Regis Aquitaniæ, ac constabulario et majori civitatis Burdegalæ, et eorum cuilibet, quod ipsum Bertrandum in possessionem hospitiorum, terrarum, reddituum, reventionum, maneriorum, jurisdictionum, hominum, jurium, debitorum et deveriorum, ac bonorum prædictorum, per Regem sibi sic datorum ponant et inducant, seu poni et induci demandent, ac ipsum in possessione hujusmodi teneri et tueri faciant, habendorum et tenendorum juxta vim et effectum literarum Regis prædictarum.

Dat' ut supra.

Per breve, &c.

J. dominus de Neville locum tenens Regis in Aquitaniâ constituitur.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis prælatis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, militibus et liberè tenentibus, senescallis, majoribus, juratis, consulibus, universitatibus, collegiis, communitatibus, constabulariis, castellanis, præpositis et receptoribus exituum, ac ballivis et fidelibus suis ducatûs Aquitaniæ, et aliis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate, circumspectione et industriâ dilecti et fidelis nostri Johannis domini de Neville plurimum confidentes, ipsum Johannem locum nostrum tenentem in dicto ducatu nostro Aquitaniæ constituimus per præsentes, quamdiu nostræ placuerit voluntati:

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm injungimus et mandamus, quod eidem Johanni, quamdiu eum tenuerimus in dicto officio, in omnibus, tanquam locum nostrum tenenti ibidem, pareatis, respondeatis, et fideliter intendatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Junii.

Per ipsum Regem et concilium.

De intendendo locum tenenti Regis in Aquitania.

A.D. 1378. An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon. 1 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Soldano de la Trau, salutem.

Cum nos, de fidelitate, circumspectione, et industriâ dilecti et fidelis nostri Johannis domini de Neville plurimum confidentes, ipsum locum nostrum tenentem in ducatu nostro Aquitaniæ constituerimus, quamdiu nostræ placuerit voluntati, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, pleniùs continetur;

Vobis districtiùs quo poterimus, firmiter injungendo, mandamus quod eidem Johanni, quamdiu in officio prædicto steterit, in omnibus et singulis, tanquam locum nostrum tenenti ibidem, pareatis, respondeatis, et fideliter intendatis. In cujus, &c.

Dat', apud Westm', x. die Junii.

Per ipsum Regem.

Eodem modo mandatum est subscriptis, sub eadem data; videlicet,

Domino de Montferrant.
Domino de Montferrant de Pierregort.
Domino de Roasan.
Domino de Duras.
Domino de Caupenn.
Domino de Lesperre, vel ejus locum tenenti.
Domino de Costilhen.
Domino de Curton.
Capitaneo de Bouch.
Petro de la Mote, domino de Rogtaillade.
Johanni de Roasan, domino de Puyole.
Majori et centum paribus de Baiona.
Præposito, majori, burgensibus et habitantibus civitatis et præpositure Dax.
Majori et juratis villæ Regis Burdegal'.
Majori et juratis de Lybourne.
Præposito et habitantibus villæ et præpositure Sancti Severi.
Universis et singulis generosis et probis hominibus senescalciæ Landarum.
Castellano, majori et probis hominibus de Bourgh.

De potestate traditâ Johanni domino de Neville, locumtenenti Regis Aquitaniæ.

A. D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon.
1 Ric. II. m. 2.
in Turr. Lond.

LE Roy, a touz ceux qui ces lettres verront, saluz. Sachez que come nous eions par nos autres lettres patentes, constitut notre cher et foial Johan sire de Nevill, notre lieutenant en notre duchee de Guyene, tancome nous plerra, come en noz dites lettres est plus a plein.

Nous, a fin que de la venu du dit lieutenant le plus eese et quiete a lui et as autres de celles parties, noz liges et bien veullantz, et le greindre seurtee a noz terres et seignuries illoeques, se purront acrescre et avenir, par la grace de DIEU, et confiantz a plein de les sen et loialte de notre dit lieutenant, lui avons ottroie et commis, ottroions et commettons, par la teneure de ces presentes, de l'assent de notre conseil, pleine poair et auctorite q'ensuient, c'estassavoir;

De prendre et recevoir a notre pees et grace touz noz enemys et rebelx, qui a notre obeissance venir vorront, et de quipter, pardoner et remetter a toutes manieres de gentz, qui bon lui semblera pour l'onur ou profit de nous, soient Englois, Galois, Escoitz, Irreis, Gascons, Guiens, Franceois, ou de quecon que nacion qu'ils soient, touz cas de crim, de lese mageste, roberies, larcyns, pilerie, murtres, forces et touz autres cas criminous faitz en temps passe, ou affaire lui esteantz en dit office.

Et auxi de recevoir pour et en noun de nous, homages et seremen tz de foialte de touz noz liges en celles parties, sibien prelatz et nobles, come des communes.

Et auxi q'il puisse faire assemblez de gentz d'armes pour le fait de guerre, soit il pour faire chivanchez ou mettre seges, garder villes et forteresce, ou pour autre chose, selonc ce que le cas requerra, et que les dites gentz d'armes soient comandez de lui obeir.

Et qu'il puisse assembler prelatz, nobles, et communes, quant mester serra, pour avoir avis ovesque eux sour la governance et estat du paiis, et pour avoir, demander et requerer eide de eux a la tuicion et garde de paiis, sicome affaire serra.

Et auxi qu'il puisse graunter imposicions a lever sour les marchandises en maniere acustumez en celles parties, en eide de sustenir les gentz d'armes, et autres charges necessaires a la garde et tuicion de paiis, sicome bon lui semblera, pour l'onur et profit de nous, et de revoquer et repeller celles, qui lui semblera estre countre l'onur et profit de nous.

Et auxi qu'il puisse faire faire et batre monois d'or et d'argent, et monoi noir, touz les foiz que bon lui semblera, et de les faire avoir tiel cours et value come a lui semblera a l'onour et profit de nous, et de punir les refusanz et trespassours, sicome le cas requert.

Et auxi de renvier et ouster touz manieres d'officiers, de quel estat ou condicion qu'ils soient, exceptz les constable et maire de Burdeux, et les juges de Reffort, et le juge mage de Gascoign, et contrerollour de chastel de Burdeux, et ceux qui ont estat en aucunes offices pour terme de vie de notre graunt, ou de nos progenitours, et de mettrer et pouser autres suffisanz en lour lieux, tant de foiz que bon lui semblera pour l'onur et profit de nous.

Et auxi qu'il puisse mettre conseillers pour la gouvernement de paiis, tanz et tieulx que lui semblera meulz pour l'onur et profit de nous, et a eux ordener covenable regarde pour la dite cause, et les renvier et changer quant bon lui semblera.

Et auxi qu'il puisse prendre et faire trieues et abstinences de guerre en les parties d'Aquitaigne avec noz enemys et rebelles, tieux et pour tiel temps come lui semblera a l'onur et profit de nous.

Et qu'il puisse donner saufs conduytz de grace tantz et tieux, et pour tant de temps come lui semblera bon al honur et profit de nous.

Et aussi que des issues, profitz et revenues de paiis d'Aquitaigne, qui serront de temps en temps paiez, les charges ordinaires et acustumez, et les donacions faites a noz liges en celles parties pour lour bon service, il puisse ordeiner, sicome bon lui semblera pour l'onur et profit de nous, et la garde et tuicion de paiis et en oultre affaire, et excercer toutes autres choses qui au bon regimen de paiis, et a office du lieutenant appartienent, promettantz nous avoir et tenir ferm et agreable quantque le dit Johan lieutenant enferra par vertu de poair et auctorite dessuidites.

Don' par tesmoignance de notre grande seel, a notre palois de Westm', le x. jour de Juyn.

Par le Roy et son conseil.

Pro Johanne domino de Neville, locumtenente Regis in ducatu Aquitaniæ.

A. D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon.
1 Ric. II. m. 1.
in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui ces lettres verront, saluz. Sachez que come nous eons par nos autres lettres patentes, constitut notre cher et foial Johan seignur de Nevill notre lieutenant en notre duchee de Guyen, tancome nous plerra, come en noz ditz lettres contenuz est plus au plein.

Nous, a fin que de la venue du dit lieutenant le plus eese et quiete a lui et as autres de celles parties, noz liges et bienveullantz, et la greindre seurtee a noz terres et seignuries illoeques, se purront acrescre et avenir, par la grace de DIEU, et confiantz a plein de les sen et loialtee du notre dit lieutenant, lui avons ottroie et comis, ottroions et comettons, par la teneure de ces presentes, de l'assent de notre dit conseil, plein poair et auctorite, que des terres et heritages des rebelles, qui sont, ou serront a nous confisques, le dit lieutenant puisse, par avis du conestable de Burdeux, et des autres de notre conseil illoeques, doner a persones bien meritoires, cestassavoir, jusques a la somme de vint livres d'esterlings par an a la persone, ou dedenz solonc lour estat et desert: horspris et reservez a nous tout ce q'est en Burdeux, et tout ce que ancienement estoit de patrimonie roial et appartenant a noz progenitours, a avoir et tenir a terme de les vies des dites persones, as queux ils serront ensi donez. Sauvant toutdys a nous que nous purrons faire grace as ditz rebelx si nous plerra et a eux restituer en ce cas de notre grace especiale lour terres et heritages suisdites.

Et aussi, que par mesme l'avis il puis doner et assigner les biens moebles des ditz rebelx a ceux qui lui semblera affaire, en regard du service par eux fait et affaire a nous en noz guerres es dites parties.

Promettantz nous avoir et tenir ferme et agreable quantque le dit Johan lieutenant en ferra, par vertue du poair et auctorite dessuisdites.

Don' par tesmoignance de notre graunt seel a notre palois de Westm', le x. jour de Juyn.

Par le Roi et son conseil.

De eodem negocio.

Le Roi, a touz ceux, &c. *ut supra, usque ibi* plein poair et auctorite, *et tunc sic*, d'user et exercer par tout la ou il serra, ou son lieutenant, justice haute et basse, mere et mixte impere, et justice de touz rebelx et traitous sibien en touz cas de crym, de lese mageste come autrement, et auxi robours, larons, meurtrers, forsours des femmes, violours de seint eglise, batours de feu, rumpours des trieues, ou de saufconduitz, et touz autres mesfesours, selonc ce que le cas requerront, de quel estat ou condicion qils soient.

Promettantz, &c. *ut supra.*

Don, ut supra.

Par le Roi et son conseil.

De potestate audiendi querelas, provocationes, et appellationes in partibus Aquitaniæ.

A. D. 1378.
An. 1 Ric. II.

Rot. Vascon.
1 Ric. II. m. 3.
in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi in CHRISTO, abbati de Sancto Severo, abbati de Bournet, decano de Sancto Andrea, et decano de Sancto Severino, ac dilectis et fidelibus suis, Archibaldo de Greilly, capitaneo de Bogeo, domino de Lesparre, domino de Duras, constabulario villæ nostræ Burdegalæ pro tempore existenti, magistro Reymundo Guilliam de Puy, et magistro Petro Fernand, salutem.

Quia juxta debitum suscepti regiminis, omnibus et singulis ad nos, ut ad Regem Franciæ et superiorem dominum ducatûs Aquitaniæ et partium adjacentium, querelantibus, provocantibus, et appellantibus, desideramus fieri plenæ justitiæ complementum;

Nos, de vestris fidelitate et circumspectione providâ confidentes, ad recipiendum et audiendum omnes querelas, provocationes, et appellationes ad nos, ut Regem Franciæ, in dictis ducatu et partibus sic factas et interpositas, et imposterum faciendas et interponendas, et in omnibus causis querelarum, provocationum, et appellationum hujusmodi civilibus, cum emergentibus, incidentibus, et dependentibus in et ab eisdem, procedendum, citandum, cognoscendum, inhibendum, interloquendum, diffiniendum, exequendum, et ipsas, secundum leges, foros, ac consuetudines dictarum partium, ac stilum et cursum curiæ nostræ Franciæ, fine debito terminandum;

Et omnia alia et singula facienda et exercenda quæ in præmissis et ea tangentibus necessaria fuerint, etiam si mandatum exigant speciale;

Vobis decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, et tribus vestrûm, quorum vos, præfate constabularie, unum esse volumus, cum punitionis et cohertionis debitæ potestate, vices nostras committimus, donec eas duxerimus revocandas;

Et ideò vobis mandamus quod, circa præmissa facienda, diligenter, solerter, et fideliter intendatis:

Damus autem omnibus archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, vicecomitibus, marchionibus, baronibus, senescallis, majoribus, præpositis, officialibus, ministris, et omnibus aliis fidelibus nostris, tam nobilibus quam popularibus, dictarum partium, tenore præsentium, in mandatis quod vobis decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, et tribus vestrûm, quorum vos, præfate constabularie, unum esse volumus, intendant et pareant in præmissis.

In cujus, &c. quamdiù nobis placuerit duraturas.

Dat', apud Westm', xv. die Julii.

Per billam de privato sigillo.

Super viagio Regis Castellæ, de moustro faciendo.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.
Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Thomæ de Wodestok comiti Bukinghamiæ constabulario Angliæ avunculo nostro carissimo, Johanni de Arundell marescallo Angliæ, Roberto de Swylyngton, Johanni de Ipre, Radulpho de Ferrers, Johanni del Hay, Willielmo Walleworth, Johanni Philipot, et Johanni de Lincoln clerico, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, octo, septem, sex, quinque, quatuor, et tres vestrûm, ad moustrum hominum ad arma et sagittariorum, de retinentiâ quorumcumque dominorum et aliorum, in viagio per carissimum avunculum nostrum, Johannem Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, in obsequio nostro, supra mare faciendo, profecturorum, capiendum et supervidendum, et ad defectus, quos ibidem inveneritis, in scriptis redigendum, et ad concilium nostrum indè plenè, ac distinctè, et apertè certificandum;

Et ideò vobis mandamus quod vos, &c. circa præmissa, cum omni diligentiâ, intendatis, et ea faciatis et excerceatis, ac concilium nostrum de defectibus, quos ibidem inveneritis, in scriptis certificetis, in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis dominis ac hominibus ad arma, sagittariis, et aliis quibuscumque, de retinentiâ supradictâ, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, in mandatis, quod vobis &c. in præmissis obediant, pareant, et respondeant, prout decet.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Junii.

Per concilium.

De generalibus attornatis, pro comitivâ ejusdem Regis.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.
Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 4. in Turr. Lond.

PHILIPPUS le Despenser chivaler, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi avunculi Regis Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, supra mare profecturus est, habet literas Regis de generali attornatu, sub nominibus Johannis Basset, vicarii ecclesiæ de Gedeneye, et Nicholai de Hacclyf, sub alternatione, ad lucrandum, &c. in quibuscumque curiis Angliæ, per unum annum duraturas. Pr. &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Junii.

Johannes de Waltham recepit attornamentum.

Consimiles literas habent subscripti; videlicet,

Willielmus de Belesby.
Willielmus de Ufford, comes Suffolciæ.
Robertus Cornu miles.
Walterus de Cokeseye chivaler.
Rogerus Venent armiger.
Edwardus de Berkele chivaler.
Edmundus de Appelby chivaler.

De potestate tractandi cum Rege Arragonum.

A. D. 1378. An. 1 Ric. II.
Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 1. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate et industriâ dilectorum et fidelium nostrorum, Johannis Nevill locum nostrum tenentis in partibus Aquitaniæ, Johannis de Roches militis, et magistri Gerardi de Meuta, pleniùs confidentes, de consensu et avisamento concilii nostri, ipsos locum nostrum tenentem, Johannem de Roches, et Gerardum, et duos eorum, nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ad tractandum et concordandum cum magnifico et potenti principe, domino Petro Rege Arragonum illustri, consanguineo nostro carissimo, seu ejus in hac parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso Rege habentibus, de quibuscumque amicitiis, alligantiis, et mutuis auxiliis, inter nos et hæredes nostros, pro nobis, regnis, terris, et dominiis, ac subditis, et vassallis nostris quibuscumque, et ipsum Regem et hæredes suos, pro se, regnis, terris, et dominiis suis, ac eorum omnibus subditis et vassallis, pro perpetuo duraturis, ordinamus, facimus, et constituimus per præsentes;

Dantes et concedentes eisdem locum nostrum tenenti, Johanni de Roches, et Gerardo, et duobus eorum, potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis, hæredibus, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris, præmissa omnia et singula tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Et omnia, cum tractata, concordata, et expedita fuerint, firmandi, vallandi, et omnia alia excercendi, quæ circa ea necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid iidem locum nostrum tenens, Johannes de Roches, et Gerardus, vel duo eorum, nomine nostro, fecerint in præmissis, seu aliquo præmissorum.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', xx. die Junii.

Per magnum concilium.

De potestate tractandi cum comite Fuxi.

A. D. 1378.—An. 1 Ric. II.
Franc. 1 Ric. II. p. 2. m. 1. in Turr. Lond.

EODEM modo assignantur præfati Johannes, Johannes, et Gerardus, ad tractandum cum nobili et potenti viro Gastone comite Fuxi.

Dat' ut supra.

Per magnum sigillum.

De protectionibus, pro comitivâ Regis Castellæ.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.
Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 20. in Turr. Lond.

JOHANNES FISHER rypyer, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi avunculi Regis Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, supra mare profecturus est, habet literas Regis de protectione, cum clausula 'Volumus', &c.

In cujus, &c. usque ad festum Omnium Sanctorum, proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Junii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles literas Regis habent subscripti; videlicet,

Thomas Mewes chivaler.
Johannes de Burgh le filz chivaler.
Johannes Ovenyld.
Johannes Pas de Dertmuth.
Thomas Barley scutifer.
Thomas de Metham miles.
Johannes de Seyton miles.
Robertus Knolles miles.
Petrus Wyk miles.
Willielmus Randolf miles.
Thomas Scoggayn armiger.
Thomas Bradeshagh chivaler.
Thomas Symond chivaler.
Thomas Gerwold senior, de Kyngeston super Hull.
Johannes Andrue miles.
Alexander de Coldingham miles.
Petrus Straunge miles.

De reformando attemptatuum.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod dilectos et fideles nostros, Hugonem de Calvylegh capitaneum villæ nostræ Calesii, Hugonem de Segrave, Bernardum Brocas, milites, magistrum Walterum Skirlawe legum doctorem, Edmundum Halsted et Ricardum de Wodehall, de quorum industriâ et fidelitate plenè confidimus, de consensu et avisamento concilii nostri, nostros veros et legitimos commissarios, procuratores ac nuncios speciales constituimus, ordinavimus, et fecimus per præsentes:

Dantes et committentes ipsis, quinque vel tribus eorum, plenam, tenore præsentium, potestatem et auctoritatem ac mandatum generale et speciale tenendi, continuandi, firmandi et corroborandi inter nos et subditos nostros et carissimum consanguineum nostrum Lodewicum comitem Flandriæ et villas suas Gaunde, Brugges et Ipres, et gentes suas de Franco, et cæteros ipsius comitis subditos, amicitias, alligantias, conventiones et concordias inter excellentissimum principem, celebris memoriæ, Edwardum nuper Regem Franciæ et Angliæ, avum nostrum, pro se et subditis suis ex parte unâ, et ipsum consanguineum nostrum ac villas suas prædictas et ipsos de Franco, cæterosque ipsius comitis subditos ex alterâ parte, hactenus factas, initas, et diutiùs observatas, prout in litteris ipsius avi nostri et comitis, eorum magnis sigillis consignatis, pleniùs specificatur;

Ac ad easdem amicitias, alligantias, conventiones et concordias, si necesse fuerit, ampliandi, elargandi, declarandi, et reformandi, et ad litteras de confirmatione super amicitiis, alligantiis et concordiis prædictis realiter tradendum et liberandum, ac consimiles ex parte ipsius comitis petendum et recipiendum; necnon super attemptatores per quoscumque ex unâ et alterâ parte, contra vim et tenorem alligantiarum et concordiarum prædictarum factis, tractandum et concordandum, et ad ea, quæ per subditos nostros attemptata fuerint, quatenùs de jure fieri debeat, realiter reparari et reformari ac restitui faciendum, et ad omnes subditos nostros ad hoc faciendum, per eorum corpora et bona compelli et distringi; ac ad quoscumque rebelles in hac parte arestari et capi, et prisonis, si necesse fuerit, committi faciendum, et ad consimilem reformationem et restitutionem super hujusmodi attemptatis de præfato comite et subditis suis pro nobis et subditis nostris petendum et recipiendum, et ad omnia alia et singula faciendum et exequendum, prout ipsis nunciis, et commissariis, seu procuratoribus nostris, quinque, quatuor, vel tribus ipsorum, pro honore et commodo nostro, regnique et subditorum nostrorum, juxta discretiones suas magis videbitur expedire.

In cujus, &c.

Dat' in palatio nostro Westm', xxvi. die Junii.

De confirmatione concordiæ inter Regem Angliæ et Flandrenses.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

RICHARD, par la grace de DIEU, Roi d'Engleterre et de France et seignur d'Irlande, a touz ceux qui cestes lettres verront ou orront, saluz.

Savoir vous faisons que nous avons veu le teneur des lettres de notre trescher seignur et aiel sire Edward nadgairs Roy de France et d'Engleterre, qi DIEU assoille, sur certein traitie fait en temps passe entre notre dit aiel, ses subgitz et paiis d'une part, et Loys conte de Flandres, ses villes, paiis et subgitz de Flandres d'autre part, pour les marchantz et subgiz d'une coste et d'autre, avec leur biens et marchandises aler et passer, mener, conduire, et retournir franchement, tant par mer come par terre, des quelles lettres le teneur sensuit de mot a mot.

EDWARD, &c. *prout de data 5 diei Aprilis an.* 1372.

Nous, Richard Roy dessusdit, pour la seurete et profit des subgiz et marchanz de l'un cost et de l'autre, a fin q'ils puissent avec leur biens et marchandises passer, aler, converser, et retournir paisiblement, sicome nous desirrons, avons, de l'assent de notre conseil, pour nous, noz subgiz et paiis dessusditz, les lettres dessus escrites et tout le teneur dicelles, consentiz, approvez et confermez, et par ces presentes consentons, approvons et confirmons, et promettons a tenir et faire tenir a dit counte de Flandres, ses villes, paiis et subgiz de Flandres bien et loialment, tout fraude et male engine ostees.

Don' par tesmoignance de notre graunt seal a notre paleys de Westm' le primer jour de Juyl l'an de notre regne second.

Par le Roy et son conseil.

De potestate tractandi cum Rege Castellæ.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II m. 21. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront, salutz. Savoir faisons que nous, confiantz a plein du sens, loialte et diligence de notre cher et foial Henri Lescrop banerett, et notre cher clerc William de Dighton, chanoigne de l'esglise de Seint Paule de Londres, et de notre ame esquier Simon de Burgh, yceux avons fait, constitutz et establiez, faisons, constituons, et establissons, par la meillour forme et maniere que de droit et de custume puet et doit estre fait, nos procureurs generalx et certeins messages especialx;

As queux ensemble, ou a deux dyceux, nous avons donez et donnons par ces presentes plein poar, auctorite et mandement especial, de traiter, faire, passer, accorder, et fermer confederacions, amistees et alliances, les plus fortes et plus fermes que se purront faire ou deviser, entre lui noble et puissant prince notre trescher et tresame cousin Charles Roi de Navarre, ses successours, roialme, terres, seignuries et subgitz d'une part, et nous, noz successours, roialme, terres, seignuries et subgitz d'autre part, soit par mariages faisant ou autrement, sur tieles forme, condicions, obligacions et seurtees, come a noz ditz procureurs bon semblera;

De jurer en l'alme de nous, et de faire quiconques sermentz sur ce que mestier serra, et quiconques autres seuretes bailler et donner, qui bon semblera a noz ditz procureurs, pour tenir et accomplir par nous tout ce que par eux sur les choses dessusdites serra fait, tretee, passe, accordee et fermee;

De demander, requerer, et veoir fair pour nous et en notre noun, a notre cousin ou a ses procureurs, et recevoir dyceux sur les choses dessusdites et chescun dycell, tiels et semblables sermentz, obligacions et seurtes come ferront ceux, a quoi noz ditz procureurs nous averont obligez, ou autres, ou en autre forme et maniere, sicome bon leur semblera; et generalment de faire en touz les choses dessusdites, et chescun dycelles et es dependences, tout et tant come nous meismes ferrions et fair purrons, si personelement nous y estions, mes quelles feussent plus graundes ou meindres de celles dessus exprimees et declarees, et que de leur nature requeissent maundement plus especiale.

Promettantz en bon foi, en parole du Roi, et sur les obligacions et seurtees a quoi noz ditz procureurs nous averont obligez, nous avoir ferme et agreable tout ce que es choses dessusdites, en chescun dycell et es dependences, par les dessusdites noz procurours, ou les deux dyceulx, serra fait, traitie, passee, accorde, fermee et juree, sanz excepcion, fraude ou male engine ascune, et sanz jamais venir a lencontre en ascune maniere en temps avenir.

Don par tesmoignance de notre graunt seal a notre paleis de Westm' le xiie. jour de Juyl.

Pro hominibus ad arma arraiandis.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 32. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kanciæ, salutem. Quia pro certo didicimus, quod nonnullæ galeæ et balengeræ inimicorum nostrorum Franciæ et aliundè, supra mare congregatæ existunt, et regnum nostrum Angliæ ingredi proponunt, ad mala et facinora, quæ poterunt, inferendum, nisi eorum maliciæ viriliter obvietur;

Nos, salvationi regni nostri prædicti ac populi nostri ejusdem prospicere volentes, ut tenemur, tibi præcipimus, districtius quo poterimus injungentes, quod quacumque excusatione cessante, omnes homines ad arma, armatos, et sagittarios comitatûs prædicti, tam infra libertates quam extra, arraiari et armis competentibus muniri, viis et modis quibus poteris, tantâ necessitate consideratâ, celeriter compellas, et eos in arraiatione hujusmodi teneri facias; ita quod prompti sint et parati ad malitiæ inimicorum nostrorum prædictorum, quando et quotiens regnum nostrum prædictum ingredi præsumpserint, resistendum.

Et hoc, sub forisfacturâ omnium, quæ nobis forisfacere poteris, nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Julii.

Consimile breve dirigitur vicecomiti Sussex', sub eadem data.

De auxilio Regi Navarræ, contra Henricum Bastardum, occupatorem regni Hispaniæ, præstando.

A. D. 1378.
An. 2 Ric. II.

Rot. Franc.
2 Ric. II. m. 17.
in Turr. Lond.

LE Roi, a nostre trescher et foial Johan seigneur de Nevill, nostre lieutenant es parties d'Aquitaine, salutz.

Come par certeyn traitee faite et accordez parentre nos et tresnoble prince et nostre trescher et tresame cosin Charles Roi de Navarre, par noz procureurs d'une part et d'autre, le dit Roy ad baillez et deliverez a nous son chastel et sa ville de Chirbourg, a tenir en nostre meyn par le terme de trois ans procheinz ensuantz apres la dite deliverance, en exploit de nostre guerre;

Et par celle cause et autres, que a ce nous ont meuz, aiens grantez et promys a nostre dit cosyn, de li aider et socoure de cink centz hommes d'armes et cink centz archiers, ou autres combatantz suffisantz, a noz propres costages et despenz, pur estre ovesque nostre dit cosyn, et li servir par quatre moys, en la chivanche q'il fera, en sa persone, deinz son roiaume de Navarre, ou dehors en roiaume d'Espaigne, pur invaire et guerroier le Bastard Henri, occupant a present le dit roiaume d'Espaigne, ou ses amys, alliez, et bienvuillantz, et pur estre ovesque nostre dit cosyn a la bataille, s'il avieigne;

Les quelx milles combatantz avantditz, quant ils averont servis nostre dite cosyn par le space de les avantdiz quatre moys, comensantz les ditz quatre moys le jour q'ils serront venuz a Seint Johan pee des portz, si la dite chivanche dure plus outre, serront francs et purront franchement departier de nostre dit cosyn, a la fyn des ditz quatre moys, et returnir devers nostre paiis, sanz contredit ou empeschement de nostre dit cosyn, ne d'ascun autre depar li;

Et si par bataille, ou autrement, le dit chivanchee soit finiz dedeinz les ditz quatre moys, que, finiz la dit chivanche, ils purront auxi departir franchement de nostre dit cosyn, et eux returnir devers nostre paiis, sanz chalange ou empeschement de li, ne d'ascun autre a cause de li;

Et avoms accordez et promys, par la dit traitee, que vous, nostre avantdit lieutenant es parties d'Aquitaine, envoierez et deliverez a nostre dit cosyn, dedeinz un moys apres ce que vous enserez requis par li, ou par autre depar li, portant ces lettres, les milles combatantz susditz, ou plus tost, si plus tost fere le purrez, en bon foy, et sanz feintise ou male engyn, solonc ce que par nostre dit cosyn en serrez requis;

Ou, si vous ny feussez, adonqes nostre dit lieutenant, ou autre, qui pur le temps y sera nostre lieutenant ou capitaine es dites parties, envoiera et deliverera a nostre dit cosyn ycelx mille combatanz, en la manere susdite;

Les quielx mille combatanz serront tenuz de li servir, bien et loialment, tantcome ils demurront ovesque li, come dit est;

Et est tenuz nostre dit cosyn, par le traitee susdite, de doner et fere avoir a ycelx milles combatantz, pur eux, lour gentz, et biens, sauf et seur passage et repassage, par la ou ils averont a passer, par son poair, en venant devers son dit service, et en retournant pardevers nostre dit paiis;

Et de les fere requiller et traiter amiablement, et a eux administer, par ses subgiez, vitaillez et autres choses que leur busoigneront, tan come ils serront en son poair, pur leur deniers resonablement paiantz;

Si volons et vous mandons, chargeons et commandons, le plus estroitement que nous poons, et sur la foy qui vos nous devez, que ce, qui ensi avons accordez et promys a nostre dit cosyn, touchant les avantditz milles combatantz, come dessus est dit, vous facez prestment fournir et accomplir a nostre dit cousyn, selonc nostre accorde et promesse susdiz, sanz li en faillir en ascun manere, si come vous amez a garder nostre honour et promesse, et si come nous nous fions de vous.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paloys de Westm', le primer jour d'August.

Depar le Roi et son conseil.

Super defensione Insulæ Vectæ.

A. D. 1378.
An. 2 Ric. II.

Rot. Franc.
2 Ric. II. m. 15.
in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Suthampton', salutem. Quia datum est nobis intelligi quod galeæ, et aliæ naves guerrinæ de inimicitiâ nostrâ, in non modico numero, cum magnâ multitudine armatorum versus Insulam Vectam se parant, ad eandem insulam invadendum, et pro viribus destruendum, et habitantibus in eâdem mala et facinora quæ poterunt, inferendum; nos, volentes hujusmodi hostili nequitiæ, cum Dei adjutorio, obviare, et salvationi et defensioni ejusdem Insulæ, prout convenit, providere;

Tibi præcipimus, firmiter injungentes, quod statim visis præsentibus, quâcumque excusatione cessante, in singulis feriis, mercatis, hundredis, burgis, villis mercatoriis et aliis locis in ballivâ tuâ, infra libertates et extra, ubi melius expedire videris, ex parte nostrâ publicè proclamari facias, quod omnes illi, qui in eâdem insulâ morari consueverunt, et se, quâcumque causâ, ab eadem retraxerunt jam de novo, et omnes alii et singuli, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, terras, tenementa, bona et catalla quæcumque infra dictam insulam habentes, et infra eandem non residentes, ad terras et tenementa sua in dictâ insulâ, sub forisfacturâ terrarum, tenementorum, bonorum et catallorum hujusmodi, ac omnium aliorum, quæ nobis forisfacere poterunt, cum omni festinatione se trahant, et moram suam continuam cum hominibus et totâ familiâ suâ, fortiori modo quo poterunt, ibidem faciant;

Ita quod sint ibidem octavo die post proclamationem præsentis mandati nostri, super defensione terræ maritimæ ibidem, contra hostiles aggressus continuè moraturi; illis, qui in obsequio nostro in expeditionem guerræ nostræ, et alibi in defensione regni nostri existunt, duntaxat exceptis.

Et si ipsi, dicto octavo die post proclamationem prædictam, ad eandem insulam non venerint, et ibidem moram continuam, ut prefertur, non fecerint, tunc omnia terras, tenementa, bona, et catalla sua infra eandem insulam, nomine districtionis, in manum nostram capi, et alios homines sufficientes de exitibus terrarum et tenementorum prædictorum, ac bonis et catallis prædictis, pro defensione insulæ prædictæ, inveniri faciemus.

Et hoc sub forisfacturâ prædictâ, nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Augusti.

Per magnum concilium.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus Wiltes', Dors', et Sussex', sub eadem data, &c.

De arraiando homines ad arma, in Insulâ Vectâ.

A. D. 1378.
An. 2 Ric. II.

Rot. Franc.
2 Ric. II. m. 15.
in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Theobaldo de Gorges et Willielmo de Ryngebourne, salutem.

Sciatis quod, cum propter pericula Insulæ Vectæ, per invasionem inimicorum nostrorum, iminentia, mandaverimus vicecomitibus nostris Suthampton', Wiltes, Dorset, et Sussex, quod in singulis feriis, mercatis, hundredis, burgis, villis mercatoriis et aliis locis infra comitatus prædictos, ex parte nostrâ publicè proclamari facerent, quod omnes et singuli, cujuscumque statûs seu conditionis forent, terras seu tenementa quæcumque infra dictam insulam habentes, et infra eandem non residentes, ad terras et tenementa sua in dictâ insulâ, sub forisfacturâ terrarum et tenementorum, bonorum, catallorum, ac omnium aliorum, quæ nobis forisfacere possent, cum omni festinatione se traherent, et moram suam continuam, cum hominibus et totâ familiâ suâ, fortiori modo quo possent, ibidem facerent; ita quod essent ibidem octavo die post proclamationem, super defensione terræ maritimæ ibidem contra hujusmodi hostiles aggressus continuè moraturos;

Nos de fidelitate et circumspectione vestris plenius confidentes, assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad distringi et compelli faciendum, omnibus viis et modis rationabilibus, omnes illos, qui terras, tenementa, vel redditus in eâdem insulâ habent, et ibidem non resident, ad morandum super terris et tenementis suis, ibidem cum hominibus et totâ familiâ suâ, pro defensione ejusdem insulæ, dicto octavo die post hujusmodi proclamationem factam, sub forisfacturâ prædictâ: illis, qui in obsequio nostro in expeditionem guerræ nostræ, et alibi in defensione regni nostri existunt, duntaxat exceptis.

Et ideò vobis mandamus quod circa premissa facienda et exequenda diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, tenore presentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm in executione præmissorum intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos, seu alterum vestrûm, super hoc ex parte nostrâ fuerint requisiti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per magnum concilium.

De certis summis solvendis, pro defensione Insulæ Vectæ.

A. D. 1378.
An. 2 Ric. II.

Rot. Franc.
2 Ric. II. m. 15.
in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Thomæ Hacket et Radulpho Wolverton, collectoribus duarum decimarum et quintarum decimarum nobis per communitatem regni nostri Angliæ concessarum, in Insulâ Vectâ, salutem.

Mandamus vobis firmiter injungentes quod, omni dilatione postpositâ, et quâcumque excusatione cessante, ducentas et quindecim marcas de decimis et quintisdecimis prædictis levari, et easdem ducentas et quindecim marcas dilecto nobis in Christo abbati de Quarrera et Willielmo Ryngebourne, pro vadiis centum hominum ad arma, ad morandum per certum tempus in eadem insulâ, super salvâ custodiâ et defensione ejusdem, pro periculo jam iminente

ibidem per avisamentum concilii nostri ordinatorum, solvendum, prout eisdem abbati et Willielmo per idem concilium nostrum plenius est injunctum per indenturas indè inter vos et præfatos abbatem et Willielmum modo debito conficiendas, liberari faciatis: per quas quidem indenturas, et præsens mandatum nostrum, vobis indè in compoto vestro ad scaccarium nostrum, debitam allocationem habere faciemus.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per idem concilium.

REX, dilecto sibi in CHRISTO priori de Cristchurche Twynham, collectori duarum decimarum nobis per clerum Cantuariæ provinciæ concessarum, in Insulâ Vectâ, salutem.

Mandamus vobis firmiter injungentes quod omni dilatione postpositâ, *&c. ut supra.*

Centum marcas de decimis prædictis levari, *&c. ut supra.*

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per magnum concilium.

De distringendo homines, ad servitium, tempore guerræ, in Insulâ Vectâ faciendum.

A.D. 1378. An 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, eisdem, salutem. Quia, propter maxima pericula Insulæ Vectæ, per invasionem inimicorum nostrorum, iminentia, assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad omnes illos, qui homines ad arma, hobelarios et sagittarios in defensione ejusdem insulæ, pro tenurâ suâ ibidem tempore guerræ invenire debent, ad hujusmodi servitium faciendum, cum omni festinatione quâ fieri poterit, nemini in hac parte parcendo, omnibus viis et modis quibus melius et celerius poteritis, distringi et compelli faciendum, considerato periculo eidem insulæ et regno nostro Angliæ, per aggressus inimicorum nostrorum, plurimum iminente.

Et ideò vobis mandamus firmiter injungentes, quod circa premissa, *&c. ut supra.* Damus, *&c. ut supra, mutatis mutandis.*

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per magnum concilium.

De arraiando homines ad arma, pro defensione Insulæ Vectæ.

A.D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Theobaldo de Gorges militi, Willielmo de Ryngebourne, et Radulpho de Wolverton, salutem.

Quia, pro certo jam noviter intelleximus, quod galeæ et aliæ naves guerrinæ, in non modico numero, cum magnâ multitudine armatorum, de longinquis partibus venientes, versus Angliam properant, et se parant ad navigium regni nostri Angliæ destruendum, et idem regnum invadendum, et nobis et ligeis nostris mala et facinora que poterunt, inferendum, tam in terrâ quam in mari:

Nos, volentes hujusmodi hostili nequitiæ, cum DEI adjutorio, obviare, et salvationi et defensioni regni nostri Angliæ, prout convenit, providere;

Assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad custodiendum omnia litora maris in Insula Vecta, et alia loca quæcunque ejusdem insulæ, in quibus naves applicant vel applicare poterunt, et omnem terram maritimam in insulâ prædictâ, tam infra libertates quam extra, ad resistendum omnibus, qui contra nos, per terram vel per mare, armatâ potentiâ venerint, et regnum nostrum invadere voluerint, in insulâ prædictâ, et ad eos, cujuscunque statûs seu conditionis fuerint, cum DEI adjutorio, expugnandum et destruendum;

Et eciam ad arraiandum omnes homines defensabiles, tam milites quam alios, de insulâ prædictâ, tam infra libertates quam extra, et ad ipsos, videlicet, quemlibet eorum juxta statum et facultates suas, equitaturis ac armis competentibus muniri; et ad hoc, si necesse fuerit, modis et viis quibus melius expedire videritis, compelli et distringi faciendum; et ad eosdem equites in constabulariis, et pedites in centenis et vintenis ponendum, et ad eos contra dictos hostes nostros, si dictum regnum nostrum ingredi presumpserint, ad ipsorum hostium maliciam reprimendum et propulsandum, ducendum; et ad aliquod signum commune per ignem super montes, vel alio modo in insulâ prædictâ, ubi et quociens, et prout opus fuerit, et melius videritis expedire, et aliàs in casu consimili fieri consuevit, fieri faciendum; per quod homines insulæ illius et partium vicinarum, si periculum aliquod ex hiis hostium aggressibus imineat, poterunt congruo termino præmuniri, et dictorum hostium malitia, si ad partes illas declinaverint, per hujusmodi ignis illuminationem et præmunitionem, per homines partium prædictarum, coadunatis viribus refrænari; et omnia alia et singula faciendum et ordinandum, quæ ad salvam et securam custodiam insulæ prædictæ, tam per terram quam per mare, contra hujusmodi pericula poterunt pertinere;

Necnon ad deputandum sub vobis et quolibet vestrûm alios, vel alium, idoneos vel idoneum, ad præmissa omnia et singula, quociens expedire videritis, faciendum et explendum.

Necnon ad proclamari, et infra eandem insulam, in singulis locis ubi expedire videritis, ex parte nostrâ inhiberi faciendum, ne quis communitatis ejusdem insulæ, periculo hujusmodi ibidem iminente, sine licenciâ seu mandato speciali, extra eandem insulam exeat, aut aliquam personam communitatis dictæ insulæ, per navem sive batellum, extra eandem insulam, sub pœna imprisonamenti et forisfacturæ navis sive batelli prædictorum, educat; et ad omnes illos, quos post proclamationem et inhibitionem prædictas, extra eandem insulam exire, seu aliquam personam communitatis prædictæ extra dictam insulam, per navem seu batellum, sine hujusmodi mandato, educere inveneritis, eos, unà cum navi sive batello hujusmodi, arestandum et capiendum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque pro eorum deliberatione aliud duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis, sub forisfacturâ vitæ et membrorum, et omnium aliorum quæ nobis forisfacere poteritis, mandamus, firmiter injungentes, quod circa præmissa omnia alia et singula facienda et explenda, omnibus aliis prætermissis, cum omni diligentiâ intendatis in formâ prædictâ.

Damus autem vobis et cuilibet vestrûm, ac deputatis vestris prædictis, plenam, tenore præsentium, potestatem capiendi et arestandi omnes illos, quos in hac parte contrarios inveneritis seu rebelles, et eos prisonis nostris committendi, in eisdem moraturos quousque de eis aliter duxerimus ordinandum.

Damus insuper firmiter in mandatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, ducibus, comitibus, baronibus, militibus, ballivis, ministris, ac aliis fidelibus nostris in insulâ prædictâ, necnon vicecomiti nostro Suthampton', quod vobis et cuilibet vestrûm ac deputatis vestris, et cujuslibet vestrûm, in hiis quæ ad salvam et securam custodiam insulæ prædictæ pertinent, intendentes sint, respondentes, consulentes, et auxiliantes: et quod idem vicecomes ad certos dies et loca, quos ad hoc provideritis, venire faceret coram vobis et quolibet vestrûm totum posse comitatûs prædicti, tam infra libertates quam extra, et ad faciendum super premissis quod pro salvatione dicti comitatûs melius videritis faciendum.

Et omnes illos, quos propter contrarietatem et rebellionem suam in hac parte arestari contigerit, à vobis et quolibet vestrûm et deputatis vestris prædictis recipiat, in prisonis nostris salvò custodiri faciendum sicut prædictum est.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Augusti.

Per magnum concilium.

De ligeis Regis in terrâ Hiberniæ, ad unitatem et benevolentiam inter se confirmandum.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 1. m. 33. in Turr. Lond.

LE Roy, &c. a touz ercevesqes, evesqes, abbes, priours, countes, barons et touz autres seignurs et grantz, chivalers, esquiers et autres noz liges obeissantz de nostre terre d'Irland, saluz.

Nous avons entenduz, par relation de pluseurs gentz creable et dignes de foy, q'il y ad entre les uns de vous tiel division que pur la greindre partie nul n'est bienveullant au profit de l'autre, ne ne voet mettre peine ne eide pur le commune profit de nostre dit terre, ne pur la salvation de l'estat de mesme nostre terre, ne aucun charge porter pur la defense et salvation de eux mesmes, et de nostre dit terre, contre noz enemys et rebeux Irres, des queles chose nous avons tresgrant merveille et despleser.

Et pur ce vous prions et comandons, en chargeant le plus estroitement que nous poons, sur la foy et ligeance que vous nous devez, que vous cessez desore de tiel division avoir ou soeffrer entre vous, ou acun de vous, vous confourmes a unite et a bienveullance entre vous mesmes, et de vous entreeider chescun a autre contre noz ditz enemys, et a porter la charge bosoignable pur la defense et salvation de vous mesmes, et de nostre dit terre, considerantz ceste presente necessite, et les perils ja apparantz par noz enemys susditz; entendantz que en nostre prochien parlement, le quele nous avons ordenez a tenir en le terme de Seint Michel prochein venant, nous pensons faire faire par avis et assent de nostre dit parlement, tiel ordinance pur nostre dit terre, et pur l'eide et socour dycelle, q'il devera suffire, et que vous enserrez relevez et confortez, et noz ditz enemys et rebeux restreintz et chastiez, ove l'eide de DIEUX.

Don' souz nostre grant seal a nostre paleys de Westmonster, le xviii. jour d'Aust l'an de nostre regne second.

Depar le Roy et son conseyl.

H. de Calvyle admirallus versus partes occidentales constituitur.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Hugonis de Calvyle plenius confidentes, constituimus ipsum admirallum nostrum flotæ navium ab ore aquæ Thamisiæ versus partes occidentales, quamdiu nobis placuerit.

Dantes ei plenam, tenore præsentium, potestatem audiendi querelas omnium et singulorum de hiis, quæ officium admiralli tangunt, et cognoscendi in causis maritimis et justiciam faciendi, ac delinquentes, juxta eorum demerita castigandi, puniendi, et incarcerandi, et incarceratos, qui deliberandi fuerint, deliberandi; necnon naves et naviculas guerrinas quot necessarias, cujuscumque portagii fuerint, quotiens necesse fuerit, congregandi, et marinarios et alios pro navibus et naviculis illis necessarios eligendi, capiendi et in eisdem ponendi, et ad hujusmodi marinarios, qui rebelles vel contrariantes fuerint in hac parte debitè compescendi et castigandi, et ad omnia alia, quæ ad officium admiralli pertinent, in hac parte faciendi et exercendi, prout de jure et secundum legem maritimam fuerit faciendum; et ad alios, quos idem Hugo ad hoc idoneos noverit existere, quotiens ipse ad hoc vacare non poterit, ad præmissa omnia et singula facienda, loco ipsius Hugonis substituendi et deputandi, prout ei melius videbitur expedire.

Et ideò vobis mandamus quod eidem Hugoni, substitutis et deputatis suis prædictis, in præmissis omnibus et singulis faciendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum Hugonem, seu substitutos aut deputatos suos prædictos, super hoc fueritis præmuniti, vel fuerit aliquis vestrûm præmunitus, ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro nuntio Papæ, de retinentiâ.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Pat. 2 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod retinuimus penes nos et de hospitio nostro dilectum nobis Charlotum Maramaur armigerum, filium Willielmi Maramaur militis, ad nos, in nuncium, per dominum Summum Pontificem, cum rumoribus sanctæ creationis suæ, jam tardè destinatum;

Et, de gratiâ nostrâ speciali, et pro bono servitio quod dictus Charlotus nobis impendet, concessimus eidem Charloto viginti et quinque marcas, percipiendas singulis annis, ad scaccarium nostrum, ad terminos Sancti Michaelis et Paschæ, per æquales portiones, ad totam vitam prædicti Charloti, vel quousque pro statu suo aliter duxerimus ordinandum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Septembris.

Per breve de privato sigillo.

J. de Lincoln' clericus navium Regis constituitur.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Pat. 2 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod assignavimus et constituimus dilectum nobis Johannem de Lincoln', clericum navium nostrarum, et ad armaturas, et omnia alia pro defensione earumdem necessaria, quociens opus fuerit, reparandum et emendandum, ac questus et alia proficua de fretto earumdem navium provenientia, recipiendum;

Necnon ad vadia marinariorum navium, fluvorum, bargearum et battellorum nostrorum solvenda, solvendum; et ad carpentarios, et alios operarios tot quot pro facturâ et reparatione navium, fluvorum, bargearum, et batellorum eorumdem necessaria fuerint, per se et deputatos suos, eligendum et capiendum; et ad eosdem marinarios, et alios operarios in operationibus nostris navium, fluvorum, bargearum et batellorum prædictorum, ponendum, super operationibus illis ad vadia nostra moraturos;

Et ad maeremium, tabulas, cordas, attilia et alias res quascumque, pro dictis navibus, fluvis, bargeis et batellis, ac pro operationibus prædictis necessaria, ad opus nostrum, prout opus fuerit, emendum, de tempore in tempus pro denariis nostris rationabiliter solvendis, quamdiu nobis placuerit, percipiendo duodecim denarios per diem pro vadiis suis, dum in officio steterit supradicto.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Septembris.

Per breve de privato sigillo.

De operariis capiendis, pro muragio civitatis Cantuariensis.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Pat. 2 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, ad quos, &c. salutem.

Volentes expeditioni murationis et clausuræ civitatis Cantuariæ, feliciter inceptarum, quatenùs poterimus, providere cum effectu, assignavimus dilectos nobis ballivos civitatis Cantuariæ, ad tot latomos quot pro operationibus murorum et clausuræ prædictorum necessarii fuerint, ubicumque inventi fuerint in comitatu Kantiæ, tam infra libertates quam extra, excepto feodo ecclesiæ, et exceptis illis, qui alibi pro obsequio nostro ordinati vel assignati existunt, eligendum et capiendum, et eos in operationibus illis ponendum, ibidem ad vadia ipsorum ballivorum eisdem latomis rationabiliter solvenda, quamdiu indiguerit, moraturos.

Et ideò vobis mandamus quod eisdem ballivis in præmissis faciendis et exequendis intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes, quociens et prout per ipsos ballivos super hiis ex parte nostrâ fueritis præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Octobris.

Per concilium.

De muris et turellis villæ Norhampton' reparandis.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Pat. 2 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis villæ de Norhampton', qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, salutem.

Cum villa prædicta muro et turellis de petrâ et calce, ac fossatis latis et profundis, ab antiquo clausa fuerit et firmata:

Ac jam pro certo didicerimus quod, ob defectum reparationis murorum et turellorum ac inundationis fossatorum prædictorum, muri et turelli prædicti ita debiles et ruinosi, ac fossata illa taliter obstructa, existunt, aliqua portâ seu aliâ fortificatione competenti circa eandem villam vix existente, ita quod, si inimici nostri Franciæ in regnum nostrum Angliæ applicuerint, maximum periculum eidem villæ ac toti patriæ adjacenti, quæ salvationem et succursum in eadem villâ, si sufficienter firmata et reparata esset, habere posset, evenire formidatur:

Nos igitur ea, quæ in nostrum honorem ac salvationem regni, et utilitatem populi nostrorum, cedere possit, fieri, ac periculis et dampnis, quæ eisdem regno et populo nostris, pro defectu reparationis et fortificationis ejusdem villæ verisimiliter evenire posset, quod absit, in hac parte præcavere, volentes, assignavimus vos ad muros, turellos, portas, fossata et alia prædicta cum omni celeritate debitè reparari, construi, et emendari; ac insuper omnes et singulos villæ prædictæ ad contribuendum expensis circa reparationem, emendationem seu constructionem omnium et singulorum præmissorum apponendis, quemlibet eorumdem, videlicet, juxta facultates et possessiones suas: viris privilegiatis, ac debilibus et pauperibus, mendicantibus, dumtaxat exceptis, per districtiones et alios vias et modos, quibus melius et celerius poteritis, quacunque excusatione cessante, compelli faciendum.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa, tanta necessitate causante, cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus insuper universis et singulis burgensibus et habitatoribus, et incolis villæ prædictæ, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis et cuilibet vestrûm in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes et auxiliantes quotiens et prout per vos, seu aliquem vestrûm, super hoc ex parte nostrâ fuerint præmuniti.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit, duraturum.

Teste Rege, apud Westm', primo die Octobris.

Per concilium.

Pro decano et canonicis capellæ Sancti Stephani, infra palatium Westmonasteriense.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Ex Orig. infra Camer. Pel.

RICARDUS, DEI gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ, thesaurario, et baronibus suis de scaccario, ac camerariis suis, salutem.

Cum dominus E. nuper Rex Angliæ, avus noster, per literas suas patentes, dederit et concesserit, dilectis nobis in CHRISTO, decano et canonicis capellæ Sancti Stephani, infra palatium Westmonasteriense, illam cameram infra portam juxta pontem Reginæ, ubi jam patet introitus in dictam capellam, quæ quondam fuerat clerici coquinæ dicti avi nostri, necnon illas domos infra palatium prædictum, alias pro stabulis dextrariorum et aliorum equorum ejusdem avi nostri ordinatas, ac gardinum ibidem, prout inter easdem domos et hospitium, quondam comitis Kantiæ, in villa Westmonasteriensi, eidem gardino adjacens, in longitudine et latitudine se extendit, ac etiam hospitium prædictum, cum pertinentiis, adeò plenè et integrè, sicut illud ex dono et concessione Johannis nuper comitis Kantiæ idem avus noster habuit;

Necnon omnia illa tenementa in dictâ villâ Westmonasteriensi, quæ fuerunt Rogeri de Heyton surigici, et quæ hæredes ipsius Rogeri, pro se et hæredibus suis, dicto avo nostro et hæredibus suis remiserunt et imperpetuum relaxaverunt;

Habenda et tenenda eisdem decano et canonicis, et successoribus suis, de ipso avo nostro, et hæredibus suis, ac aliis capitalibus dominis feodorum, in liberam, puram, et perpetuam eleemosinam;

Ac postmodum dictus avus noster, per alias literas suas patentes, concesserit præfatis decano et canonicis sexaginta et sex libratas tresdecim solidatas et quatuor denariatas redditûs, exeuntis de quibusdam domibus infra stapulam Westmonasterii, in partem satisfactionis quingentarum libratarum terrarum et reddituum annuorum, eis prius per præfatum avum nostrum concessorum;

Ita, videlicet, quod si prædictus redditus sexaginta et sex libratarum tresdecim solidatarum et quatuor denariatarum, annui redditûs, in parte vel in toto cessaverit, aut si aliûs, iidem decanus et canonici id, quod eis de dicto redditu sexaginta et sex librarum et tresdecim solidorum et quatuor denariorum deficerit, vel ab eisdem subtraheretur, habeant et percipiant, singulis annis, ad scaccarium, de ærario ipsius avi nostri, quousque eisdem decano et canonicis de certis redditibus et perpetuis, ad valorem prædictarum sexaginta et sex librarum tresdecim solidorum et quatuor denariorum annuorum, sibi et successoribus suis perpetuè possidendis, per ipsum avum nostrum, vel hæredes suos, fuerit provisum, prout in literis nostris prædictis pleniùs continetur;

Nosque literas illas confirmaverimus et ratificaverimus;

Jamque iidem decanus et canonici nobis supplicârunt ut, cum dictus annuus redditus sexaginta et sex librarum tresdecim solidorum et quatuor denariorum, per ammotionem stapulæ prædictæ, in multo cessaverit, quominus ipsi eundem redditum, a diu est, percepisse potuerunt, seu adhuc percipere poterint, vellemus eisdem decano et canonicis id, quod eis de eodem annuo redditu, ex causâ prædictâ, à retro fuerit, solutionem fieri jubere;

Nos, volentes concessionem nostram prædictam . . . . . . pari, vobis mandamus quod id, quod vobis, præfati thesaurarie et barones, per inquisitionem in hac parte capiendam, vel alio modo legitimo, constare poterit esse a retro, et etiam quicquid, de redditu prædicto, ex causâ prædictâ, hactenus percipere non potuisse, et exnunc percipere non posse, vos, præfati thesaurarie et camerarii, eisdem decano et canonicis de ærario nostro solvatis, juxta tenorem litterarum et confirmationis nostræ prædictarum;

Et intentionis nostræ non existit, quod camera, domus, gardinum, et hospitium prædicta, sic eisdem decano et canonicis in puram et perpetuam eleemosinam tenenda, ut præmittitur, concessa, de eodem annuo redditu sexaginta et sex librarum et tresdecim solidorum et quatuor denariorum aliqualiter onerentur.

Teste meipso apud Westm', viii. die Octobris, anno regni nostri secundo.

Dors.—Irrotulatur termino Sancti Michaelis anno secundo Regis Ricardi secundi.

Compertum est per inquisitionem, captam coram baronibus infrascriptis apud Westmonasterium, die Martis, in crastino Sancti Valentini Martiris, hoc anno secundo, quod de redditu infrascripto, videlicet, à festo Sancti Michaelis, anno xlix. Regis E. tertii, usque festum Sancti Michaelis proximò sequens, lix.l. xiv.s. iii.d. ob., a festo Sancti Michaelis, anno quinquagesimo finiente, usque festum Sancti Michaelis proximò sequens, videlicet, anno primo Regis nunc, lx.l. vi.d. ob., et a festo Sancti Michaelis, dicto anno primo, usque idem festum proximò sequens, lviii.l. iv.s. iii.d. cessabant et deficiebant propter ammotionem stapulæ infrascriptæ;

Eo quod domus stapulæ prædictæ, per tempus prædictum, pro majori parte, steterunt vacuæ et non occupatæ;

Et sic est summa totalis decasûs redditûs prædicti, per tempus prædictum, clxxvii.l. xix.s. i.d. quos prædicti decanus et canonici non perceperunt nec percipere potuerunt per tempus prædictum, ex causis prædictis, de quibus iidem decanus et canonici habituri sunt solutionem ad receptam scaccarii, per considerationem eorumdem baronum.

Annotatum in memorandis de anno secundo Regis nunc, inter recorda de termino Sancti Michaelis.

Satisfactum est eis indè, ut patet in pelle xxix. die Aprilis, anno secundo Regis Ricardi secundi.

Decanus et canonici capellæ.

De visitatione factâ in liberâ capellâ de Wyndesore.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II. Pat. 2 Ric. II. p. 4. m. 15. in Turr. Lond.

OMNIBUS ad quos præsentes literæ pervenerint, Adam, permissione divinâ, Menevensis episcopus et cancellarius Angliæ, salutem et subscriptis fidem credulam adhibere.

Ricardus, DEI gratiâ, Rex Angliæ, secundus illustris, ex devotione sibi divinitùs inspiratâ, cupiens suam regiam collegiatam capellam de Wyndesore, in atrio nobilis castri sui ibidem situatam, ut domum DOMINI, ad latus suum magnificè fundatam, ad DEI laudem et honorem, ac debitis statu et sanctitate custodiri, nobis, Adæ Menevensi episcopo supradicto et cancellario suo Angliæ, prædictæ capellæ, tam in spiritualibus quam temporalibus, gubernatori, et sub domino nostro Rege prædicto immediato custodi, nè in dictâ capellâ suâ quicquam indecens vel inhonestum relinqueretur incorrectum, vivæ vocis oraculo præcepit, et nobis injunxit, quod statum dictæ capellæ, tam in personis quam in rebus, regimenque et administrationem bonorum ejusdem, plenè et diligenter examinaremus, et corrigenda comperta in eodem examine, juxta discretionem nobis à DEO datam, reformaremus, tramite justitiæ et secundum canonicas sanctiones;

Undè nos, Adam episcopus et cancellarius supradictus, tam ex præcepto domini nostri Regis prædicti, quam ex officio cancellarii Angliæ, quod inmeritò gerimus, decimo septimo die Septembris, in domo capitulari capellæ prædictæ, vocatis coram nobis et personaliter interessentibus ibidem, decano, canonicis, et vicariis ejusdem capellæ, tunc residentibus in eadem, necnon certis militibus senibus, veteranis, et in armis multùm confractis, ad dictum collegium, pro sustentatione suâ honestâ, nè in vituperium ordinis militaris turpiter egerentur, ex fundatione primævâ capellæ prædictæ, assumptis, et collegialiter, in certo habitu honesto, in eadem ad tunc personaliter existentibus, quorum examinatione, in forma juris, coram nobis juratorum, comperimus articulos infrascriptos in dicta capella reformandos, et debitâ correctione indigentes.

In primis, compertum est quod decanus ejusdem loci mulctas, impositas dictis militibus, quia non intersunt, horis canonicis, in dictâ capellâ, juxta statuta et ordinationes ejusdem, imbursat, et prout sibi placuerit, de eisdem disponit;

Undè volumus et ordinamus quod dictæ mulctæ hujusmodi, tam perceptæ quam percipiendæ, comilitibus devotis, et in officiis divinis, in dictâ capellâ, debitè personaliter interessentibus, prout tenentur, integraliter solvantur, et æqualiter distribuantur inter eosdem.

Item, quod dictus decanus omnes donationes dominorum et magnatum, et diversas liberalitates, factas capellæ et collegio prædictis, percepit continuè ab antiquo, et de eisdem disposuit pro suæ libito voluntatis, et ad sustentationem dictorum militum nullo modo subvenit de eisdem;

Undè ordinamus, quousque per dominum nostrum Regem et concilium suum aliter ordinetur, quod milites, tunc existentes in dicto collegio, propter honorem statûs eorumdem et ordinis militaris æqualiter percipiant, de dictis donationibus et liberalitatibus prædictis, cum canonicis ejusdem capellæ.

Item, compertum est quod domini Thomas Tawne et Johannes Breton milites, senes ejusdem capellæ, conjugati, tenent mulierculas in adulterinis amplexibus, ad magnum scandalum collegii prædicti;

Ideò volumus et ordinamus quod decanus dicti loci, pro honestate et honore ejusdem, prædictos milites et alios, in dicto collegio in futurum graviter committentes seu delinquentes, primò moderatè corrigat: et perseverantes in criminibus hujusmodi graviùs corripiat et corrigat; et tertio, sic incorrigibiles repertos, de consilio concilii domini nostri Regis, à dicto collegio penitùs amoveat.

Item, compertum est quod Johannes Breton, miles prædictus, insolentiis suis nimis deditus, tardè accedit et nimis delicatè ad horas canonicas in dictâ capellâ: et, cum reclinaverit se ad orandum in eadem, statim dormit, ita quod vix poterit ad sacramentum altaris vigilare; undè per Regem et suum concilium apponatur remedium.

Item, compertum est quod dominus Edmundus Cloue, canonicus dictæ capellæ, fuit ab antiquo diffamatus de diversis mulieribus, et est lascivus et jocundus, et discurrens inter laicos tempore missæ et aliarum horarum scandalosè;

Undè nos injungimus decano dicti loci, et utile est quod dominus noster Rex, per unum valentem de suis, districtè præcipiat decano ejusdem loci, quod hujusmodi insolentias comunes canonicorum et vicariorum ejusdem loci, debitè corrigat sine morâ, sub pœnâ quæ incumbit.

Item, compertum est quod ecclesia de Tokkesaire, prædicto collegio appropriata, traditur ad firmam Thomæ Tappeleye laico ultra quinquennium, et, ut dicitur, ad vitam suam; qui Thomas, cum uxore, liberis, et familiâ, manet in manso ejusdem rectoriæ, contra canonicas sanctiones et honestatem ecclesiæ;

Undè oportet quod dominus noster Rex præcipiat, propter potentiam partis, auctoritate regiâ remedium adhiberi.

Item, compertum est quod Johannes Loryng, canonicus dictæ capellæ,

non celebrat in dictâ capellâ prout deberet, set est venator et aucupator, et fuit ab antiquo;

Undè volumus et ordinamus quod dictus dominus Johannes moneatur per decanum, quod missas suas, debitis temporibus, in dicta capella celebret, et ab hujusmodi discursibus illicitis omninò desistat: et, si hujusmodi monitionibus non pareat, set in hiis contumax et incorrigibilis existat, ad denunciationem decani ejusdem loci, factam cancellario Angliæ, probatâ veritate præmissorum, à beneficio suo ibidem per dictum cancellarium amoveatur, sine spe redeundi ad idem.

Item, detectum est quod decanus ejusdem loci est nimis remissus, simplex, et negligens in correctione vicariorum, adeò quod, elati et protervi, canonicis ejusdem capellæ debitam non exhibent reverentiam;

Undè prædictum decanum monemus, sub pœna gravis mulctæ, quod debitum officii sui in dicto collegio solerter impendat in futurum.

Præterea, compertum est quod privilegia, cartæ, et literæ, statum et fundationem dicti collegii et capellæ concernentia, nimis remissè et negligenter custodiuntur;

Undè volumus et ordinamus quod, de cætero, prædicta munimenta, privilegia, cartæ, et literæ in unâ cistâ seu cofrâ, sine morâ, in thesaurariâ dictæ capellæ, reponantur sub tribus vel duabus ceruris: quarum clavium decanus ejusdem loci gerat unam, et alias alii, quos dominus noster Rex per suum concilium velit ordinare.

Item, detectum est quod decanus salaria vicariorum nimis diù tenet in manus suas, in magnum præjudicium officii divini in dictâ capellâ, contra constitutiones et ordinationes eorumdem collegii et capellæ;

Undè volumus et ordinamus quod dictus decanus salaria dictorum vicariorum, qui in dicta capella gerunt pondus diei et æstus, temporibus debitis solvat, vel de eisdem satisfaciat competenter; alioquin, si, causâ legitimâ cessante, in præmissis contumax fuerit vel remissus, ab officio suo, ipso facto, sit suspensus.

Compertum est etiam quod pecunia stallorum dictorum vicariorum vacantium per dictum decanum recipitur et imbursatur ad usus suos proprios, ut creditur, contra canonica instituta;

Undè volumus et ordinamus quod pecunia, ordinata pro vicario dicti stalli vacantis, tam pro tempore præterito quam futuro, cæteris vicariis, vicem hujus stalli vacantis in officiis divinis debitè supplentibus, totaliter applicetur.

Item, compertum est quod canonici dictæ capellæ non celebrant in dicta capella ut deberent, set accedunt ad unam horam in eadem, et, percepto stipendio illius diei diurno, statim recedunt, quia de hiis nichil fuit statutum in statutis et ordinationibus antiquitùs;

Ideò, id relinquimus ordinationi et dispositioni domini nostri Regis et concilii sui.

Item, compertum est quod Johannes Chicestre vicarius diffamatur de uxore Thomæ Swyft, cujus mulieris nomen ignoratur, quod relinquimus correctioni decani.

Item, ordinamus, propter obloquia in dicto collegio, quod omnes donationes, factæ per magnates vel alios in dicto collegio in genere, æqualiter distribuantur inter decanum, canonicos, et milites collegiatos ibidem, secundum capita eorumdem: et consimiliter de cignis, et pullis eorumdem, per dominum Oliverum de Bordeaux, dicto collegio dudum collatis.

Item, non detur oblivioni qualiter, bonæ memoriæ, dominus Willielmus de Hedyngton Wintoniensis episcopus, et cancellarius Angliæ, ducentas libras dedit et solvit dicto collegio, ut esset confrater, et ad augmentum cultûs divini in eodem, ad quas manus devenit, et in quos usus expenditur dicta pecunia, ignoratur:

Ideò oneretur decanus dicti loci, qui dictam pecuniam recepit, ut dicitur, et compellatur ad compotum.

Item, præcipimus decano prædicto quod claustrum, satis honorificum, dicti collegii, intrinsecus urticis et aliis herbis nocivis, non delectabilibus in visu, turpiter dehonestatum, celeriter mundari, et, sicut decet claustrum capellæ regiæ, honestè faciat præparari, sub pœnâ quæ incumbit.

Hæc verò præmissa, quatenùs locus et tempus patiebantur, ad emendationem statûs et regiminis dictorum collegii et capellæ, ad præsens composuimus; protestantes nos velle ea corrigere, interpretare, et emendare quotiens opus fuerit; eaque omnia et singula supponimus correctioni et emendationi cancellarii Angliæ, cujuscumque successoris nostri, quotiens et quando ei videbitur expedire.

In cujus rei testimonium sigillum cancellariæ Angliæ, quod ex officio nostro gerimus, præsentibus apponi fecimus.

Dat' in palatio regio apud Westm' viii. die Octobris, anno Domini millesimo tricentesimo septuagesimo octavo et regni domini nostri Regis supradicti secundo.

De potestate tractandi cum Rege Scotiæ.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Scot. 2 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate et industriâ dilectorum et fidelium nostrorum venerabilis in CHRISTO patris Johannis episcopi Herefordiæ, ac Johannis de Arundella marescalli Angliæ, Henrici de Percy comitis Northumbriæ, et Thomæ de Percy fratris ejus, consanguineorum nostrorum, necnon dilecti clerici nostri magistri Johannis de Waltham canonici Eborum, plurimùm confidentes, de assensu et avisamento concilii nostri, ipsos episcopum, Johannem, Henricum, Thomam, et Johannem, quatuor, tres, et duos eorum, nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ad loquendum, tractandum et concordandum, cum magnifico principe Roberto, consanguineo nostro Scotiæ, seu ejus in hac parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso consanguineo nostro habentibus, tam de pace et concordiâ, quam de quibuscumque bonis ac firmis amicitiis et alligantiis, inter nos et hæredes nostros, pro nobis, terris, et dominiis, ac subditis, et vassallis nostris quibuscumque, et ipsum consanguineum nostrum, et hæredes suos, pro se, terris, dominiis, et subditis suis, pro perpetuò duraturis, ordinamus, facimus, et constituimus per præsentes;

Dantes et concedentes eisdem episcopo, Johanni, Henrico, Thomæ, et Johanni, quatuor, tribus et duobus eorum, potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis, hæredibus, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris, præmissa omnia et singula loquendi, tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Et ea omnia, cum locuta, tractata, concordata, et expedita fuerint, firmandi et vallandi;

Et omnia alia excercendi, quæ circa ea necessaria fuerint vel etiam oportuna, etiam si mandatum exigant magis speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri, quicquid iidem episcopus, Johannes, Henricus, Thomas, et Johannes, quatuor, tres, vel duo eorum, nomine nostro, fecerint in præmissis, vel aliquo præmissorum.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio apud Gloucestriam, xxii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

De liberatione magni sigilli domini Regis.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Claus. 2 Ric. II. m. 25. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod venerabilis pater Adam de Hoghton episcopus Menevensis, nuper cancellarius Angliæ, xxix. die Octobris, anno præsenti, in quadam camerâ infra abbatiam Beati Petri Gloucestriæ, ubi dominus Rex tunc hospitabatur, magnum sigillum ipsius domini Regis, pro regimine Angliæ, in quadam bursâ albi corei inclusum, sigillo ipsius episcopi signatâ, liberavit dicto domino Regi, in manibus suis propriis, in præsentiâ venerabilium patrum, Simonis archiepiscopi Cantuariæ, Alexandri archiepiscopi Eborum, Thomæ episcopi Exoniæ thesaurarii ipsius domini Regis, Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, Edmundi comitis Cantebrigiæ, Thomæ de Wodestoke comitis Bukynghamiæ, et aliorum magnatum ibidem tunc existentium;

Idemque dominus Rex sigillum prædictum Ricardo Lescrop militi, capto priùs ab eo sacramento suo de officio cancellarii benè et fideliter faciendo, in præsentiâ prælatorum, ducis, comitum, et aliorum magnatum prædictorum, ibidem statim liberavit, præcipiens eidem Ricardo cancellario quod id, quod ad officium cancellarii pertinet, faceret et exerceret:

Qui quidem Ricardus cancellarius, die Sabbati proximo sequenti, in quadam ecclesia Beatæ Mariæ, ex parte occidentali abbatiæ prædictæ, dictam bursam aperuit, et sigillum illud extraxit, et quasdam literas, de præsentatione Johanni Herberd capellano, ad cantariam de Bradeston, Wigorniensis diœcesis, factas, necnon cartas, literas patentes, et brevia ibidem fecit consignari.

T. de Percy admirallus versus partes boriales constituitur.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric II. m 11. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Thomæ de Percy plenius confidentes, constituimus ipsum admirallum nostrum flotæ navium ab ore aquæ Thamisiæ versus partes boriales, quamdiu nobis placuerit.

Dantes ei plenam, tenore præsentium, potestatem audiendi querelas omnium et singulorum de hiis, quæ officium admiralli tangunt, et cognoscendi in causis maritimis et justiciam faciendi: ac delinquentes, juxta eorum demerita castigandi, puniendi, et incarcerandi, et incarceratos, qui deliberandi fuerint, deliberandi:

Necnon naves et naviculas guerrinas quot necessarias, cujuscumque portagii fuerint, quotiens necesse fuerit, congregandi, et marinarios et alios pro navibus et naviculis illis necessarios eligendi, capiendi et in eisdem ponendi, et ad hujusmodi marinarios, qui rebelles vel contrariantes fuerint in hac parte debitè compescendi et castigandi, et ad omnia alia, quæ ad officium admiralli pertinent in hac parte faciendi et excercendi, prout de jure et secundum legem maritimam fuerit faciendum, et ad alios, quos idem Thomas idoneos ad hoc noverit existere, quociens ipse ad hoc vacare non poterit, ad præmissa omnia et singula facienda, loco ipsius Thomæ substituendi et deputandi, prout ei melius videbitur expedire.

Et ideò vobis mandamus quod eidem Thomæ, substitutis et deputatis suis prædictis, in præmissis omnibus et singulis faciendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum Thomam, seu substitutos aut deputatos suos prædictos, super hoc fueritis præmuniti, vel fuerit aliquis vestrûm præmunitus, ex parte nostrâ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Gloucestr', v. die Novembris.

Per concilium in parliamento.

De fossato circa civitatem Cicestriæ, de novo faciendo.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi, majori et ballivis civitatis nostræ Cicestriæ, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum, ut accepimus, civitas prædicta muro et turellis de petrâ et calce ab antiquo competenter clausa fuerit et firmata, ac processu temporis, ob defectum reparationis eorumdem, ita ruinosi et debiles devenerunt, nullo fossato, seu aliquâ aliâ fortificatione circa eandem penitùs existente, quod civitas illa, quæ prope mare sita est et posita, si inimici nostri Franciæ in eisdem partibus applicuerint, sicut jam noviter fecerunt, et in eventu facere poterunt, quod absit, in maximo periculo, nisi celerius remedium condignum apponatur, multo magis solito dinoscitur existere;

Et licet vos, ac cæteri cives et probi homines ibidem, pro salvatione civitatis illius ac communi utilitate vestrâ, et aliorum de partibus adjacentibus ad dictam civitatem confluentium, si periculum ibidem imineat aliquale, in voluntate et firmo proposito fueritis reparandi et emendandi muros et turellos, ac portas civitatis prædictæ; necnon ad construendum quoddam novum fossatum latitudinis quinquaginta pedum, vel circiter ubique circa civitatem illam, vestris ac communibus sumptibus hominum dictæ civitatis propter hujusmodi pericula præcavenda, et quamplurima alia necessaria ad fortificationem civitatis illius facere decreveritis, et ea in parte inceperitis: quidam tamen malivoli homines ibidem, licet in facultatibus et possessionibus sufficientes fuerint, ad contribuendum expensis in hac parte apponendis, omninò contradicunt, nec se volunt ad hoc per vos aliqualiter justiciari:

Et quia utilitatem reipublicæ ubique in regno nostro fieri cupimus, ut tenemur, assignavimus vos ad fossatum illud et alia ibidem incepta, necnon muros, turellos, et portas prædictos, cum omni celeritate debitè reparari et construi; et insuper quascumque personas, tam religiosas quam seculares, terras, tenementa et redditus, seu mercandisas, infra civitatem illam seu libertatem ejusdem jam habentes, seu imposterum habituros, ad contribuendum expensis circa reparationem omnium et singulorum præmissorum, ac constructionem fossatorum prædictorum apponendis, quemlibet eorumdem, videlicet, juxta facultates et possessiones suas, viris privilegiatis, ac debilibus, et pauperibus mendicantibus, dumtaxat exceptis, per districtiones et alios vias et modos, quibus meliùs et celeriùs poteritis, quacumque excusatione cessante, compelli;

Ac insuper, quascumque domos et edificia muro prædicto contigua, seu in loco ubi fossatum illud sic fieri debuerit, posita seu edificata, satisfacto priùs tam eorumdem domorum et edificiorum, quam etiam fundi in eodem loco possessoribus, de precio seu valore eorumdem, per discretionem et avisamentum sex, vel quatuor proborum et legalium hominum civitatis illius, ea appreciantium, necnon arbores, et quæcumque alia nocumenta in eodem loco existentia, funditùs evelli, et penitùs amoveri faciendum.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa, tanta necessitate causante, cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus insuper universis et singulis civibus, ac aliis habitatoribus et incolis civitatis illius, tenore præsentium, firmiter in mandatis quod vobis et cuilibet vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout ipsi per vos, aut aliquem vestrûm, super hoc ex parte nostrâ fuerint requisiti.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Novembris.

Per petitionem de parliamento.

De ecclesiâ abbatiæ Westmonasteriensis reconciliandâ.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 23. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi in CHRISTO abbati Westm', salutem.

Cum abbatia vestra Westm' de patronatu nostro, et fundatione progenitorum nostrorum quondam Regum Angliæ, ipsaque abbatia de certis possessionibus, videlicet, quibusdam possessionibus in puram et perpetuam elemosinam, quibusdam verò pro divinis serviciis, distributionibus, et aliis operibus caritativis, pro animabus ipsorum progenitorum nostrorum et hæredum suorum faciendis, optinend', dotata existat;

Ac ecclesia vestra Beati Petri abbatiæ prædictæ, quibusdam certis de causis, sit polluta, sic quod divina servicia, distributiones, et alia opera caritativa, quæ ibidem, juxta piam ordinationem ipsorum progenitorum nostrorum, fieri solebant et deberent adiu est, subtracta fuerint et adhuc subtrahuntur, ut dicitur;

Nos ad hoc quod divina servicia, distributiones, et alia opera prædicta, pro animabus prædictis, ad laudem et honorem DEI, et salutem animarum prædictarum, ibidem fiant, ut solebant et deberent, remedium congruum adhiberi cupientes, vobis districtiùs quo poterimus, mandamus quod ad reconciliationem ecclesiæ vestræ et alia debita vestra ibidem, juxta ordinationem ipsorum progenitorum nostrorum facienda, cum eâ celeritate quâ commode poteritis, et prout aliâs in præsenciâ nostrâ vobis extitit injunctum, procedatis; vel si causa rationabilis subfuerit, quare id facere non debeatis, tunc nos indè in cancellariâ nostrâ sub sigillo vestro, distinctè et apertè sine dilatione reddatis certiores: remittentes nobis hoc breve.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Decembris.

Per ipsum Regem.

Pro hominibus de Melcombe, de combustione villæ suæ, et de supersedendo.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Claus. 2 Ric. II. m. 22. d. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et baronibus suis de scaccario, salutem. Supplicarunt nobis major et communitas villæ de Melcombe, ut cum villa prædicta per inimicos nostros nuper in regnum nostrum Angliæ subitò venientes, combusta fuerit et destructa, sic quod aliquis infra eandem villam moram non facit, velimus levationi summarum ipsos de decimis et quintisdecimis nobis per communitatem regni nostri prædicti nuper concessis, contingentium, usque festum Sancti Michaelis proximò futurum, pro relevatione prædictæ villæ supersederi jubere;

Nos, supplicationi prædictæ favorabiliter annuentes, vobis mandamus quod demandæ, quam præfatis majori et communitati pro decimis et quintisdecimis prædictis super ipsos assessis, ad opus nostrum levandæ, per summonitionem scaccarii prædicti fieri facitis, usque prædictum festum supersederi, et districtiones, si quæ per vos, seu collectores decimarum et quintarum decimarum prædictarum, in comitatu Dorset' eis eâ occasione factæ fuerint, interim relaxari faciatis.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Decembris.

Per petitionem de consilio.

De debatis in civitate Dublin' sedandis.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis, ac juratis et communitatibus civitatis nostræ Dublin' in Hibernia, et eorum cuilibet, salutem.

Audivimus quod debata et dissensio inter vos jam de novo est suborta, et quod quidam vestrûm præfato majori inobedientes et contrariantes existunt, aliter quam secundum consuetudines et libertates civitatis prædictæ deberent, per quod bonum regimen, vel tranquillitas, inter vos, sicut deceret, in præsenti non habetur:

Et ideò vobis quibuscumque districtiùs quo poterimus, super ligeantiâ vestrâ, et super forisfacturâ omnium, quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et præcipimus, quod præfato majori vestro sitis debitè intendentes, sicut decet, et quod sitis inter vos de bono gestu, unitate, et bono regimine, juxta dictas consuetudines et libertates vestras;

ita quod nos querelam, vel materiam decæterò non habeamus aliquos vestrûm, quos in culpâ vel defectu inveniri contigerit, puniendi et castigandi;

Vobis etiam, præfati major et ballivi, similiter injungentes quod si aliquos dictorum juratorum et communitatum vobis rebelles contra leges et bonas consuetudines dictæ civitatis in hac parte exnunc inveneritis, tunc nobis et concilio nostro in Anglia de nominibus talium rebellium sine dilatione distinctè certificetis, et ulterius eos arestari et sub aresto detineri faciatis, quousque invenerint sufficientem securitatem de bono gestu suo extunc, juxta leges et consuetudines supradictas; tibi similiter, præfate major, districtè præcipimus quod dictos juratos et communitates in omnibus juxta leges, libertates, et consuetudines dictæ civitatis, debitè gubernetis.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Decembris.

Per concilium.

[*Et erat patens.*]

De magno sigillo Hiberniæ deliberando.

A.D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, R. eadem graciâ, archiepiscopo Dublin', cancellario Hiberniæ, vel ejus locum tenenti, salutem.

Mandamus vobis firmiter injungentes, quod magnum sigillum nostrum pro regimine terræ nostræ Hiberniæ deputatum, in custodiâ vestrâ existens, dilecto clerico nostro Roberto de Sutton, clerico rotulorum cancellariæ nostræ in terrâ prædictâ, sine dilatione deliberetis, ad dictum sigillum nostrum, in comitivâ justitiariorum nostrorum Hiberniæ, quousque alium cancellarium in terrâ nostrâ prædictâ, de avisamento concilii ordinaverimus, custodiendum; volumus enim vos de dicto officio cancellariæ exnunc exonerari: vobis etiam mandantes quod officium illud ulterius nullo modo excerceatis.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Decembris.

Per billam indorsatam per consilium

De Waltero Haule, deputato admiralli constituto.

A. D. 1378. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilectus et fidelis noster Hugo de Calvyle, admirallus noster flotæ navium ab ore aquæ Thamisiæ versus partes occidentales, substituerit et deputaverit dilectum servientem nostrum ad arma Walterum Haule, ad omnia et singula officium admirallitatis prædictæ tangentia, quotiens idem Hugo ad hoc vacare non poterit, loco suo faciendum, juxta tenorem litterarum nostrarum eidem Hugoni in hac parte factarum:

Vobis et cuilibet vestrûm mandamus, firmiter injungentes, quod eidem Waltero in præmissis, loco ipsius Hugonis, ut prædictum est, faciendis et exequendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum fueritis super hoc rationabiliter præmuniti, ex parte nostrâ.

In cujus, &c. quamdiu ipsum Hugonem admirallum nostrum flotæ prædictæ, et ipsum Walterum substitutum et deputatum ipsius Hugonis in hac parte remanere contigerit, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Decembris.

Per billam ipsius admiralli.

Littera procuratoria ad tractandum cum Flandrensibus, de attemptatis.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod dilectos et fideles nostros, Bernardum de Brocas militem, capitaneum castri nostri Calesii; Edwardum de Berkele militem cameræ nostræ; Willielmum de Gunthorpe clericum nostrum dilectum, unum baronum de scaccario nostro; Edmundum de Halstede et Ricardum de Wodehall, de quorum industriâ et fidelitate plenè confidimus, de consensu et avisamento concilii nostri, nostros veros et legitimos commissarios, procuratores, ac nuncios speciales constituimus, ordinamus et facimus per præsentes.

Dantes et committentes ipsis, quatuor, tribus et duobus eorum, plenam, tenore præsentium, potestatem et auctoritatem ac mandatum generale et speciale, ad tractandum cum commissariis carissimi consanguinei nostri Lodewici comitis Flandriæ, super quibuscumque attemptatis per quoscumque subditos nostros contra formam amicitiæ, compositionis et concordiæ, inter celebris memoriæ dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum, pro se et subditis suis ex parte unâ, et præfatum consanguineum nostrum et subditos suos ex parte alterâ, factarum, initarum, ac per nos et præfatum consanguineum nostrum confirmatarum:

Et ad attemptata hujusmodi, tam, videlicet, ea quæ ad ultimum diem tractatûs indè inter certos tunc commissarios nostros et dicti consanguinei nostri habiti, per subditos dicti consanguinei nostri ostensa et exhibita fuerunt, quam ea, quæ postmodum quoquo modo emerserunt seu evenerunt, quatenùs de jure debeat, realiter reparari, et reformari ac restitui faciendum; et ad omnes subditos nostros ad hoc, per eorum corpora et bona, compelli et distringi; ac ad quoscumque rebelles in hâc parte arestari et capi, et prisonis, si necesse fuerit, committi faciendum:

Et ad consimilem reparationem, reformationem et restitutionem, à dicto consanguineo nostro et subditis suis, super attemptatis hujusmodi per eosdem subditos suos, pro nobis et subditis nostris, petendum et recipiendum: et ad omnia alia et singula facienda et exequenda, prout ipsis nunciis et commissariis seu procuratoribus nostris, quatuor, tribus, vel duobus ipsorum, pro honore et commodo nostro, regnique et subditorum nostrorum, juxta discretiones suas magis videbitur expedire.

In cujus, &c.

Dat' in palatio nostro Westm', xx. die Januarii.

Per magnum concilium.

Eodem modo constituuntur procuratores per alias literas Regis patentes prædicti Bernardus et alii prædicti. Ac Simon Shiryngham locum tenens maioris stapulæ Regis Calesii, quinque, quatuor, &c. ut supra.

Teste ut supra.

Pro Reymundo de Pelegrua, de confirmatione.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Vascon. 2 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus quasdam literas patentes Henrici nuper comitis Derbiæ, locum tenentis et capitanei generalis carissimi domini et avi nostri, Edwardi nuper Regis Angliæ defuncti, in ducatu Aquitaniæ et in totâ Langdok, nuper factas, in hæc verba;

HENRICUS Lancastriæ, Derbeye, Leycestriæ, ac Lincolniæ comes, senescallus Angliæ, dominusque Brageraci, locum tenens, et capitaneus generalis pro domino Franciæ et Angliæ Rege, in ducatu Acquitanniæ et totâ linguâ occitanâ, universis et singulis præsentes litteras inspecturis, salutem et præsentibus dare fidem.

Sciatis quod nos, nedum attendentes ad grata et utilia obsequia, per nobilem virum nobisque dilectum dominum Reymundum de Pelegrua militem, domino nostro Angliæ et Franciæ Regi, et nobis, ejus nomine, in guerris suis Vasconiæ, et aliis multipliciter notoriè præstita et impensa, exponendo corpus suum diversis periculis et jacturis; sed ad dampna et jacturas quamplurimas, quas passus est et patitur incessanter, propter servicium et obedientiam dicti domini nostri Franciæ et Angliæ Regis, et ad fidelitatem, quam habuit et habet continuè erga dictum dominum nostrum Regem, meritò advertentes, et, eo pretextu, volentes erga ipsum debitam considerationem habere, ut ad serviendum eidem domino nostro Regi imposterum melius . . . aret, cæterisque bonis et legalibus servitoribus regiis sit exemplar:

Eidem domino Reymundo, castrum et locum de Sancto Asterio, Petragoricen' diocese, cum omni dominio, mero ac mixto imperio, altâ et bassâ, ac jurisdictione omnimodâ, cum omnibus suis juribus, redditibus, proficuis,

exitibus, ac emolumentis universis, ad dictum dominum nostrum Regem, ratione castri et castellaniæ prædictæ, pertinentibus seu pertinere debentibus ab antiquo, quoquo titulo sive jure, unà cum bonis rebellium in dicto loco, et castellaniæ pertinentiis nunc in antea existentes, ac comune quod in dicto castro et castellaniâ, ejusque universis pertinentiis, levari et percipi, regio nomine extitit consuetum, de dono regio, ex nostrâ scientiâ et gratiâ, speciali potestate super hoc nobis attributâ, dedimus et concessimus, damusque et concedimus per præsentes;

Habendum, tenendum, et possidendum et explectandum, per ipsum dominum Reymundum, ejusvè procuratorem seu attornatum ad terminum vitæ suæ, pacificè et quietè; tenore præsentium, mandantes senescallo Vasconiæ et constabulario Burdegaliæ, cæterisque senescallis, officialibus, et justiciariis regiis qui nunc sunt, aut pro tempore fuerint, vel eorum loca tenentibus, ut dictum dominum Reymundum, vel ejus procuratorem seu attornatum, ejus nomine, in possessionem corporalem et realem dicti castri seu loci, exituum, reddituum, proficuum, et emolumentorum ejusdem, ac pertinentiarum quorumcumque ponant et inducant, ac positum et inductum in illis, manuteneant viriliter et defendant, ac ipsum de eisdem gaudere faciant et permittant in formâ præmissa; amoto abindè quocumque alio illicito detentore: quacumque donatione, seu concessione et assignatione, per nos imposterum factâ et faciendâ incontrarium in aliquo non obstante.

Salvò tamen super ipso loco seu castro, ejusque pertinentiis et ressorto, dicto domino nostro Angliæ et Franciæ Regi, suisque successoribus universis, ligiis, homagiis, superioritate et ressorto debitis, omnibusque juribus regiis, et quibuslibet alienis.

Datum Burdegaliæ, sub sigillo nostro, primâ die mensis Martii anno Domini M° CCC. xl°. nono.

Inspeximus etiam quasdam litteras patentes carissimi domini et patris nostri nuper principis Walliæ defuncti, nuper factas in hæc verba;

Edward, du tresexcellent seignur, par la grace de Dieu, Roi d'Engleterre et de France, fyux ainsnez, prince de Guall, duc de Cornoalhe et conte de Cestre, a toutz ceux qui cestes lettres verront, saluz.

Sachez que nous aiant regard et deue consideration as bones et agreables services et tresgrauntz lieux que notre chier et bien ame Raymon de Pelagrua chivaler nous ad fait et tenu en divers lieux es parties de Gascoigne, et nomeement en ceste bataille de Poytiers, en la quele estoit assigne d'estre entendant pour noustra baniera, si lui avons nous donne et graunte deux centz escutz vieux de renta chascun an, a terme de vie, la quelle somme volons que chescun an soit paie a li, ou a son certein attourne, des primiers ychues et revenues qui deshoures evenant attendront des monoyes qui pour avant serront faites et batues en la ville de Bourdeaux, as deux termes en l'an, par weles pourssions, cestassavoir, a Pasques et a la Seint Michel. Et ce davant et meinmeint contrastant touz autres donacions ou assignacions faites ou affaire, par qui, qui se soit et par q'elle chose que soit. Pourqoi a constable de Bourdeaux qui eras est, ou par temps sera, ou a son lieutenant, donnons en mandement par le tenour de ces presentz, que au dit Raymon de Pelagrua, a son certein pourqureour ou attorne a cela, paient et satisfassent chacun an de la dite somme, come dit est. Et si volons et mandons que tout ce q'en sera este paie par le dit conestable, ou son lieutenant, come dit est, que la copie de cez noz lettres sout le seel et contra seel du quiel homme use en Bourdeloys az contraitz ensemble ou deue reconoyssance de ce que en sera este paie que lour soient deue aloance en lours acontes. E ceste assignacion volons que lui soit tenue tant que par notre dit progenitour, ou par nous, ou ascun noz officiers et ministres, li soit perveu de terra et de renta a la value par alhours. En tesmonhance des quelles choses si avons fait mettre notre seel en ycestes.

Donn' a Bourdeux, le primer jour de Jaunver, l'an de Grace mil CCC. lvi.

Inspeximus insuper tenorem quarundam aliarum litterarum patentium ejusdem patris nostri, sub sigillo autentico in cancellariâ nostrâ ostensum, in hæc verba;

Edward, ainsne filz du Roy du Fraunce et d'Engleterre, prince d'Aquitaine et de Guallez, duc de Cornewaille, et compte de Cestre, seignur de Biscaye, et de castro Dordialez, faisons savoir a touz, que pur ce que notre ame et foial Reymond de Pelegrue nous a donnez a entendre, que par noz enemis, et par occasion de ces presentz guerres, il a perdu la value de mil livres par an, tant ent rendez de deniers que en ble, vin, et autres revenuz que a lui apartenoyent, en notre pais de Besedoys, et pour les bons services q'il nous a fait, et qui li et les siens feront a nous et aus notres pour le temps avenir, et aussi pour consideration de sa perde avantdit, avons donnez et donons par ces presentes a lui, et a ses heires mascles de li dehuement procreez, jusques a tant que li, ou ses ditz heires, auront recouvre ce q'il a perdu, comme dessus est dit, la value de cink centz livers par an de notre monoie courante, des terres, cens, rentz et autres heritages et possessions de noz rebelles, la ou trouver les pourra, en noz pais de Bourdeloys et d'Agenoys, par ainxi que li et ses ditz heirs facent a nous et aux notres homage lige, et les autres devoirs que en deyvent estre faitz. En tesmoignance du quiel notre present doun, nous avons fait mettre et appenser notre grant seel a cestes noz patentz lettres.

Donn' a notre chastel de Compuhat, le xi. jour d'Octobre, l'an mille trois centz sexant et neuf.

Inspeximus etiam quasdam litteras patentes præfati patris nostri, in hæc verba;

Eduuard, ainsne filz du Roi de France et d'Angleterre, prince d'Aquitaine et de Gales, duc de Cornewaille, comte de Cestre, seignur de Biscaye, et de castre Dordials, faisons savoir a touz, que pour les bons et agreables services que notre chier et foial chivaler Reymond de Pelegrue nous a fait, et fera par le temps avenir, luy avons donne et ottroie, donnons et ottroions, par ces presentz, de notre grace especiale, sys vings livres monoie courrant de revenue et value, a prendre et avoir chacun an durante sa vie, sur les rentes et revenues a nous dehues et appartenanz sur et a cause des maisons et places qui movent et doyvent estre et sont tenues de nous en notre ville de Liborne. Et aussi sur les ventes et reventes qui avons adjundront et doyvent appartenir pour les maisons et places qui en notre dite ville de Liborne seront vendues. Si mandons a noz ames thesaurer d'Aquitaine, qui ores est, et par le temps avenir sera, et mayre et provost de notre dite ville de Liborne, que notre dit feal facent, laissent et seuffrent prendre et joir chacun an des ditz sys vings livres de revenue et value, sur les rentes et revenues a nous dehues et appartenantz sur et a cause des maisons et places qui movent et deyvent estre et sont tenuz de nous en notre dite ville de Liborne, et sur les ventes et reventes qui avons adjundront, et doyvent estre appartenir par les maisons et places qui en ycelle notre ville seront vendues, comme dessus est dit, sanz li fere ne seuffrer estre fait ascun empachement en aucune manere, contre la teneur de cestes noz lettres patentes.

Donne a Bonceville, le vii. jour de Decembre, l'an mil CCC. sexante et dix.

NOS autem, dictas donationes et concessiones tam prædicti Henrici nuper comitis Derbiæ, quam prædicti domini patris nostri, ratas habentes et gratas, eas secundum formam litterarum prædictarum, de gratiâ nostrâ speciali, et de assensu concilii nostri, tenore præsentium approbamus, ratificamus, et confirmamus.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Januarii.

Per breve de privato sigillo.

De protectione pro comitivâ W. de Monte Acuto comitis Sarum, capitanei villæ Calesii.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

THOMAS ERPYNGHAM, qui in obsequio Regis, in comitivâ dilecti et fidelis Regis Willielmi de Monte Acuto comitis Sarum capitanei villæ Regis Calesii, ad partes transmarinas profecturus est, ibidem in munitione villæ Regis prædictæ moraturus, habet litteras Regis de protectione cum clausulâ 'Volumus' per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', primo die Februarii.

Per billam, &c.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in comitivâ præfati comitis versus partes prædictas, in munitione villæ prædictæ moraturi, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Johannes Ledes.
Stephanus de Botelesham.
Teste ut supra. *Per eandem billam.*

Johannes Wylton.
Johannes Berry.
Johannes Yonge de Coventre in comitatu Warr'.
Teste Rege, apud Westm', xxv. die Aprilis. *Per billam, &c.*

Johannes Calall de comitatu Derb'.
Teste Rege, apud Westm', ii. die Aprilis. *Per billam, &c.*

Dilectus et fidelis R' Milo de Stapelton.
Teste Rege, apud Westm', primo die Februarii. *Per billam, &c.*

W. de Monte Acuto, comes Sarum, capitaneus villæ Calesii constituitur.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Willielmo de Monte Acuto comiti Sarum, salutem.

Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate vestrâ plenius confidentes, constituimus vos capitaneum villæ nostræ Calesii in regno nostro Franciæ, ita quod vos villam prædictam ad opus nostrum salvò custodiatis et custodiri faciatis, percipiendo pro custodiâ illâ juxta formam indenturæ inter nos et vos confectæ:

Majori etenim, ballivis et omnibus aliis ministris villæ prædictæ, necnon universis et singulis habitatoribus ejusdem villæ, ac in eâ existentibus et accedentibus ad eandem, damus, tenore præsentium, in mandatis, eis nichilominus, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt,

firmiter injungentes, quod vobis ac locum vestrum tenenti ibidem, ac deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, cum ad nos in Angliam, seu alibi extra villam prædictam ad mandatum nostrum, seu aliis causis necessariis accedere vos contingat, in omnibus quæ ad salvam et securam custodiam villæ prædictæ, tam de nocte quam de die pertinent, intendentes sint, consulentes et auxiliantes, quotiens et quando per vos, seu dictum locum vestrum tenentem, ac deputatos à vobis ex parte nostrâ fuerint præmuniti.

Damus insuper vobis, ac dicto locum vestrum tenenti, et deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, sicut prædictum est, potestatem puniendi et castigandi omnes vobis contrarios seu rebelles, in hiis, quæ ad villæ prædictæ pertinent salvationem, prout de jure et rationabiliter fuerit faciendum.

Ac etiam amovendi omnes et singulos, qui in munitione dictæ villæ indebitè se habebunt, et alios idoneos loco eorum ponendi.

Ita quod munitio prædicta prout vobis melius videbitur, firmiter teneatur.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Februarii.

Per ipsum Regem et concilium.

De restitutione temporalium episcopo Rossen'.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 24. in Turr. Lond.

REX, dilecto consanguineo et fideli suo Jacobo Botiller justiciario suo Hiberniæ, vel ejus locum tenenti ibidem, ac custodi sigilli cancellariæ nostræ in terrâ prædictâ, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex nuper, vacante ecclesiâ cathedrali Rossen' in terrâ nostrâ prædictâ, per mortem bonæ memoriæ Dionisii nuper episcopi loci prædicti, eidem ecclesiæ de Bernardo Oconchuyr electo Rossen' ordinis Fratrum Minorum, professore in sacerdotio constituto, providerit, et ipsum in episcopum loci prædicti præfecerit et pastorem, sicut per litteras bullatas ipsius domini Summi Pontificis nobis indè directas, nobis constat: nos, pro eo quod idem electus omnibus et singulis verbis in dictis litteris bullatis contentis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, coram nobis spontè, palam, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit, volentes cum eodem electo in hac parte agere graciosè, cepimus fidelitatem ipsius electi, et temporalia episcopatûs prædicti cum pertinentiis, prout moris est, restituimus eidem;

Et ideo vobis mandamus quod eidem electo omnia temporalia episcopatûs prædicti cum pertinentiis in terrâ nostrâ prædictâ, unà cum exitibus indè à datâ præsentium liberari demandetis in formâ prædictâ: salvo jure cujuslibet.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Februarii.

Et mandatum est Roberto Lughtburgh escaetori Regis in terra Hiberniæ, quod eidem electo omnia temporalia prædicta cum pertinentiis in terrâ prædictâ, unà cum exitibus indè à datâ præsentium liberet in formâ prædictâ, salvo jure cujuslibet.

Teste ut supra.

Et mandatum est militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis tenentibus de episcopatu Rossen', quod eidem electo, tanquàm episcopo et domino suo, in omnibus quæ ad episcopatum prædictum pertinent, intendentes sint et respondentes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Marcii.

Ad papam, pro episcopo Menevensi.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 35. in Turr. Lond.

SANCTISSIMO in CHRISTO patri et domino, domino Urbano, divinâ Providentiâ, sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ Summo Pontifici, vester filius christianissimus, Ricardus, DEI gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ, devota pedum oscula beatorum.

Beatissime pater,

Nedum justitia exigit, set regiæ convenit pietati, ut fidelium nostrorum merita præmiantes, eis de exhibitis nobis servitiis calumpnias fieri non sinamus:

Et pro tanto, sanctissime pater, cor nostrum satis accenditur ut ea, quæ, in sanctitatis vestræ præsentia, contra reverendum in CHRISTO patrem, Adam episcopum Menevensem legum doctorem eximium, nuper cancellarium nostrum, per quosdam æmulos suos, subdolâ machinatione, dicuntur proposita, in lucem prodeant, et, effugatâ mendacii nebulâ, veritas elucescat.

Proponebatur namque, pater sancte, contra dictum episcopum, ut accepimus, in sanctitatis vestræ consistorio, per quendam impium, immò perfidum, clericum suum, Willielmum, Nichol vulgariter nuncupatum, per eundem episcopum ad diversa beneficia jam promotum, quod ipse, dum cancellariæ fungeretur officio, diversos clericos regni nostri, tam seculares quam regulares, tirannicè incarcerari fecerat, et diris carceribus detineri, à quibus redimi non poterant quousque caverent quod nunquam, propter hujusmodi injuriam, aliquem gravarent, nec de hoc in sanctitatis vestræ præsentiâ querelarent;

Item, asseruit idem mendax quod dictus episcopus clericos, volentes ad sanctitatis vestræ curiam, pro salute animarum suarum, et aliis suis negotiis, transitum facere, procuraverat nequitèr impediri;

Quorum utrumque, pater sancte, omni constat destitui veritate.

Fuit namque semper, et est, dictus episcopus, inter cæteros prælatos regni nostri, totius statûs ecclesiastici fortissimus defensator, nec unquam pati potuit alicui de clero, etiam pro juribus nostris conservandis, aliquid asperitatis inferri;

Et, si transitus clericorum ad sanctitatis vestræ præsentiam, per ipsum, vel alios quoscumque, impeditus extiterit, poteritis, pater sancte, per numerum clericorum regni nostri, qui post fœlicem promotionem vestram ad sanctitatis vestræ curiam convolàrunt, conjicere satis clarè.

Subdebat, pater sanctissime, idem mendax quod dictus episcopus ipsum de regno nostro banniri fecerat; cum numquam, ad instantiam illius, seu cujuscumque alterius, bannitus extiterit, quod sciatur: adiciendo quod ipsum quodam suo beneficio spoliaverat; quod reverà, a tempore primæ adeptæ possessionis ejusdem, et continuè citra, possedit et tenuit, et adhuc de præsenti possidet pacificè et quietè.

Hæc, pater sancte, quæ præmisimus, meram et puram continere credimus veritatem, et propterea, ea sub literarum nostrarum patentium testimonio, vestræ transmittimus sanctitati, supplicantes attentiùs quatinùs mendax precator impetratis careat, et alias, pœnâ docente, sentiat se, fidelem servitorem nostrum et probum, nequiter diffamasse prælatum.

Dat' in palatio nostro Westm' viii. die Februarii, anno Gratiæ millesimo trescentesimo septuagesimo octavo, et regnorum nostrorum secundo.

De conductu pro nepote Regis Navarræ.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, capitaneo castri et villæ de Chirburgh, vel ejus locum tenenti ibidem, ac universis et singulis admirallis, capitaneis armatarum supra mare, castellanis, constabulariis, vicecomitibus, majoribus, custodibus castrorum, fortalitiorum, portuum, passagiorum et aliorum locorum maritimorum, necnon ballivis, ministris, officiariis et eorum loca tenentibus, tam in cismarinis quam transmarinis partibus existentibus, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilecti nobis, Charlot de Beaumont nepos nobilis principis consanguinei nostri Regis Navarræ; Reymundus de Sperse; Martinus Sauxduretee; Eynetius Roderiz de Ayvair, et Petrus Perys de Luxe' et quamplures alii homines dicti consanguinei nostri de regno Navarræ, usque ad numerum sexaginta hominum ad arma, triginta balistariorum et quinquaginta servientum, nostri amici et benivoli existentes, qui in servitio nostro per dictum tempus, in dictis castro et villâ de Chirburgh morati fuerunt, ad proficiscendum versus præfatum consanguineum nostrum, ad deserviendum sibi in guerris suis, se proponant:

Nos, de assensu concilii nostri, suscepimus ipsos et eorum quemlibet, usque ad numerum prædictum, eundo et ire volendo ad servitium ejusdem consanguinei nostri, unà cum uxoribus, pueris, familiis, prisonariis, armaturis, vessallamentis, equis, monetâ, rebus et bonis suis quibuscumque, in salvum et securum conductum nostrum, necnon in protectionem et defensionem nostras speciales.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm injungimus et mandamus, quod præfatos Charlot, Reymundum, Martinum, Eynetium et Petrum, amicos et benivolos prædictos, usque ad numerum prædictum, unà cum uxoribus, pueris, familiis, prisonariis, armaturis, vessallamentis, equis, monetâ, rebus et bonis suis quibuscumque, à dictis castro et villâ de Chirburgh exire, ac etiam à regno nostro Angliæ, portubus, passagiis et aliis locis nostris, in casu quo ipsos infra idem regnum nostrum, seu jurisdictiones et districtiones vestras, venire contigerit, absque violentiâ seu impedimento aliquali, ipsos amicabiliter pertractando, versus dictum consanguineum nostrum in formâ prædictâ liberè recedere permittatis.

Non inferentes eis, seu inferri permittentes injuriam, molestiam, arestum, dampnum, impedimentum aliquod seu gravamen; et si quid eis, seu eorum alicui, forisfactum sive injuriatum fuerit, id eis sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c. usque ad festum Ascensionis Domini proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Februarii.

Per breve de privato sigillo.

[*Dupl'.*]

Super pecuniâ Scotiæ solvendâ acquietantia.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot Scot. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux, qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Savoir vous faisons que nous avons en accomptee et resceu de tresnoble et puissant prince Robert nostre cher cousyn d'Escoce, et des autres grantz de sa partie, quatre milles marcz d'esterlinges, de nostre monoie d'Engleterre, pur le terme de Seint Johan le Baptistre, darrein passe, en deduction, rebate, et partie de paiement de vint et oet milles marcz, les queux nous sont clerement duez de la somme de cynquant et sys milles marcz d'esterlinges, les quelles nostre dit cousyn, et autres prelatz, countz, et nobles de roialme d'Escoce nous ont accordes et promys appaier, par lour lettres obligatoires, a cause de la reste de la ranceon du noble prince David de Bruys, qi DIEU assoille;

De la quelle somme de quatre milles marcs nous nous tenons pur bien contentz et paiez, et en quitons, delivrons, et absolons nostre dit cousyn, et les autres issint obliges, et lour heirs, a touz jours, de mesme la somme de quatre milles marcz, issint a nous paiez, comme dit est;

Et, par le tenour de noz presentz lettres, nous faisons paccion et covenant expresse, et en bone foy, de jammays demander a eux, ne a lour heirs, en juggement, ne dehors, la dite somme de quatre milles marcz, que paiez nous sont par la cause et sicome dessus est dit.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le xiv. jour de Feverer.

Per ipsum Regem.

Pro cardinali Albanensi, super decanatu et præbendis in manum Regis seisitis, cum non sit rebellis Papæ.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 17. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et baronibus suis de scaccario, salutem.

Ex parte venerabilis patris cardinalis Albanensis, decani ecclesiæ cathedralis Eborum, et præbendarii præbendæ de Suthcave in eadem ecclesia, ac præbendarii præbendæ de Sutton et Bukyngham in ecclesiâ cathedrali Lincolniensi, nobis est ostensum quod, cum nuper, in parliamento nostro, tento apud Gloucestriam, de assensu prælatorum, procerum, et magnatum regni nostri Angliæ, nobis ibidem assistentium, omnia bona, fructus, et emolumenta quorumcumque beneficiorum, quæ certi cardinales, domino nostro Summo Pontifici, domino Urbano Papæ sexto, malitiosè rebellantes et inobedientes, optinebant in Anglia, pro eorum rebellione et inobedientiâ hujusmodi, arestari præceperimus, et postmodum seisiri fecerimus in manum nostram;

Et licet dictus cardinalis Albanensis in fide et obedientiâ debitis, penes præfatum dominum nostrum Papam, hactenus fideliter persteterit immobilis, et persistat pro fide catholicâ continuus et assiduus defensator, nobisque et regno nostro amicabilis semper fuerit et fidelis, fructus tamen, proventus, et emolumenta dictorum beneficiorum suorum, sicut et rebellium prædictorum, capta sunt et seisita in manum nostram;

Undè nobis supplicatum est, ut ad honorem DEI, et pro salvatione jurium ecclesiasticorum, sibi dignemur subvenire;

Nos, pro eo quod de constantiâ et obedientiâ dicto domino nostro Papæ, ac amicitiâ et fidelitate nobis, per prædictum cardinalem Albanensem sufficienter ostensis, nobis, per testimonium fidedignum, satis liquet, volentes ipsum, ac quæcumque sibi pertinuerunt, in regno nostro prædicto, favorabilius pertractari, omnimoda fructus, proventus, et emolumenta dictorum beneficiorum ipsius cardinalis Albanensis, prius, ut præmittitur, arestata, vel ad opus nostrum percepta, dearestavimus, et, tenore præsentium, dearestamus, ea præfato cardinali Albanensi, vel procuratori suo, ejus nomine, restituentes, ut est justum:

Et ideò vobis mandamus quod ipsum cardinalem Albanensem omnia fructus, proventus, et emolumenta, de dictis beneficiis suis provenientia et proventura, per se, vel procuratores suos, absque impedimento vel impetitione quacumque, percipere et habere permittatis, ac procuratores, firmarios, sive occupatores eorumdem fructuum, proventuum, et emolumentorum indè erga nos exonerari et quietos esse faciatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

REX, procuratoribus, firmariis, sive occupatoribus decanatûs ecclesiæ cathedralis Eborum, et præbendæ de Southcave in eadem ecclesia, salutem.

Ex parte venerabilis patris cardinalis Albanensis, decani decanatûs prædicti, ac præbendarii prædictæ præbendæ, nobis est ostensum, *&c.* *usque* restituentes ut est justum, *et tunc sic;*

Et ideò vobis mandamus quod eidem cardinali Albanensi, vel procuratoribus suis, de omnibus fructubus, proventubus, et emolumentis, de dictis beneficiis suis provenientibus et proventuris, integrè respondeatis, ut debetis;

Volumus enim vos indè erga nos exonerari.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

REX, procuratoribus, firmariis, sive occupatoribus præbendæ de Sutton et Bukyngham, in ecclesia cathedrali Lincolniensi, salutem. Ex parte venerabilis patris cardinalis Albanensis, præbendarii præbendæ prædictæ, nobis est ostensum, &c.

Consimilia brevia fiunt pro cardinali Mediolanensi, archidiacono Wellensi, et præbendario præbendæ de Yatemynstre in ecclesia cathedrali Sarum.

De Gallicis, ad dominia Regis invadendum se parantibus.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Willielmo de Monte Acuto, comiti Sarum, capitaneo villæ nostræ Calesii, et ejus locum tenenti, salutem.

Sciatis quod, cum inimici nostri Franciæ, et aliundè, ad nos, regnum, et dominia nostra invadendum, et populum nostrum ac linguam Anglicanam suis viribus destruendum, se parent, quodque plures ligei nostri ad arma, armati, ac sagittarii, non considerata necessitate hujusmodi hominum, armatorum, et sagittariorum, pro munitione regni, dominii, et populi nostrorum prædictorum, ad partes forinsecas, aliis in guerris suis deserituri, ad villam prædictam accesserint transituri, et indies accedere intendant ex hac causâ, ut accepimus;

Nos, nolentes aliquos subditos seu ligeos nostros aliquibus quam pro guerris nostris manutenendis, et populum regium et dominia nostra prædicta cum DEI adjutorio defendend' in hujusmodi partibus forinsecis, hujusmodi periculis iminentibus, aliqualiter deservire:

Assignavimus vos ad omnes et singulos hujusmodi homines, armatos, et sagittarios, qui ad villam prædictam accesserint, et indies accedere, et exindè ad partes forinsecas, aliis in guerris suis deserviturі, se parant transituri, nisi à nobis specialem auctoritatem et licentiam ad hoc habuerint, arestandum; et ipsos nobis, in guerris nostris ibidem, ad vadia nostra, rationabiliter solvenda, deserviturоs, si vos eorum servitio ibidem, nomine nostro, indigueritis, per manucaptionem, vel aliis viis et modis rationabilibus et honestis, compellendum;

Et, si taliter nobis ibidem deservire recusaverint et noluerint, vel vos eorum servitio ibidem, nomine nostro, non indigueritis, tunc ad eos, cum equis, rebus, et hernesiis suis, coram nobis et concilio nostro in Angliam remittendum;

Nos et dictum concilium nostrum de nominibus eorum, distinctè et apertè, sub sigillo vestro, de tempore in tempus, cum transcripto hujusmodi brevis, certificando;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et expleatis in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis majoribus, ballivis, ministris, ligeis, subditis, et fidelibus nostris, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, in præmissis, intendentes sint, respondentes, et auxiliantes quotiens et quando per vos fuerint super hoc præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

Per concilium.

De proditoribus Regis Navarræ arestandis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni de Arundella, constabulario et custodi castri et villæ de Chirburgh in Normannia, et ejus locum tenenti, ac aliis ministris et fidelibus nostris, ibidem qualitercumque constitutis, salutem.

Sciatis quod, ob reverentiam et affectionem specialem, quam ad personam carissimi consanguinei nostri Karoli Regis Navarræ gerimus et habemus, concessimus et licentiam dedimus Karoloto de Bello Monte, ipsius consanguinei nostri consanguineo, quod idem Karolotus quoscumque proditores eidem consanguineo nostro, infra castrum et villam prædicta ac dominia ejusdem inventos seu inveniendos, arestare, et quo voluerit, ad placitum ipsius consanguinei nostri, ducere poterit, sine occasione vel impedimento nostri, vel ministrorum aut officiariorum nostrorum quorumcumque;

Et ideò vobis mandamus quod ipsum Karolotum hujusmodi proditores ibidem capere, et exindè, ut prædictum est, ducere permittatis, non obstante quod dicta castrum, villa, et dominia in manibus nostris, sub custodiâ vestrâ, ad opus nostrum, salvò custodienda existunt.

Damus autem vobis, et aliis ligeis, subditis, et fidelibus nostris quibuscumque, in hac parte, tenore præsentium, in mandatis quod eidem Karoloto, in præmissis faciendis, consilium præbeatis et favorem, prout decet.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

Per concilium.

De custodiâ cignorum Regis commissâ.

A. D. 1379.—An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 31. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus dilecto nobis Waltero Payn custodiam omnium cignorum nostrorum in riparià Thamisiæ, et in quibusdam aliis ripariis infra regnum nostrum Angliæ, existentium, habendam quamdiu nobis placuerit; et ideo vobis mandamus quod eidem Waltero, in omnibus, quæ ad custodiam prædictorum cignorum nostrorum pertinent, intendentes sitis et respondentes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

Per billam senescalli ipsius Regis.

De bargeis et balingeris arraiandis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis, ac civibus et probis hominibus civitatis nostræ Eborum, salutem.

Quia de avisamento concilii nostri, ordinavimus quandam armatam navium, bargearum et balingerarum supra mare, in defensionem regni nostri Angliæ et ligeorum nostrorum, infra breve proficisci, volumus, et vobis de assensu dicti concilii nostri præcipimus, districtius quo poterimus, firmiter injungentes, quod unam bargeam et unam balingeram, quas nuper pro defensione regni nostri prædicti fecistis, cum omni celeritate, quacumque excusatione cessante, parari et arraiari faciatis;

Ita quod sint apud Kirkelerode die Dominica in medio Quadragesimæ proximò futuro ad ultimum, promptæ et paratæ ac sufficienter arraiatæ cum toto attillio et apparatu earundem, absque defectu seu difficultate aliquali, ad proficiscendum in obsequium nostrum supra mare, in armatâ prædictâ, prout per admirallos nostros, seu eorum alterum, vobis injungetur, ad vadia nostra et regardum magistris et marinariis modo consueto promptè solvenda.

Et præmissa tam intime cordi capiatis quod defectus in vobis non inveniatur, per quem dicta armata in dictum obsequium nostrum supra mare proficisci retardetur, in periculum et dampnum totius regni nostri prædicti, quod absit, sicut vos indè ad periculum vestrum respondere volueritis.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Februarii.

Per breve de privato sigillo.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eâdem datâ; videlicet,

Ballivis et probis hominibus villarum de Grymesby et Barton ad arraiandum unam balingeram.

Majori et ballivis ac civibus et probis hominibus civitatis Lincoln' ad arraiandum unam bargeam.

Majori et ballivis ac probis hominibus villæ de Lenn' ad arraiandum unam bargeam et unam balingeram.

Ballivis et civibus et probis hominibus civitatis Norwici ad arraiandum unam bargeam.

Ballivis et probis hominibus villæ de Gippewico ad arraiandum unam bargeam et unam balingeram.

Ballivis et probis hominibus villæ de Bury et Thetford ad arraiandum unam balingeram. Et erat patens.

Ballivis et probis hominibus villarum de Colecestre, Maldon, Manytre, et Herwice ad arraiandum unam balingeram.

Ballivis et probis hominibus villæ de Sancto Botulpho ad arraiandum unam bargeam et unam balingeram.

Pro Rollando marito Mundinæ Danos, nutricis Regis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Vascon. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, cum decimo die Augusti, anno regni nostri primo, per litteras nostras patentes dedissemus et concessissemus dilectæ nobis Mundinæ Danos, nuper nutrici nostri, parochiam de Cadylak in potestate de Fronsades in terrâ nostrâ Aquitaniæ, habendam et tenendam eidem Mundinæ ad totam vitam suam, cum proficuis et pertinentiis ad dictam parochiam spectantibus, in valorem trescentarum librarum per annum, de monetâ in partibus illis currente, prout in litteris nostris patentibus indè confectis, plenius continetur.

Nos jam, ad supplicationem præfatæ Mundinæ, quæ dictas litteras nostras in cancellariâ nostrâ restituit cancellandas, de avisamento concilii nostri, in recompensationem donationis et concessionis prædictarum, necnon eo pretextu quod ipsa nutrix nostra extitit, ut prædictum est, dedimus et concessimus Rollando Danos, marito suo, centum libras de monetâ in partibus illis currente, habendas et percipiendas singulis annis, ad totam vitam ejusdem Rollandi, de exitibus et proficuis terrarum et hæreditatum et possessionum, quæ fuerunt domini de Logoyran apud Tyran et Bussak, infra ballivam civitatis nostræ Burdegaliæ, et quæ ad manus nostras, occasione rebellionis prædicti domini de Logoyran, devenerunt, et postmodum per concilium nostrum in partibus illis, data fuerunt magistro Johanni Plassan defuncto, nuper clerico civitatis nostræ prædictæ, pro termino vitæ ejusdem Johannis, per manus constabularii nostri Burdegaliæ, vel alterius occupatoris, seu tenentis terrarum, hæreditatum, et possessionum prædictarum, pro tempore existentium, ad terminos Paschæ et Sancti Michaelis, per æquales portiones.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Martii.

Per breve de privato sigillo.

Et mandatum est constabulario Regis Burdegaliæ, occupatori seu tenenti terrarum, hæreditatum et possessionum quæ fuerunt domini de Logoyran apud Tyran et Bussak infra ballivam civitatis Regis Burdegaliæ, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, seu eorum loca tenentibus, quod eidem Rollando dictas centum libras de monetâ prædictâ, singulis annis, de exitibus et proficuis terrarum, hæreditatum, et possessionum prædictarum, ad terminos prædictos, exnunc solvi et habere faciant, et ei indè intendentes sint et respondentes, juxta tenorem litterarum Regis prædictarum.

Recipientes à præfato Rollando litteras suas acquietanciæ, quæ pro Rege sufficientes fuerint in hâc parte. Et Rex eis indè in compoto suo debitam allocationem habere faciet.

Teste Rege ut supra.

De navibus, pro passagio J. de Harliston, custodis castri de Cherburgh, arestandis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Johanni de Lincoln' clerico, et Waltero Leycestre servienti nostro ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad triginta vasa, undè duæ sint naves cum turribus, et duæ bargeæ, et quodlibet ceterorum viginti et sex vasorum residuorum sit de portagio inter viginti et sexaginta et unius doliorum, capiendum; et etiam ad tot marinarios, quot pro navibus, bargeis et vasis prædictis sufficere poterunt, ubicumque eos infra admiralitatem versus austrum et occidentem inveniri contigerit, arestandum et capiendum, et eos in navibus, bargeis et vasis prædictis, ponendum, et ad dicta naves, bargeas, vasa, et marinarios, usque ad portum villæ nostræ Suthampton' citra sextumdecimum diem præsentis mensis Marcii, venire faciendum, ad serviendum nobis supra mare, ad vadia nostra per præfatum Johannem promptè solvendum, pro passagio dilecti et fidelis nostri Johannis de Harliston, custodis castri et villæ de

Chirburgh in Normanniâ, et aliorum fidelium nostrorum in comitivâ ipsius custodis versus dictum locum de Chirburgh profecturorum: et ad omnes illos, quos in hac parte contrarios inveneritis seu rebelles, similiter arestandum et capiendum, et eos prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et alteri vestrûm, districtiùs quo poterimus, injungendo, mandamus quod circa præmissa omnia et singula cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis admirallis, et eorum loca tenentibus, et vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, pareant et intendant, quotiens et prout per vos seu alterum vestrum super hoc ex parte nostrâ fuerint præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Marcii.

Per billam de privato sigillo.

De castro et villâ de Brest liberandis.

A. D. 1379.
An. 2 Ric. II.

Rot. Franc.
2 Ric. II. m. 3.
in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Ricardo de Abburbury et Johanni Golafre, nuper custodibus villæ et castri nostrorum de Brest, salutem.

Quibusdam certis de causis, de avisamento concilii nostri, vobis injungimus et mandamus, quod dilectis et fidelibus nostris Thomæ de Percy et Hugoni de Calvyley, admirallis nostris, villam et castrum prædicta, quæ in custodiâ vestrâ existunt, per indenturas indè inter vos modo debito conficiendas, sine dilatione liberetis; habenda juxta tenorem quarumdam indenturarum inter nos et præfatos admirallos indè confectarum: volumus enim vos erga nos exonerari.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Marcii.

Per concilium.

Pro Simone archiepiscopo Cantuariensi,. et aliis, de certis summis Regi mutuatis.

A. D. 1379.
An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II.
p. 2. m. 28.
in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod cum venerabilis pater Simon archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ primas, nobis centum libras, pro expeditione guerræ nostræ, liberè et spontè mutuaverit, quas per manus Willielmi de Walleworth et Johannis Philipot, receptorum denariorum pro guerris nostris, recepimus;

Nos præfato archiepiscopo de dictis centum libris, citra festum Sancti Martini in Yeme, proximò futurum, solutionem per nos fieri promittimus in verbo regio et bonâ fide;

Et, ut eidem archiepiscopo de summâ prædictâ promptiùs satisfiat, concessimus, pro nobis et hæredibus nostris, quod thesaurarius noster, pro tempore existens, competentem assignationem pro solutione sive satisfactione ejusdem summæ, in locis ubi melius expedire viderit, præfato archiepiscopo faciat;

Volentes et præcipientes quod hujusmodi assignatio, per dictum thesaurarium facienda, in suo robore perseveret, et firmum locum habeat, absque revocatione seu contradictione per nos vel hæredes nostros, aut aliquos officiarios seu ministros nostros, in futurum aliqualiter faciendis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Martii.

Per billam thesaurariæ.

Consimiles litteras Regis habent subscripti, de summis subscriptis in forma prædicta mutuatis; videlicet,

Willielmus Cicestrensis episcopus, de centum libris.
Thomas episcopus Exon', de centum libris.
Johannes Bathon' et Wellen' episcopus, de centum libris.
Henricus de Percy, comes Northumbriæ, de centum libris.
Richardus le Scrop cancellarius Angliæ, de centum libris.
Rogerus de Bello Campo miles, de centum libris.
Prior Sancti Swythini Wyntoniæ, de centum marcis.
Prior hospitalis Sancti Johannis Jerusalem in Anglia, de centum libris.
Thomas comes Warrewicæ, de centum libris.
Willielmus episcopus Wyntoniensis, de centum libris.
Willielmus de Ufford comes Suffolciæ, de centum libris.
Guido de Bryen banerettus, de centum libris.
Thomas abbas de Hida, de centum marcis.
Johannes Stonehull et Johannes Frekenham de Maydenstan, de viginti libris.
Willielmus Croke, de decem libris.
Johannes Stormesworth de Welleford, de quadraginta marcis.
Johannes Cheyne miles, de decem marcis.
Richardus de Adekyn de Wendovere, de decem marcis.
Johannes Fevre de Whitecherch, de viginti marcis.
Henricus Ropere de Redyng, de viginti libris.
Johannes Farnham de Redyng, de decem libris.
Thomas episcopus Roffensis, de quinquaginta marcis.
Johannes abbas de Waverley, de viginti libris.
Radulphus episcopus Sarum, de centum marcis.
Richardus abbas de Redyng, de quinquaginta libris.
Galfridus abbas de Eynesham, de viginti libris.
Johannes Buttort de Weolegh, de centum marcis.
Decanus et capitulum ecclesiæ cathedralis Cicestriensis, de centum marcis.
Richardus Chaunce de comitatu Sussexiæ, de decem marcis.
Johannes abbas de Oseney, de viginti libris.
Willielmus Latymere de comitatu Dorsetiæ, de viginti libris.
Johannes Morton de Potesgrave et Hugo de Littelyngton in comitatu Bedfordiæ, de centum solidis.
Johannes Woderill de comitatu Buk', de centum solidis.
Abbas de Wobournechapell, de decem libris.
Johannes Aylesbury de comitatu Buks, de viginti libris.
Simon Clerc de Lemyngton de comitatu Southamptoniæ, de decem libris.
Willielmus Clement de Styvecle, de quinque marcis.
Probi homines villæ Gloucestriæ, de quadraginta libris.
Probi homines villæ Bedfordiæ, de viginti libris.
Prior de Caldewell, de decem marcis.
Abbas Cirencestriæ, de quadraginta libris.
Prior Roffensis, de viginti libris.
Abbatissa de Elvestowe, de decem libris.
Thomas Adynet de comitatu Gloucestriæ, de viginti libris.
Abbas de Malmesbury, de quinquaginta marcis.
Johannes Broghton de comitatu Buks, de centum solidis.
Thomas Salter de Bereford, de viginti libris.
Johannes Curteys de Wymynton, de viginti libris.
Johannes Lucy de comitatu Gloucestriæ, de viginti marcis.
Prior de Kenelleworth in comitatu Warwicæ, de viginti libris.
Abbas de Bello Loco de comitatu Suthamptoniæ, de quadraginta libris.
Thomas Bocok de Staundon, de viginti marcis.
Johannes Sergeant de Aspedon, de decem libris.
Thomas Reyns miles et Johannes Olneye de Weston Underwode, de viginti libris.
Probi homines villæ Northamptoniæ, de quadraginta libris.
Johannes Fage de Roxton, de centum solidis.
Richardus Bollesore rector ecclesiæ de Norton, et Willielmus Dille de Caldecote, de decem libris.
Prior de Coventria, de viginti libris.
Probi homines villæ Cirencestriæ, de quadraginta marcis.
Thomas Kays de Stow in comitatu Gloucestriæ, de decem marcis.
Johannes Chappeman de Munchenhampton, de quadraginta marcis.
Radulphus Geddyng de Huntyndon, de quadraginta libris.
Willielmus Smyth de Catesby, de viginti libris.
Gilbertus comes d'Anegos, de centum libris.
Prior de Bernewell, de viginti libris.
Richardus Mold de Wendey, de centum solidis.
Richardus Prior de Bruton, de viginti libris.
Willielmus Lobenham de Brikelesworth, de decem marcis.
Jacobus de Audeley, de centum libris.
Probi homines civitatis Novæ Sarum, de centum libris.
Prior Christi Ecclesiæ de Twynham, de viginti libris.
Johannes Sutton de Wyvenho miles, de viginti libris.
Richardus Sutton miles, de comitatu Essexiæ, de viginti marcis.
Johannes Playce miles, de comitatu Essexiæ, de viginti libris.
Johannes Floure de Stowe in comitatu Gloucestriæ, de decem libris.
Cives civitatis Wyntoniæ, de quadraginta libris.
Johannes Gresley miles, de decem libris.
Johannes Wynriche de Burford, de decem libris.
Abbas de Burton super Trentam, de viginti marcis.
Prior de Dunstaple, de decem libris.
Vicarius de Horseleye de comitatu Derbiæ, de viginti marcis.
Probi homines villæ de Brendwode in comitatu Essexiæ, de decem libris.
Abbas de la Dale de comitatu Derbiæ, de quinque marcis.
Abbas de Welbek, de quinque marcis.
Richardus Hanneson de comitatu Notynghamiæ, de quinque marcis.
Johannes Leyre persona ecclesiæ de Magna Dodyngton, de decem marcis.
Rogerus Keterich de comitatu Essexiæ, de quinquaginta tribus libris sex solidis et octo denariis.
Homines de Coggeshale de comitatu Essexiæ, de quadraginta libris.
Henricus Coton clericus, de comitatu Derbiæ, de viginti marcis.
Thomas Frauncyes clericus, de comitatu Derbiæ, de viginti libris.
Johannes Foliambe de comitatu Derbiæ, de viginti libris.
Henricus de Braylesford miles, de decem marcis.

Robertus Molde rector ecclesiæ de Braydeshale, de quinque marcis.
Johannes Bele rector ecclesiæ de Macworth, de decem libris.
Probi homines villæ Cantebrigiæ, de centum marcis.
Richardus Lyons de comitatu Essexiæ, de quadraginta libris.
Johannes Haukewode de comitatu Essexiæ, de viginti libris.
Hugo de Wylughby clericus, de quadraginta marcis.
Prior de Repyndon, de decem libris.
Prior de Thurgarton, de decem libris.
Radulphus Attewode de Hoghton, de decem libris.
Johannes Samon, Johannes Croweshawe, et Johannes de Plumtre, de Notyngham, de centum marcis.
Johannes dominus de la Ware, de centum marcis.
Abbas Beatæ Mariæ Eborum, de centum marcis.
Decanus et capitulum ecclesiæ cathedralis Sarum, de centum marcis.
Abbas de Coggeshale, de viginti libris.
Probi homines villæ de Maldon de comitatu Essexiæ, de quadraginta libris.
Simon Lorkyn de Gildesburgh, de decem marcis.
Johannes Landewath de la Wolde in comitatu Northamptoniæ, de decem marcis.
Simon Bonde de comitatu Northamptoniæ, de decem marcis.
Probi homines villæ de Retford in comitatu Notynghamiæ, de quadraginta marcis.
Robertus vicarius de Duston, de quinque marcis.
Johannes Taverner, Johannes Hanneson, et Simon Curteys, homines villæ de Gaynesburgh, de viginti marcis.
Abbas de Croxden in comitatu Staffordiæ, de centum solidis.
Abbas de Milton, de viginti libris.
Abbas de Serne, de viginti libris.
Simon Symeon, de viginti libris.
Abbas de Sancta Ositha de comitatu Essexiæ, de quadraginta libris.
Probi homines villæ de Haddeley de comitatu Suffolciæ, de quinquaginta libris.
Matheus parsona ecclesiæ de Quassyngburgh, de octo marcis.
Johannes Hardeby de Enedon et Johannes Mott parsona ecclesiæ de Enedon, de decem marcis.
Johannes Story et Robertus Lute de Sleford, de viginti et quinque libris.
Prior Sanctæ Trinitatis de Gippewico, de quadraginta libris.
Johannes Rex Castellæ et Legionis dux Lancastriæ, de centum libris.
Homines villæ de Bury in comitatu Suffolciæ, de quinquaginta marcis.
Homines villarum de Alderton et Baudesey in comitatu Suffolciæ, de quadraginta marcis.
Willielmus de Kerdeston de comitatu Norffolciæ, de quadraginta marcis.
Probi homines villæ Gippewici, de quadraginta libris.
Probi homines villæ Bristoll, de mille marcis.
Johannes parsona ecclesiæ de Asshewell, Willielmus vicarius de Burle, et Willielmus vicarius de Hameldon, de septem libris sex solidis et octo denariis.
Abbas de Ouston in comitatu Leycestriæ, de decem marcis.
Robertus de Tame de comitatu Lincolniæ, de quadraginta solidis.
Abbas de Derley de comitatu Derbiæ, de viginti marcis.
Richardus Sibesey de Kirketon de Lyndesey, de quinque marcis.
Willielmus Clere de comitatu Norffolciæ, de quinquaginta marcis.
Thomas Sarazin de comitatu Norhamptoniæ, capellanus, de decem libris.
Rogerus Hillary miles, de comitatu Staffordiæ, de viginti marcis.
Johannes Long et Richardus Nichol, de comitatu Cornubiæ, de viginti libris.
Willielmus Dalby de Tilton et Willielmus vicarius ecclesiæ de Tilton, de decem libris.
Richardus Symond de Thedyngworth, de decem marcis.
Willielmus de Pynlatinhall de comitatu Staffordiæ, de centum solidis.
Abbas de Glastenbury, de centum libris.
Richardus comes Arundellæ, de centum libris.
Rogerus Juyll de comitatu Cornubiæ, de viginti libris.

De muris et turellis civitatis Cantuariæ reparandis.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.
Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi ballivis civitatis suæ Cantuariæ, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum, ut accepimus, civitas prædicta muro et turellis de petrâ et calce, ac fossatis latis et profundis, ab antiquo competenter clausa fuerit et firmata, ac, processu temporis, ob defectum reparationis eorumdem murorum et turellorum, ac abductionis et asportationis petrarum eorumdem, necnon inundationis fossatorum prædictorum, muri et turelli prædicti ita debiles et ruinosi, ac fossata illa taliter obstructa existunt, nullâ portâ, seu aliquâ aliâ fortificatione competenti, circa eandem penitus existente; quod civitas illa, quæ propè mare sita est et posita, si inimici nostri Franciæ in eisdem partibus applicuerint, sicut jam noviter fecerunt, et in eventu facere poterunt, quod absit, in maximo periculo, nisi celeriùs remedium condignum apponatur, multo magis solito dinocitur existere:

Et licet archiepiscopus Cantuariæ, et vos ac cæteri cives et probi homines ibidem, pro salvatione civitatis illius, ac communi utilitate vestrâ, et aliorum de partibus adjacentibus ad dictam civitatem confluentium, si periculum ibidem imineat aliquale, in voluntate et firmo proposito fueritis reparandi et emendandi muros et turellos, ac portas civitatis prædictæ, necnon mundandi eadem fossata et clausuram dictæ civitatis, tam ipsius archiepiscopi quam vestris ac communibus sumptibus hominum dictæ civitatis, propter hujusmodi pericula præcavenda, et quamplura alia, ad fortificationem civitatis illius necessaria, facere decreveritis, et ea in parte inceperitis;

Quidam tamen malivoli homines ibidem, licet in facultatibus et possessionibus sufficientes fuerint ad contribuendum expensis in hâc parte apponendis, omninò contradicunt, nec se volunt ad hoc per vos aliqualiter justiciari; et quia utilitatem rei publicæ ubique in regno nostro fieri cupimus, ut tenemur:

Assignavimus vos ad muros, turellos, portas, fossata, et alia prædicta, cum omni celeritate debitè reparari et construi, et insuper quascumque personas, tam religiosas quam seculares, terras, tenementa et redditus, seu mercandisas, vel alia bona infra civitatem illam, seu libertatem ejusdem, jam habentes, seu imposterum habituras, ad contribuendum expensis circa reparationem, emendationem, seu constructionem omnium et singulorum præmissorum apponendis, quemlibet eorumdem, videlicet, juxta facultates et possessiones suas, viris privilegiatis, ac debilibus et pauperibus mendicantibus dumtaxat exceptis, per districtiones et alios vias et modos, quibus melius et celerius poteritis, quâcumque excusatione cessante, compellendum:

Ac insuper quascumque domos et edificia, super murum prædictum erecta et constructa, seu eidem muro contigua, aut in loco ubi fossatum illud sic fieri debuerit, posita seu edificata, satisfacto prius tam eorumdem domorum et edificiorum quam etiam fundi in eodem loco justis possessoribus, de pretio seu valore eorundem, per discretionem et avisamentum sex vel quatuor proborum et legalium hominum civitatis illius ea appreciantium; necnon arbores et quæcumque alia nocumenta in eodem loco existentia, funditùs evelli et penitùs amoveri faciendum:

Necnon ad inquirendum per sacramentum proborum et legalium hominum de civitate prædictâ, per quos rei veritas melius sciri poterit, qui petras murorum et turellorum prædictorum, ut prædictum est, abduxerunt seu asportaverunt, et quantum hujusmodi petræ sic abductæ, seu asportatæ, tempore abductionis seu asportationis earumdem, valebant; et ad omnes et singulos, quos per inquisitionem in hâc parte ritè faciendam, inveneritis, petras de muris et turellis prædictis abduxisse seu asportasse, ad easdem petras ex causâ reparationis et constructionis prædictarum reducendum, seu aliàs ad satisfaciendum vobis de valore dictarum petrarum, in auxilium reparationis et constructionis hujusmodi, per districtiones et alios vias et modos rationabiles, quamcitius poteritis, compellendum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa, tantâ necessitate causante, cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ;

Damus insuper universis et singulis civibus, ac aliis habitatoribus et incolis civitatis illius, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis et alteri vestrùm in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout ipsi per vos, aut alterum vestrûm, super hoc ex parte nostrâ fuerint requisiti.

In cujus, &c. quamdiu Regi placuerit duraturas.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

Pro Reymundo Pelagru, de homagio facto.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.
Rot. Vascon. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, senescallo Aquitaniæ, ac constabulario Burdegalæ, vel eorum loca tenentibus ibidem, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Quia dilectus et fidelis noster Reymundus Pelagru, chivaler de Aquitannia, fecit nobis homagium pro omnibus terris et possessionibus quas tenet de nobis in dominio Aquitaniæ, tam pro illis quas habet de dono et concessione domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, ac carissimi domini et patris nostri, et eorum loca tenentium in partibus prædictis, quam alio modo, vobis mandamus quod districtioni quam eidem Reymundo, pro homagio prædicto nobis faciendo, fieri facitis, supersedeatis omninò; ipsum ex hac causâ non molestantes in aliquo, seu gravantes.

Teste Rege, apud Westm', x. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

[*Et erat patens.*]

De forisfactis Ingelrami de Coucy, occasione sursum redditionis homagii; et de statu amitæ Regis manutenendo.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Claus. 2 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis, tam liberis quam nativis, tenentibus de dominio et libertate de Holdernesse in comitatu Eborum, salutem.

Cum nuper maneria et hameletta de Brustwyk, Bondbrustwyk, Skekkelyng Parva, Aumbre, Kayngham, Cleton, Skipsee, Outhorn, Wythornsee, Lelle Dyk, Estauwyke, Burton-Pydsee, Preston, Sprotlee, Hedon, Pauleflete, Skeftelyng, Kilnesey, Esyngton, et Ravenser, ac omnia alia maneria, honores, dominia, villæ, terræ, tenementa, redditus, firmæ, et custodiæ, quæ Ingelramus de Coucy et Isabella uxor ejus, amita nostra carissima, nuper habuerunt et tenuerunt ad terminum vitæ, vel aliter quovis modo, unà cum stauro, et aliis bonis et rebus suis quibuscumque, in manum nostram, tanquam nobis forisfacta occasione sursum redditionis homagii ipsius Ingelrami in manus nostras, ac adhæsionis suæ adversario nostro Franciæ factæ totaliter capta fuissent et seisita;

Et nos, ad nobilitatem generis ipsius amitæ nostræ, quæ ex regali progenie extitit oriunda, considerationem habentes, cupientesque ipsam et statum suum dùm in regno nostro Angliæ steterit, honorabiliter, prout decet, gubernari et manuteneri, de assensu prælatorum cæterorumque nobilium, nobis in parliamento nostro assistentium, dederimus et concesserimus venerabilibus patribus Alexandro archiepiscopo Eborum, Willielmo episcopo Londoniæ, Radulpho episcopo Sarum, ac dilectis et fidelibus nostris Guidoni de Briene, Rogero de Beauchampe, Hugoni de Seigrave, et Thomæ Tyrell, militibus, omnia prædicta maneria, hameletta, honores, dominia, villas, terras, et tenementa, ac animalia, staurum, bona, et catalla, occasione prædictâ, in manum nostram capta, ut prædicitur;

Certis tamen maneriis, villis, terris, tenementis, et redditibus, penes nos specialiter reservatis, dumtaxat exceptis;

Habenda et tenenda eisdem archiepiscopo, episcopis, Guidoni, Rogero, Hugoni, et Thomæ, unà cum feodis militum, advocationibus ecclesiarum, hospitalium, vicariarum, capellarum, cantariarum, parcis, boscis, forestis, chaceis, warennis, libertatibus, liberis consuetudinibus, et omnibus aliis pertinentiis suis, adeò plenè, liberè, et integrè, ac eodem modo, sicut præfati Ingelramus et Isabella, ea, ante forisfacturam prædictam, melius tenuerunt et habuerunt, ad totam vitam ipsius amitæ nostræ, sub certis conditionibus, in litteris nostris patentibus, indè confectis, pleniùs expressatis, sicut per inspectionem rotulorum cancellariæ nostræ nobis constat;

Vobis præcipimus, firmiter injungentes, quod eisdem archiepiscopo, episcopis, Guidoni, Rogero, Hugoni, et Thomæ, ac eorum deputatis et assignatis intendentes sitis et respondentes, ut debetis.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Martii.

[*Et erat patens.*]

De clero convocando.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Claus. 2 Ric. II. m. 15. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, S. eadem gratiâ, archiepiscopo Cantuariæ, totius Angliæ primati, salutem.

Qualiter inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes inter se alligati, et undique hostiliter congregati, regnum nostrum Angliæ per terram et per mare sæpiùs invaserunt, mala quamplurima et intolerabilia nobis et ligeis nostris inferendo; et non solum de hoc contenti, dictum regnum nostrum et ecclesiam sanctam, nosque et totam linguam Anglicanam subvertere et destruere, de die in diem, totis viribus se conantur, nisi eorum malitiæ, adjuvante DEO, forciùs resistatur, vos non credimus ignorare; unde in salvationem statùs ecclesiæ sanctæ, et regni ac populi nostrorum necessariam defensionem, sumptus ac census, et expensas inestimabiles effundere nos oportet: verum quia, ad ipsorum onerum et sumptuum supportationem, absque juvamine fidelium nostrorum, non sufficimus, sicut scitis:

Vobis in fide et dilectione quibus nobis tenemini, rogando mandamus quatinus, tam arduitate negociorum prædictorum quam grandibus periculis, quæ ecclesiæ et regno prædictis oculatâ fide imminere conspicitis, attentis et debitè consideratis, suffraganeos vestros, decanos et priores ecclesiarum cathedralium, abbates et priores et alios electivos, exemptos et non exemptos, necnon archidiaconos, capitula, conventus et collegia, totumque clerum cujuslibet diœcesis vestræ provinciæ, ad comparendum coram vobis in ecclesiâ Sancti Pauli London', vel alibi, prout expedire videritis, ad breviorem diem quem poteritis, more solito convocari faciatis;

Et eis dictis negociis et periculis ibidem plenius expositis et declaratis, ipsos ad subsidium in hoc casu competens et necessarium, in supportationem dictorum onerum et sumptuum, nobis concedendum, eo specialius cum efficaciâ quâ magis sciveritis vel poteritis, tantâ necessitate causante, inducatis, et partes vestras ad hoc effectualiter apponatis. Nos in cancellariâ nostrâ de quantitate subsidii illius, ac de terminis solutionis ejusdem, certificantes.

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum ac salvationem et defensionem ecclesiæ et regni prædictorum diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Marcii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimile breve dirigitur A. archiepiscopo Ebor' Angliæ primati, ad convocandum clerum in ecclesiâ Beati Petri Ebor'.

Teste ut supra.

De potestate tractandi, super matrimonio pro Rege, cum filiâ Barnabonis domini Mediolani.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis ad quos, &c. salutem. Sciatis quod cum quædam certa materia de et super contractu matrimoniali inter personam nostram et dominam Katerinam, filiam magnifici et potentis viri domini Barnabonis domini Mediolani, per certos procuratores et ambassatores ipsius domini Mediolani, nobis nuper destinatos, dominis et magnatibus de concilio nostro tacta fuerit et locuta, nos verò, ex hac causâ, dilectos et fideles conciliarios nostros Michaelem de la Pole banerettum, Johannem de Burele militem cameræ nostræ, et magistrum Johannem de Shepeye decanum ecclesiæ cathedralis Lincolniensis, legum doctorem, de voluntate et intentione nostris in hac parte satis instructos, de quorum fidelitate et circumspectione plenè confidimus, nostros veros et legitimos procuratores ac nuncios speciales, de assensu concilii nostri antedicti, constituimus et facimus per præsentes;

Dantes et committentes eisdem procuratoribus et nunciis nostris, et duobus eorum, potestatem generalem, ac mandatum speciale, voluntatem et intentionem dicti domini Mediolani, super hujusmodi contractu, et super accessoriis, connexis, et circumstantiis ab eodem dependentibus, audiendi;

Ac super dicto contractu, necnon super alligantiis, perpetuis vel ad tempus, inter nos et ipsum dominum Mediolani tractandi et loquendi;

Et voluntatem nostram et concilii nostri præfato domino Mediolani, super contractu, amicitiis, et alligantiis illis exponendi et declarandi;

Et ea quæ super præmissis sic audita, locuta, et tractata fuerint, nobis et concilio nostro reportandi et referendi, ut nos, super auditis, tractatis, locutis, declaratis, et reportatis prædictis, ulterius indè, ex deliberatione et avisamento dicti concilii nostri, procedere valeamus.

In cujus, &c. per dimidium anni duraturas.

Dat' in palatio Regis Westm', xviii. die Martii.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro Michaele de la Pole, et Gerardo de Insula, de protectione.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

MICHAEL DE LA POLE miles, qui in obsequium Regis versus curiam Romanam profecturus est, habet litteras Regis de protectione cum clausula 'Volumus' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Marcii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habet subscriptus, qui in idem obsequium in comitiva præfati Michaelis versus eandem curiam profecturus est, per idem tempus duratur', sub data subscripta; videlicet,

Gerardus de Lisle, miles.

Teste ut supra.

De navibus, craieris et marinariis arestandis.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Waltero Hauley et Thomæ Credy, servientibus suis ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos et alterum vestrûm ad decem et septem naves et craieras, sufficientes pro passagio certorum hominum ad arma et sagittariorum, in obsequium nostrum, versus partes Aquitaniæ profecturorum; et ad tot marinarios, quot pro sufficienti eskippamento earundem navium et craierarum sufficere poterunt, ubicumque eos invenire poteritis, infra admiratum del West, tam infra libertates quam extra, exceptâ libertate Quinque Portuum nostrorum, et exceptis navibus, craieris et marinariis alibi pro obsequio nostro arestatis, sine dilatione arestandum et capiendum, et hujusmodi naves et craieras cum marinariis prædictis, usque ad portum de Plymmuth ex causâ prædictâ venire faciendum.

Ita quod sint ibidem promptæ et paratæ in Quindena Paschæ proximò futurâ ad ultimum absque defectu, ad proficiscendum in obsequium nostrum versus partes prædictas, ad vadia nostra, prout eis ex parte nostrâ injungetur tunc ibidem: et ad omnes, quos in hac parte inveneritis contrarios seu rebelles, arestandum et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque pro eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, magistris et marinariis navium, ac aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm in executione præmissorum, intendentes sint, consulentes, obedientes et auxiliantes, quotiens et prout per vos, seu alterum vestrûm super hoc fuerint præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Aprilis.

Per concilium.

De conductu pro Waltero de Lesseley, comite de Ros.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Scot. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, per quarterium unius anni duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, necnon in protectionem et defensionem Regis speciales, nobilem virum, dominum Walterum de Lesseley, comitem de Ros, de Scotia, veniendo in regnum Regis Angliæ cum quindecim equitibus in comitivâ suâ, ac cum hernesiis et rebus quibuscumque, ibidem morando, et exindè ad propria redeundo.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Aprilis.

Per ipsum Regem, nunciante camerario, per billam suam.

Bulla Urbani VI. Papæ, de specialibus honoribus et favoribus pro personâ Regis.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

URBANUS episcopus, servus servorum DEI, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Lilcolniensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Clara devotionis sinceritas quam carissimus in CHRISTO filius noster Ricardus Rex Angliæ illustris ad nos et Romanam gerit ecclesiam, sublimis quoque ejus magnificentia promerentur, ut non solùm ipsum, sed etiam illos qui ei studio devotionis adhærent, specialibus favoribus et condignis gratiarum provisionibus honoremus.

Volentes itaque, præmissorum intuitu, ejusdem Regis honorare personam, et per honorem, sibi exhibitum, etiam aliis provideri, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrûm, auctoritate nostrâ, hac vice dumtaxat, in singulis, tàm cathedralibus et metropolitanis, quam collegiatis ecclesiis secularibus, regni sui Angliæ, Iberniæ, et principatûs Walliæ, duabus personis ydoneis, quas idem Rex duxerit nominandas, singulis, videlicet, ex personis eisdem singulos canonicatus ecclesiarum ipsarum, cum plenitudine juris canonici, conferatis et provideatis etiam de eisdem; facientes singulas personas hujusmodi, in dictis ecclesiis, auctoritate prædictâ, in canonicos recipi et in fratres: stallo eis in choro, et loco in capitulo, ipsarum ecclesiarum, cum dicti juris plenitudine, assignatis:

Ac nichilominus duas præbendas, et duas dignitates, seu duos personatus, vel duo officia, cum curâ vel sine curâ, etiam si hujusmodi dignitates in eisdem cathedralibus majores, post pontificales, et in collegiatis ecclesiis principales, existant, et ad eas consueverint per electionem assumi, in eisdem singulis ecclesiis, siquæ, siqui, vel siqua vacant ad præsens, vel cum vacaverint, quas, quos, seu quæ, præfatæ personæ per se, vel procuratores suos, ad hoc legitimè constitutos, infra unius mensis spatium, postquam eis, vel procuratoribus supradictis, de ipsarum præbendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum, vacatione constiterit duxerit acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda, videlicet, singulas, singulos, vel singula eisdem singulis personis, post acceptationem prædictam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, donationi vestræ reservetis;

Districtius inhibendo locorum ordinariis, et dilectis filiis capitulis ipsarum ecclesiarum, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos, in dictis ecclesiis, præbendarum, ac dignitatum, personatuum, vel officiorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio, pertinet, communiter vel divisim, nè de præbendis, ac dignitatibus, personatibus, vel officiis hujusmodi interim, etiam ante acceptationem prædictam, nisi postquam eis constiterit quod personæ, aut procuratores prædicti, illas, vel illos, seu illa, noluerint acceptare, disponere quoquomodo præsumant;

Ac hujusmodi præbendas, ac dignitates, personatus, seu officia, post acceptationem prædictam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis eorumdem, singulas, videlicet, singulos, vel singula, singulis personis ipsis conferatis et etiam assignetis;

Inducentes per vos, vel alium, seu alios, personas ipsas, vel ipsarum procuratores, in præbendarum, ac dignitatum, seu personatuum, vel officiorum, ac jurium, et pertinentiarum ipsorum, corporalem possessionem;

Et defendentes inductas, ac facientes ipsas, vel dictos procuratores, pro eis, ad hujusmodi dignitates, personatus, seu officia, ut est moris, admitti, eisque, de ipsorum canonicatuum et præbendarum ac dignitatum personatuum vel officiorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus universis, integrè responderi; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo;

Non obstantibus de certo canonicorum numero, et aliis quibuscunque statutis, et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis, juramento, confirmatione apostolicâ, vel quacumque firmitate aliâ roboratis;

Aut si aliqui, apostolicâ vel aliâ quâvis auctoritate, in eisdem ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant;

Seu si super provisionibus, sibi faciendis, de canonicatibus et præbendis, ac dignitatibus, seu personatibus, vel officiis in dictis ecclesiis speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales, dictæ sedis, vel legatorum ejus, literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet, sit processum;

Quibus omnibus, præterquam auctoritate nostrâ, in ecclesiis ipsius receptis, vel præbendas, ac dignitates, personatus, vel officia expectantibus in eisdem, dictas personas, in assecutione præbendarum, ac dignitatum, vel personatuum, seu officiorum hujusmodi, volumus anteferri; sed nullum, per hoc, eis, quoad assecutionem præbendarum, ac dignitatum, vel personatuum, seu officiorum, et beneficiorum aliorum, præjudicium generari;

Aut si eisdem ordinariis, et capitulis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, à præfatâ sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneantur et ad id compelli;

Aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint;

Quodque de canonicatibus, et præbendis, ac dignitatibus, personatibus, vel officiis ipsarum ecclesiarum, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Et qualibet aliâ dictæ sedis indulgentiâ, generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impedire valeat quomodolibet vel differri, et de qua, cujusque toto tenore, habenda sit in nostris litteris mentio specialis;

Aut si dictæ personæ præsentes non fuerint ad præstandum, de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum, solitum juramentum, dummodo ipsæ, in earum absentiâ, per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud præstent;

Seu si quælibet dictarum personarum, unum, duo, aut tria beneficium, seu beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, etiam si ipsum unum, aut ipsorum duorum, vel trium, aliquod curatum, aut dignitas, vel personatus, seu officium fuerint, obtinere noscatur.

Volumus autem quod præfatæ personæ, quæ hujusmodi curata, beneficia, aut dignitates, vel personatus obtinebant, quamprimùm, vigore præsentium, dignitates, vel personatus, seu curata, officia, fuerint pacificè assecutæ, alia curata, beneficia, aut dignitates, vel personatus, quæ tunc obtinebunt, ut præfertur, quæque extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur.

Nostræ autem intentionis existit quod, si hodie alii, vel aliis, de canonicatibus ipsarum ecclesiarum, cum reservationibus præbendarum, ac dignitatum, personatuum, seu officiorum, providimus aut mandavimus provideri, præfatæ personæ, ut præmittitur, nominandæ illis, quibus hodiè providimus seu provideri mandavimus, ut præfertur, in assecutione præbendarum, ac dignitatum, personatuum, vel officiorum hujusmodi, præferantur.

Et insuper exnunc perindè irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari, ac si personæ prædictæ, die datæ præsentium, per ipsum Regem nominatæ fuissent.

Dat' Romæ apud Sanctum Petrum v. id. Maii, pontificatûs nostri anno primo.

T. de Nyem.

[*Sub filis cannabaceis.*]

De confirmatione pro Roberto de Nameur.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 5. m. 19. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus litteras patentes domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, in hæc verba.

EDWARDUS, DEI gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Constat nobis per inspectionem rotulorum cancellariæ nostræ, quod nos litteras nostras patentes fieri fecimus in hæc verba.

EDWARDUS, DEI gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Sciatis quod, intuitu homagii et fidelitatis quæ dilectus et fidelis noster Robertus de Nameur corporaliter nobis fecit, necnon boni servicii quod nobis promisit facere in futuro, concessimus eidem Roberto mille et ducentos florenos de scuto, vel valorem eorumdem in aliâ monetâ in regno nostro Angliæ communiter currente, percipiendos singulis annis sibi et hæredibus suis, consimile homagium et fidelitatem nobis et hæredibus nostris facientibus, de exitibus custumarum in portu civitatis nostræ London' per manus collectorum earumdem custumarum, qui pro tempore fuerint, ad terminos Sancti Michaelis et Paschæ per equales portiones; quousque eidem Roberto, vel hæredibus suis, de terris, tenementis, vel redditibus in loco competenti, ad valorem dictorum mille et ducentorum florenorum per annum, per nos vel hæredes nostros ordinatum fuerit et provisum.

In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes.

Dat' juxta Calesium primo die Julii anno regni nostri Angliæ vicesimo primo, regni verò nostri Franciæ octavo.

Nos autem, tenorem litterarum nostrarum prædictarum, ad requisitionem præfati Roberti, tenore præsentium, duximus exemplificandum; proviso tamen, quod idem Robertus dupplicem solutionem sive allocationem de dictis mille et ducentis florenis de scuto, vel valore eorumdem in aliâ monetâ, occasione exemplificationis litterarum nostrarum prædictarum, non percipiat quovismodo.

In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes.

Teste meipso apud Westm', duodecimo die Maii, anno regni nostri Angliæ quinquagesimo, regni verò nostri Franciæ tricesimo septimo.

NOS autem, *&c. ut supra.*

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Maii.

Per magnum concilium.

Pro archiepiscopo Cantuariensi, super adhærentiâ archidiaconi inimicis Regis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 8. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, considerantes guerram inter nos et adversarium nostrum Franciæ existentem, et quod Adomarus de la Roche, qui inimicis nostris Gallicis contra nos est adhærens, occupator archidiaconatûs Cantuariensis, infra regnum nostrum Angliæ existit, et quod nos inimicos nostros, de bonis et possessionibus dicti regni nostri, sustentari seu confortari contra nos permittere non debemus, de avisamento concilii nostri possessiones, proficua, et emolumenta, ad dictum archidiaconatum pertinentia, in manum nostram, occasione prædictâ, capi fecimus et seisiri;

Et de gratiâ nostrâ speciali, et propter affectionem quam habemus ad ecclesiam cathedralem et metropolitanam Cantuariensem, et citiùs causâ carissimi domini et patris nostri, qui in eadem jacet humatum, omnia prædicta possessiones, proficua, et emolumenta, quantum in nobis est, concessimus reverendo in CHRISTO patri Simoni archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, in auxilium magnæ operationis quam idem archiepiscopus, suis magnis sumptibus, super corpore ejusdem ecclesiæ fieri facit, habenda quamdiu dictas possessiones sic in manu nostrâ ex causâ prædictâ contigerit remanere, absque aliquo nobis reddendo pro possessionibus, proficuis, et emolumentis supradictis, sustentando competenter domos et ædificia dicti archidiaconatûs, ac omnia alia onera ad archidiaconatum prædictum incumbentia.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

Et mandatum est Johanni Brode de Smethe, escaetori Regis in comitatu Kantiæ, quod eidem archiepiscopo possessiones, proficua, et emolumenta prædicta, sine dilatione ex causâ prædictâ, liberet, habenda juxta tenorem literarum Regis prædictarum, à tempore captionis eorumdem in manum Regis, absque aliquo eidem Regi indè reddendo; vult enim Rex ipsum escaetorem, à tempore prædicto, indè erga ipsum exonerari.

Teste ut supra.

De proclamando quod quilibet aurifaber habeat proprium signum suum.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Claus. 2 Ric. II. m. 2. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kanciæ, salutem. Cum, inter cætera in parliamento nostro apud Westm', ultimo tento, ad petitionem communitatis regni nostri Angliæ, pro communi utilitate ejusdem regni, inita et concordata, ordinatum existat, quod quilibet aurifaber in regno prædicto habeat decætero unum certum et proprium signum suum, per se ad vasa argentea, exnunc per ipsum facienda, signanda;

Et si aliqua vasa argentea, facienda post festum Sancti Johannis Baptistæ proximò futurum, infra regnum nostrum prædictum signo aurifabri, qui ea fecit non signata, vel pejoris allaiæ quam sterlingus noster existat, infra idem regnum inventa fuerint, quod extunc idem aurifaber teneatur solvere parti versus ipsum querelanti duplicem valorem vasorum eorundem, et nichilominus pœnam imprisonamenti patiatur transgressor hujusmodi, et indè per finem redimatur, debito respectu habito ad quantitatem et qualitatem delicti;

Pro quâ quidem allaiâ debitè probandâ et assaiandâ, assignavimus certas personas sufficientes, tam in civitate nostrâ London' quam alibi, per totum regnum nostrum prædictum, quando necessè fuerit, et nobis videbitur expedire: et factâ hujusmodi assaiâ, eædem personæ per nos sic assignandæ, vasa illa per ipsos assaiata quodam alio signo nostro per nos ad hoc deputando, iterum consignent, in testimonium probationis et assaiæ indè factarum:

Tibi præcipimus, quod ordinationem prædictam, quam usque ad proximum parliamentum nostrum volumus durare, ut interim utilitas ejusdem debitè probari possit, in singulis civitatibus, burgis et aliis locis in ballivâ tuâ, ubi hujusmodi aurifabri moram trahunt, tam infra libertates quam extra, publicè proclamari et teneri facias in formâ prædictâ. Et hoc nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Junii.

Per ipsum Regem in parliamento.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam, sub eâdem datâ.

De billione auri et argenti usque Turrim London' deferendo.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, collectoribus tam parvæ quam magnæ custumæ suæ in portu civitatis suæ London', salutem.

Cum, inter cætera in parliamento nostro apud Westm' ultimo tento, ad petitionem communitatis regni nostri Angliæ, pro communi utilitate ejusdem regni, inita et concordata, ordinatum existat, pro monetâ auri et argenti infra regnum nostrum Angliæ ampliandâ, quod de qualibet libratâ pannorum de auro et de cerico, ac velaminum mulierum, necnon lapidum præciosorum et perræ, cæterorumque jocalium et pelluræ quorumcumque infra regnum nostrum Angliæ, post festum Sancti Johannis Baptistæ proximò futurum, adducendâ, de quâlibet librâ auri vel argenti per numerum proveniente de ultimâ venditione infra regnum nostrum prædictum faciendâ, de lanis, coriis et pellibus lanutis, extra idem regnum post festum prædictum traducendis, teneantur mercatores eorundem deferre ad Turrim nostram London' billionem auri vel argenti ad valorem duodecim sterlingorum, videlicet:

Prædicti mercatores pannorum, velaminum, lapidum, cæterorumque jocalium et pelluræ, pro eisdem pannis, velaminibus, lapidibus, jocalibus et pellurâ, infra dimidium anni proximum post adventum eorundem infra regnum nostrum prædictum, et pro lanis, coriis, et pellibus lanutis,

infra annum immediatè sequentem post eductionem eorundem extra regnum nostrum prædictum, magistro et custodi monetarum nostrarum in eâdem Turri, qui præfatis mercatoribus monetam nostram pro dictâ billione ibidem, prout justum fuerit, liberabunt tradendis;

Et, ut præmissa fideliter observentur, similiter ordinatum est, quod iidem mercatores inveniant sufficientem securitatem, coram custumariis portuum ubi ipsos dicta bona infra regnum nostrum adduci, vel ab eodem educi, continget; videlicet, iidem mercatores lanarum, coriorum et pellium prædictarum ante eductionem eorundem, et alii mercatores prædicti super eorum adventu cum prædictis bonis suis, infra regnum nostrum supradictum, prout in eâdem ordinatione plenius continetur:

Vobis præcipimus quod ordinationem prædictam, quam usque ad proximum parliamentum nostrum volumus durare, ut interim utilitas ejusdem debitè probari possit, ad notitiam omnium mercatorum prædictorum in portubus civitatis prædictæ pervenire, eandem ordinationem firmiter teneri et observari per vos et vestros faciatis, et securitatem hujusmodi de singulis mercatoribus prædictis de tempore in tempus, juxta formam ordinationis prædictæ, recipiatis.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Junii.

Per ipsum Regem in parliamento.

Consimilia brevia diriguntur collectoribus in portubus subscriptis sub eisdem formâ et datâ; videlicet,

Collectoribus, &c. in portu civitatis Exon'.

Collectoribus, &c. in portu villæ Bristoll'.

Collectoribus, &c. in portu civitatis Cicestr'.

Collectoribus, &c. in portu villæ de Lenn'.

Collectoribus, &c. in portu villæ Suth'.

Collectoribus, &c. in portu villæ de Melcombe.

Collectoribus, &c. in portu villæ Gippewici.

Collectoribus, &c. in portu villæ Magnæ Jernemuth.

Collectoribus, &c. in portu villæ de Kyngeston super Hull.

Collectoribus. &c. in portu villæ Sandewici.

Collectoribus, &c. in portu villæ Novi Castri super Tynam.

Collectoribus, &c. in portu villæ de Sancto Botulpho.

De cerâ renovandâ circa corpus Edwardi I. Regis Angliæ.

A. D. 1379 —An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et camerariis suis, salutem. Mandamus vobis quod ceram, existentem circa corpus celebris memoriæ domini E. nuper Regis Angliæ, filii Regis Henrici, progenitoris nostri, in ecclesiâ beati Petri Westmonasteriensis humatum, de denariis nostris renovari faciatis, prout hactenus fieri consuevit.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii.

De amplissimis, per terram et per mare, potestatibus Regi Castellæ commissis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

ROY, a touz ceux qi cestes lettres verront ou orront, salutz.

Savoir vous faisons que nous, confiantz pleinement de sen, loialte, et avisament de nostre trescher uncle Johan, par la mesme grace, Roi de Castelle et de Lyon, duc de Lancastre, lui avons fait et ordeigne, faisons et ordeignons, sibien sur le mere, come en nostre roialme de France, et en nostre seignurie d'Aquitaigne, et aillours es touz autres parties dela la mere, nostre lieutenant, chieftain principal et general, sibien des conestable et mareschal, come noz admiralx, qi pur le temps serront, counts, barons, capitaignes, chivalers, esquiers, gentz d'armes, et archiers, et autres de queconque natione, language, ou condition q'ils soient, presentes et a venir, sustenantz et meyntenantz la guerre en la querele quele nous avons devers nostre adversaire de France, ou ses adherantz ou aliez;

Donantz et commettantz a nostre dite uncle et lieutenant, par la teneure des presentes, auctorite et pleine poissance d'appeller et assemblir les conestable et mareschal, admiralx, qui pur le temps serront, counts, barouns, capitaignes, chivalers, et esquiers, gentz d'armes, archiers, et autres queconques desuz nomez;

Et ycelles amesner, ensemble, ou par parties, et governer, en quelconques lieux, sibien sur le meir come par terre, qant et tant souent qui bon luy semblera a l'expedition de noz guerrez;

De coriger, chastiger, et punir ycelles gentz, et chescun d'eux, sibien officers come autres, de quelconque estate ou condicion q'ils soient, selonc les excesses et desertes, et selonc la qualite du meffait et la condition des persones, soit il de lese mageste, ou d'autre crime ou meffait queconqes;

De excercer et faire excercer toutz maniers des jurisdictions hautes, moienes, et basses, soient ils de miere ou de mixt empire, sibien solonc les loies usez par miere come par terre, si avant come nous le purrons faire si nous feurons presentes;

De comander aussi, par touz les lieux avantditz, de faire les villes, citees, chasteaux, et forteresses estre bien maintenuz, et reparez, et tenuz en estate, et ycelles chasteux et forteresses estre aracz et abatuz, ou autres faire de novel, sicome bien li semblera por le profit et la quiete de nous, et de noz subgiz des parties avantditz;

Et outre ceo, de prendre et rescevoir, en noun de nous, et de nostre auctorite, a nostre paix, grace, obeissance, et subjection, toutes les citees, villes, burghs, chasteux, forteresses, et lieux des dites parties, et lour enhabitantz et demorantz quelconques, qi veulent, desore en apres, venir ou retourner a nostre paix, grace, obeissance, et subjection, et de lour demettre et pardoner, par agard de pitee et de misericorde, a touz jours, toutz manieres de malefices, trespas, exces, l'arcines, homicides, et touz aultres maniers dez crimes horribles, de treson ou de lese mageste, si faites et comises estoient, en general ou en especial, ou par quelconque cause;

Et aussi d'oster outrement et repeller toutz bannissementz et exiles, qu'ont este ou sont pronunciez ou publiez countre eux, ou ascun d'eux;

Et restabler et rendre a eux toutz lour biens, q'ils avoient ou ont forfait par cause des bannissementz et forfaitz avantditz;

Et, de tout, ouster note d'infamie et de diffame, et eux et chescun de eux de remettre a primer fame et estate, et a lour biens, lieux, et paiis, et aussi entierement come ils les avoient unques en ascun temps passe, ensemble ovesque lours privileges aunciens, tantz et tieles come ils estoient acustumez de user par devant resonablement, sicome meistier lour serra;

De doner, en heritage, ou a vie, ou a terme des ans, a ceux qi l'averont bien deserviz, a ceo qui luy semblera, villes, chasteulx, forteresses, terres, rentes, ovesque les homages, noblesces, jurisdictions, droitures, et toutz lour appartinantz aunciens;

Sauvant le droit de chescuny, qui li appartient par force de l'ordinance faitz sur le conqueste, mesque ycelles villes, chasteux, forteresses, terres, rentes, n'estoient auncienement de nostre propre demayne de patrimoigne roial;

De doner et presenter persones covenables as dignities, et offices, et quelconques benefices de seint esglise, vacantes, ou qui vageront en apres, tant es esglises cathedrales, collegiales, come autres quelconques, sivant come a nous partiendra, et faire le devons, pur le bon governement des benefices avantditz, et pur le maintenance de lour droitures, si que, par defaute de bon governement, les almes des parocheins ne perissent;

Et de prendre et resceivoir de noz subgitz dez dites parties d'outre mere, homage et serement de feaute, tiels come il appartient de mettre;

Et establier seneschalx, conestables, chauncellers, tresorers, comandeurs par noz chastelleines, capitaines, advocatz, procureurs, et touz autres officers et ministres qi par devant ne sont mys par nous, ou de nostre auctorite, en touz les lieux des ditz parties, qui a nostre dite uncle sembleront estre profitables pur le bon government des subgitz de parties avantditz;

Et des mesmes le ministres, ensi par li, ou par ascunes autres, sauf par nous ou de nostre auctorite, mys et establiz, remuer, ouster de lour office, et de mettre et establier autres en lieu d'eux, ou des mortz s'aucun y soyent, as gages et fees acustumez;

Et de faire et doner regard as mesmes les officers et ministres;

De commander a noz tresorer et resceivours celles parties de faire les payementz qui nostre dit uncle leur chargera, tant sovent qui a faire luy plerra;

Mandantz et comandantz a touz les auditours de noz accomptez, q'il facent deu alluance de touz les sumes qui paiez serront par les lettres ou mandementz de nostre uncle avantdit;

Et, outre ceo, de mettre et imposer contribucions et impositions, pur les guerrez sustenir, et a demander et requerer subsides et eides, par cause des guerrez, de touz les prelates, nobles, et comunes de citees et des villes des parties avantditz;

Et ycelles subsidez, impositions, et contributions lever et coiller;

De forger, battre, et de faire faire monie novele d'or et d'argent, et autres quelconqes, quant et si sovent qui bon luy semblera;

De nobiliter persones non nobles;

Et de legitimer, quant as heritages et touz autres choses, bastardes et touz autres, qi sont procurez hors de verroie matrimoigne;

Et de creer et faire tabillions et notaries, jusqes au noumbre covenable;

De doner lettres de sauve condit et sauvez gardez, ovesque noz baniers et penons, ove les soenes, quant a faire luy semblera;

De prendre treues, et de treter de paix et d'acord, ovesque noz

enemiez et rebellez, lours alliez et adherantz, de quelconque estate, condition, ou degree q'ils soient;

Et d'acorder et pacifier sur touz debates, contentions, et descordes;

Et ycelles treues, accord, paix, et tretez d'affermer et assentier, en noune de nous, par serement, foys, obligacions, et seuretes, pur avoir, avant la mayn, sur celle tretee de pees, l'accord et l'assent de nous et de nostre conseil;

De faire et doner, sur touz les remissions, pardonacions, restitutions, presentacions, collacions, donations, sauveconditz, sauvezgardez, privileges, et les autres choses avantditz, as prelats, nobles, et communealtez des cites et des villes, et autres singulers parsones quelconques, privileges, charteres, munimentz, et lettres, de souz son seal, les queux nous voillons avoir tant de vigeur et fermete come si eles fuissent seeles de nostre propre seal;

Et, audrein, de faire et expeder touz autres choses, necessaires ou covenables as choses avantditz, si come nous purrons mesmes faire si nous y fuissons en nostre propre parsone;

Maundauntz et commandantz as ditz conestable et mareschal, admiralx, as touz les prelats, nobles, et communaltes des citees, villes, chasteux, forteresses, et lieux, et a touz noz ministres, officers, et autres noz subgiz, de quelconque estate, condition, ou degree q'ils soient, sibien sur le mere come es parties d'outre mere avantditz, sur forfaiture de qant q'ils purront forfaire devers nous, q'ils et chescun d'eulx obeissent et entendent diligentement, sicome a chescun d'eux il appartiendra, ou ils ent serront requis, a nostre dit treschere uncle et lieutenant, et a ses commis et deputes, en faisant les choses avantditz et chescun d'ycelles.

Don' a Westm', le xii. jour de Juyn.

Per ipsum Regem.

De financiâ comitis de Sancto Paulo, prisonarii.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod cum dominus de Harville, Alardus de Harcourt, Hustinus de Sancto Mauricio, et Vincentius de Ginsy, Gallici, ad villam nostram Calesii, cum parte financiæ comitis de Sancto Paulo de Franciâ, prisonarii nostri, de licenciâ nostrâ sint venturi; nos, eorum securitati et salvationi volentes providere, suscepimus in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensionem nostram specialem, ipsos, dominum de Harville, Alardum, Hustinum et Vincentium, veniendo cum servientibus, equis, hernesiis, pecuniâ et aliis bonis suis ad dictam villam Calesii, per dominium et potestatem nostra, ibidem morando, et exindè liberè ad partes suas proprias redeundo; et ideò vobis mandamus quod eisdem, domino de Harville, &c.; et si quid, &c.

In cujus, &c. pro sex septimanis duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

De conductu, pro nuncio comitis de Sancto Paulo, prisonarii Regis.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Franc. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, eisdem, salutem. Sciatis quod Janekinus de Granmont armiger, Gallicus, ad partes Franciæ pro certis negociis tam deliberationem comitis de Sancto Paulo de Franciâ prisonarii nostri quam financiam suam tangentibus, de licenciâ nostrâ sit profecturus.

Nos volentes securitati et quieti ipsius Janekini providere, suscepimus in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensionem nostram specialem, ipsum Janekinum versus dictas partes Franciæ, cum uno famulo et duobus hakeneis, ac hernesiis et aliis bonis suis, per dominium et potestatem nostra quæcumque, tam per terram quam per mare transeundo, ibidem morando, et exindè versus villam nostram Calesii et versus præfatum comitem redeundo, et abindè ad partes Franciæ transeundo. Et ideo vobis mandamus, *&c. ut supra, mutatis mutandis.*

In cujus, &c. per idem tempus duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

Super defensione costerarum et villæ de Scardeburgh, contra inimicos Gallicos.

A. D. 1379. An. 2 Ric. II.

Pat. 2 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Thomæ de Percy admirallo nostro versus partes boriales, Thomæ Rust, Johanni Hesildene, Johanni Scardeburgh, et Roberto Rust de Blakeneye, salutem.

Supplicarunt nobis comunitates regni nostri Angliæ, in ultimo parliamento nostro, per petitionem suam, ut, cum Gallici inimici nostri, cum multitudine armatorum et vasorum de guerrâ, in partibus borialibus, et præcipuè versus costeram et villam de Scardeburgh, quæ super mare, aperta insultibus inimicorum nostrorum, periculosè est situata, continuè extiterint et existant, ac gentes ejusdem villæ, per captiones inimicorum et graves redemptiones, summam mille librarum attingentes, quæ infra duos annos elapsos solutæ fuerunt, sic sint quasi destructæ, et quamplures dictarum gentium in Bologne et aliis locis transmarinis in prisonâ detineantur, ita quod de finali destructione ejusdem villæ et costeræ adjacentis infra breve verisimiliter est timendum, nisi citiùs per nos indè remedium congruum apponatur, velimus, pro salvatione dictæ villæ et costeræ vicinæ, ac castri nostri ibidem, contra pericula hostium nostrorum certa vasa de guerrâ ordinare, supra mare, super costeris partium illarum, durante guerrâ, profectura;

Quia verò materia prædicta tam mercatoribus dictarum costerarum, qui parliamento illi interfuerunt, declarata fuit et ostensa, et de assensu, tam ipsorum mercatorum quam aliorum, qui mercandisas suas in marcheas illas sunt ducturi, ac per avisamentum dilectorum et fidelium nostrorum Henrici de Percy comitis Northumbriæ, et majoris civitatis nostræ Londoniæ, qui in dicto parliamento nostro, ad tractandum super negotio illo, pro oportuno remedio indè apponendo, assignati fuerunt, in eodem parliamento, pro custodiâ, salvatione, et defensione maris et costerarum admiratûs de la North, ordinatum et concessum extitit quod duæ naves, duæ bargeæ, et duæ balingeræ, munitæ et arraiatæ pro guerrâ, supra mare in admiratu prædicto proficiscentur, ad custus subscriptos, in formâ sequenti percipiendos; videlicet,

De qualibet navi et craierâ, cujuscumque fuerit portagii, quæ mare transierit infra dictum admiratum, eundo et redeundo, pro viagio, de quolibet tonne tight sex denarios;

Exceptis navibus carcatis cum vinis, et navibus carcatis cum mercandisis in Flandria, quæ apud Londoniam erunt frettatæ et discarcatæ, ac navibus carcatis cum lanis et pellibus apud Londoniam vel alibi infra dictum admiratum, quæ apud Calesium erunt discarcatæ, quas quidem naves custodes dicti maris absque locatione conducere non tenebuntur;

Item, de quolibet vase piscatrice, quod supra mare dicti admiratûs piscatur pro allece capiendo, cujuscumque portagii sit, in septimana, de quolibet tonne tight sex denarios;

Item, de aliis navibus et vasis piscatricibus, quæ piscantur circa alios pisces supra mare infra dictum admiratum, cujuscumque portagii sint, in tribus septimanis, de quolibet tonne tight sex denarios;

Item, de quibuscumque aliis navibus et vasis, mare transeuntibus infra dictum admiratum, carbonibus carcatis apud Novum Castrum super Tynam, cujuscumque sint portagii, in quarterio unius anni, de quolibet tonne tight sex denarios;

Item, de omnibus aliis navibus, craieris, et vasis, transeuntibus per mare infra dictum admiratum, carcatis cum bonis quorumcumque mercatorum in Pruciam, Norwey, vel Scone, seu in aliquem *alium* locum in dictis partibus transmarinis, pro viagio, eundo, de quolibet lasto grani sex denarios;

Nos, de fidelitate et circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, conjunctim et divisim, custodes dicti maris infra admiratum prædictum, ac ad dicta custus et subsidium, pro custodiâ, salvatione, et defensione maris et costerarum prædictarum, tam per terram quam per mare, per totum admiratum prædictum, levandum, colligendum, et percipiendum per supervisum et contrarotulationem supervisorum et contrarotulatorum subsidii et custuum prædictorum, quos ad hoc in civitatibus, villis, et portubus infra dictum admiratum, per litteras nostras patentes, assignavimus;

Et ad alios idoneos, in portubus totius admiratûs prædicti, ubi vobis meliùs expedire videbitur, ad dicta custus et subsidia, per hujusmodi supervisum et contrarotulationem, levandum et percipiendum, loco vestri substituendum et deputandum;

Et ad compotum, de denariis indè recipiendis, supervisoribus et contrarotulatoribus prædictis, fideliter reddendum; ita quod vos, seu deputati vestri, de denariis indè provenientibus, aliis quam dictis supervisoribus, computare non teneamini;

Et ideò vobis mandamus, firmiter injungentes, quod circa præmissa omnia et singula fideliter et diligenter intendatis, et ea faciatis et excerceatis in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, mercatoribus, magistris et marinariis navium, piscatoribus, ac quibuscumque aliis fidelibus nostris, totius admiratûs prædicti, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis, et deputatis vestris prædictis, et vestrûm cuilibet, in præmissis omnibus et singulis, intendentes sint, obedientes, et respondentes.

In cujus, &c. usque festum Sanctæ Katerinæ, proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Junii.

Per petitionem comunitatis in parliamento.

Pro duce Britanniæ, de theolonio non præstando.

A.D. 1379. An. 2 Ric. II.

Rot. Claus. 2 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis ad quos, &c. salutem.

Querelam carissimi fratris nostri Johannis ducis Britanniæ et comitis Richemundiæ recepimus, continentem quod, licet ipse et omnes homines et tenentes sui de comitatu Richemundiæ quieti esse debeant, idemque comes, et omnes alii comites Richemundiæ, et eorum homines et tenentes de comitatu prædicto, à tempore cujus contrarii memoria non existit, semper hactenus quieti esse consueverant de theolonio, pontagio, muragio, pavagio, passagio, lastagio, stallagio, kaiagio, et picagio, de bonis suis præstandis, per totum regnum nostrum Angliæ; idem tamen comes, ac homines et tenentes sui de comitatu prædicto, sæpius, ante hæc tempora, pro præstatione hujusmodi theolonii, pontagii, muragii, pavagii, passagii, lastagii, stallagii, kaiagii, et picagii, infra regnum nostrum prædictum, de bonis et rebus suis districti fuerunt, et indies distringuntur minus justè, in ipsius comitis dampnum non modicum et gravamen, et statûs hominum et tenentium suorum prædictorum oppressionem manifestam;

Super quo idem comes nobis humiliter supplicavit ut sibi, ac hominibus et tenentibus suis prædictis, de remedio congruo providere velimus;

Nos, nolentes ipsum comitem, aut homines et tenentes suos prædictos, indebitè onerari, vobis præcipimus quod, si præfatus comes ac homines et tenentes sui prædicti quieti esse debeant, idemque comes, et omnes alii comites prædicti, ac eorum homines et tenentes de comitatu prædicto, à tempore prædicto, semper hactenus quieti esse consueverint de hujusmodi theolonio, pontagio, muragio, pavagio, passagio, lastagio, stallagio, kaiagio, et picagio, de bonis suis præstandis, per totum regnum nostrum Angliæ, ut prædictum est, tunc hujusmodi districtionibus, eis de cætero inferendis, penitùs desistentes, præfatum comitem, ac homines et tenentes suos prædictos, de hujusmodi theolonio, pontagio, muragio, pavagio, passagio, lastagio, stallagio, kaiagio, et pikagio, vobis de bonis et rebus suis præstandis, quietos esse permittatis, prout indè quieti esse debent, idemque comes et omnes alii comites prædicti, et eorum homines et tenentes de comitatu prædicto, à tempore prædicto, semper hactenus rationabiliter quieti esse consueverunt.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Junii.

[*Et erat patens.*]

De intendendo cancellario universitatis Oxoniæ.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Claus. 3 Ric. II. m. 41. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Oxon', salutem. Quia intelleximus quod quidam malefactores et pacis nostræ perturbatores, tam scolares quam alii, pro transgressionibus et excessibus enormibus apud Oxon', ac infra metas et bundas universitatis ejusdem villæ, ante hæc tempora banniti, jam diversos malefactores et pacis nostræ perturbatores ad se attrahentes, et diversas alligationes et confœderationes illicitas facientes, in passibus, boscis, bimis, et quadrimis, ac aliis locis suspectis ibidem hominibus insidiantes, tam de nocte quam de die, vi armatâ vagantur et discurrunt, scolares ac alios verberantes et vulnerantes, et bona et catalla diversorum hominum capientes et asportantes, et alia mala quamplurima perpetrantes; ad quorum castigationem et punitionem cancellarius universitatis prædictæ non sufficit, nisi aliter ad hoc brachium seculare apponatur.

Nos, affectantes tranquillitatem et quietem scolarium universitatis prædictæ, et aliorum ad eandem villam confluentium, ac ibidem degentium conservari, et maliciæ dictorum malefactorum et bannitorum obviare, et ad punitionem eorumdem manum nostram volentes apponere adjutricem; tibi præcipimus, quod eidem cancellario ad insequendum, arestandum, et capiendum dictos malefactores et bannitos, cum per ipsum ex parte nostrâ fueris requisitus, intendens sis, consulens et auxilians, ut idem cancellarius hujusmodi malefactores sic arestatos, castigare et punire valeat. juxta libertates et privilegia universitatis prædictæ.

Taliter te habeas in hâc parte, quod non possis super aliquâ negligentiâ reprehendi, per quod materiam habeamus ad te graviter capiendi.

Teste Rege, apud Westm', xxv. die Junii.

Pro scolaribus collegii vocati La Quenhalle in universitate Oxon'.

A.D. 1379. An. 3 Ric. II.

Claus. 3 Ric. II. m. 41. in Turr. Lond.

REX, cancellario et procuratoribus universitatis suæ Oxon', salutem.

Cum nuper, pendente inter scolares collegii nostri vocati La Quenhalle Oxon', prolixâ lite coram nobis et concilio nostro, quidam scolarium prædictorum, in quibus postmodum defectus maximi reperiebantur, et qui eo prætextu à collegio prædicto sunt exclusi penitùs et amoti, cartas, libros, jocalia ac alia munimenta, necnon bona et catalla dicti collegii ceperunt, asportarunt et in diversis locis infra villam prædictam, ut à collegio prædicto pro perpetuo distrahantur, reposuerunt et impignorarunt, ut accepimus, in ipsius collegii subversionis et finalis destructionis periculum manifestum:

Nos, nolentes hujusmodi mala intollerabilia aliqualiter sustinere, vobis præcipimus firmiter injungentes quod, per sacramentum proborum et legalium hominum de villâ prædictâ, per quos rei veritas melius sciri poterit, ac aliis viis et modis quibus melius expedire videritis, diligenter inquiratis, ad quorum vel ad cujus manus prædicta cartæ, libri, jocalia, munimenta, bona, et catalla, per prædictos exclusos vel eorum aliquem devenerunt, et per quos vel quem, ubi, quo colore, qualiter et quo modo, et pro quantâ summâ impignorantur, et quæ et cujusmodi cartæ, libri, jocalia, munimenta, bona, et catalla illa fuerint, et eadem cartas, libros, jocalia, munimenta, bona, et catalla, ubicumque sive in quorumcumque manibus inveniri poterunt, arestetis, et ea salvo et securè, absque distractione vel elongatione eorumdem, custodiri faciatis:

Et nos in cancellariâ nostrâ de toto facto vestro in hac parte, sub sigillis vestris distinctè et apertè certificetis, de tempore in tempus indilatè, ut nos de avisamento concilii nostri provideri faciamus, prout consonum fuerit rationi.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Junii.

[*Et erat patens.*]

De navibus arestandis, pro passagio Johannis ducis Britanniæ et aliorum.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 27. in Turr. Lond.

RICARDUS, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Walterum de Leycestre servientem nostrum ad arma, ad omnia naves et vasa portagii viginti doliorum et ultra, in quibuscumque portubus et locis inveniri poterunt, inter pontem civitatis London' et villam Suthampton' et ibidem, in admiratu de la West, pro passagio dilecti et fidelis fratris nostri Johannis ducis Britanniæ et aliorum fidelium nostrorum, qui in obsequium nostrum ad partes Britanniæ profecturi sunt, arestandum, et eadem naves et vasa usque portum Southampton', cum omni celeritate

duci faciendum, prout eidem Waltero per concilium nostrum pleniùs est injunctum;

Ac ad tot marinarios, quot pro munitione eorumdem navium et vasorum indiguerit, in portubus et locis prædictis similiter arestandum et capiendum, et eos in navibus et vasis prædictis ponendum, in eisdem ad vadia nostra ad partes prædictas profecturos; et ad rebelles et contrarios in hac parte capiendum, et in prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm præcipimus, firmiter injungentes, quod eidem Waltero in præmissis omnibus et singulis intendentes sitis, consulentes, auxiliantes, et respondentes, quotiens et prout ipse vobis vel alicui vestrùm scire fecerit ex parte nostrâ.

In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes.

Teste meipso, apud Westm', xxx. die Junii, anno regni nostri tertio.

Per concilium.

Eodem modo assignantur subscripti ad hujusmodi naves et vasa in portubus et locis subscriptis arestandum, et usque dictum portum South't' duci faciendum, sub eadem data; videlicet,

Johannes Staple, serviens Regis ad arma, inter portum London' et villam de Lenn, et ibidem in admiratu de la North.

Thomas Sayvill et Johannes Orewell, servientes Regis ad arma, conjunctim et divisim, inter villam de Lenne et villam Berewici super Twedam in admiratu prædicto.

Walterus Haule et Thomas Credy, servientes Regis ad arma, conjunctim et divisim, inter villam Southampton et villam de Westchestre et ibidem.

Willielmus Lyly, serviens Regis ad arma, ad omnia naves et vasa in quibuscumque portubus et locis in Wallia.

De recipiendo partem financiæ comitis de Sancto Paulo.

A. D. 1379.
An. 3 Ric. II.

Rot. Franc.
3 Ric. II. m. 27.
in Turr. Lond.

REX, dilectis* et fidelibus suis Roberto Rous et Bernardo Brocas, militibus, et magistro Johanni de Cottesford legum doctori, salutem.

Sciatis quod, cum Walerandus comes de Sancto Paulo prisonarius noster, nobis in centum milibus francorum auri, quorum quilibet duo franci unum nobilem auri monetæ nostræ Angliæ plenè valent, pro financiâ suâ teneatur, idemque comes dicta centum milia francorum valoris prædicti certis futuris terminis nobis ex causâ prædictâ fideliter solvere promiserit;

Nos, de fidelitate et circumspectione vestris plenius confidentes, assignavimus vos et duos vestrûm ad quinquaginta milia francorum auri dicti valoris, vel si singuli duo franci, de auro vobis sic solvendo valorem unius nobilis auri monetæ nostræ Angliæ non attingant, tunc ad tot francos vel aliam monetam auri, quot et qui vel quæ ad verum valorem dictorum quinquaginta milium francorum, valoris, videlicet, quorumlibet duorum francorum unius nobilis monetæ nostræ, ut prædictum est, attingere poterunt, seu poterit, de præfato comite, vel deputatis aut amicis suis, in partem satisfactionis prædictæ integræ summæ, nomine nostro, recipiendum, ulteriusque de dictâ monetâ faciendum prout per alias litteras nostras sub privato sigillo nostro vobis dabimus in mandatis;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et expleatis in formâ prædictâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Julii.

De proventibus beneficiorum, quæ cardinales, Papæ rebelles, occupant, disponendis.

A. D. 1379.
An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II.
p. 1. m. 39.
in Turr. Lond.

REX, universis et singulis prælatis, viris religiosis, ac aliis personis ecclesiasticis, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis suis, ad quos, &c. salutem.

Fidei zelus et piæ devotionis sinceritas, quibus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ac sanctissimo patri et domino, domino Urbano, dignâ Dei providentiâ, ipsius Romanæ ac universalis ecclesiæ Summo Pontifici, vero Christi vicario, ardenti afficimur desiderio, nos inducunt ut eidem, circa fluctuantis Petri naviculæ regimen, hiis præsertim procellosis temporibus, insudanti, favoris præsidia partiamur.

Nuper siquidem, in parliamento nostro generali, apud Gloucestriam celebrato, fructus, redditus, et proventus quorumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, ecclesiarum parochialium, canonicatuumque, et præbendarum, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quocumque nomine vel titulo censeantur, infra regnum et dominia nostra existentium, per Gallicos, seu aliter adversario nostro Franciæ quomodolibet adhærentes, quomodocumque occupatorum, de consilio et avisamento procerum regni nostri, et prout progenitores nostri, claræ memoriæ, durantibus guerris facere consueverunt, ad manus nostras posuimus, nostroque ærrario fiscali jussimus applicari;

Set deindè, per aliquos nuncios seu ambassatores nostros, ad nos, de præsentiâ sanctissimi patris prædicti, redeuntes, literas seu bullas apostolicas recepimus continentes, quod duas partes fructuum, redditTuum, et proventuum beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales sibi rebelles occupatorum, cameræ suæ apostolicæ, propter ipsius indigentias, tertiam verò partem reparationibus beneficiorum eorumdem, reparatione indigentium, optavit et voluit applicari;

Nos verò, ipsius sanctissimi patris indigentias et sumptus, quos propter defensionem fidei ac statûs sui ipsum indies oportebit impendere, in piæ considerationis examine revolventes;

Licet omnia bona ipsorum Gallicorum, seu aliàs adversario nostro Franciæ quomodolibet adhærentium, sicuti constat ipsos olim cardinales Gallicos et Limovicensem, qui jam dicto sanctissimo patri de facto rebellantur, eidem notoriè adhærere et hactenus adhæsisse, infra regnum et dominia nostra existentia, nobis sint, de lege ipsius regni nostri, notoriè confiscata;

Volentes tamen eidem sanctissimo patri, etiam nostris agris sitientibus, in tanto necessitatis articulo, subvenire;

Volumus, et de gratiâ nostrâ speciali concedimus, ut collector, qui, pro parte ipsius sanctissimi patris, in regno nostro Angliæ fuerit pro tempore, de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales eidem sanctissimo patri rebelles, etiam si puri Gallici, vel aliàs dicto adversario Franciæ adhærentes, extiterunt, occupatorum, absque impedimento nostri, officialium vel ministrorum nostrorum quorumcumque, ad usum et utilitatem ipsius sanctissimi patris et reparationum prædictarum, liberè disponere valeat in formâ nobis in dictis literis apostolicis expressatâ;

Reservato nobis, seu deputandis per nos, supervisu et ordinatione ipsarum reparationum, quas nullo modo volumus prætermitti:

Quocirca vobis omnibus et singulis, ac vestrûm cuilibet, præcipimus et mandamus quatinus, discretum virum Cosmatum Gentilis, ipsius sanctissimi patris capellanum et collectorem, per ipsum in regno nostro Angliæ jam noviter deputatum, de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi quorumcumque, olim cardinalium rebellium, absque impedimento vestro, vel alicujus vestrûm, seu aliorum quorumcumque officialium vel ministrorum nostrorum, usque ad tempus inferiùs limitatum, adeò liberè, per se et alios, ad usum cameræ sanctissimi patris prædicti disponere, ipsosque fructus levare et exigere, in formâ superiùs limitatâ, absque contradictione qualibet permittatis, sicuti dicti olim cardinales rebelles, tempore firmæ pacis inter nos et adversarium nostrum Franciæ, disponere consueverunt, mandato seu mandatis contrariis, per nos prius factis, non obstantibus quibuscumque;

Volumus autem quod hæc nostra gratiosa concessio, quam futuris temporibus ad consequentiam trahi nolumus, à tempore rebellionis hujusmodi, usque ad festum Sancti Michaelis, quod erit anno Domini millesimo tricentesimo octogesimo, et non ultra, robur optineat firmitatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

De acquietanciâ pro comite de Sancto Paulo.

A. D. 1379.
An. 3 Ric. II.

Rot. Franc.
3 Ric. II. m. 27.
in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Notum vobis facimus per præsentes nos recepisse et habuisse per manus dilectorum et fidelium nostrorum Roberti Rous et Bernardi Brocas, militum, et magistri Johannis de Cottesford legum doctoris, quinquaginta milia francorum auri, valoris quorumlibet duorum francorum unius nobilis auri, monetæ nostræ Angliæ, de Walerando comite de Sancto Paulo, in partem satisfactionis centum milium francorum auri, valoris singulorum duorum francorum unius nobilis, ut prædictum est, in quibus dictus comes pro financiâ suâ nobis tenetur et obligatur: de quibus quidem quinquaginta milibus francorum, valoris supradicti, in partem satisfactionis dictæ integræ summæ, prædictum comitem quietamus per præsentes.

Dat' per testimonium magni sigilli nostri, in palacio nostro Westm', vii. die Julii.

Per concilium.

De tractando cum duce et aliis dominis de Britannia.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II. — Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 26. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Thomæ de Percy, consanguineo nostro, Hugoni de Calvyley, admirallis nostris, Richardo de Abberbury militi cameræ nostræ, et magistro Waltero de Skirlawe decretorum doctori, decano liberæ capellæ nostræ Sancti Martini Magni Londoniæ, salutem.

De vestris fidelitate, industriâ, et discretione providis pleniùs confidentes, ad tractandum, ordinandum, et concordandum cum prælatis, baronibus, nobilibus, et communitatibus ducatûs Britanniæ, super quibusdam ligis, confœderationibus, et amicitiis, inter nos, regna et dominia nostra, ex parte unâ, et carissimum fratrem nostrum Johannem ducem Britanniæ, ac ipsos prælatos, barones, nobiles, et communitates prædicti ducatûs, ex alterâ, faciendis, ordinandis, et ineundis, et jam inter nos et dictum fratrem nostrum aliquantulum prælocutis;

Ipsasque ligas, confœderationes, et amicitias, postquam tractatæ et concordatæ fuerint, tam pœnis temporalibus quam juramentorum præstationibus, et aliis cautionibus et securitatibus idoneis et sufficientibus, firmandum et emologandum;

Super præmissis ligis, confœderationibus et amicitiis, pro parte nostrâ, inviolabiliter observandis, in animam nostram jurandum;

Obligationes, cautiones, et alias securitates quascumque, ac etiam sacramentum seu juramentum quodcumque licitum, à dicto fratre nostro, prælatis, baronibus, nobilibus, et aliis comunitatibus ipsius ducatûs sui, requirendum, petendum, recipiendum, et admittendum;

Ipsasque ligas, confœderationes, et amicitias in scriptis redigendum et approbandum;

Sigillisque dictorum ducis, baronum, nobilium, et comunitatum consignari, et vobis realiter tradi et assignari petendum;

Ac securitatem quamcumque, licitam et honestam, de literis nostris consimilibus eisdem in eventu liberandis et transmittendis, nomine nostro, eisdem faciendum et promittendum;

Omniaque alia et singula faciendum, gerendum, et excercendum, et expediendum quæ circa præmissa, et ea quomodolibet concernentia, necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant quomodocumque speciale, et quæ nosmet circa præmissa facere possemus, si ibidem personaliter præsentes essemus;

Vos, tres aut duos vestrûm, commissarios, procuratores, negotiorum gestores, ambassatores, et nuncios nostros speciales facimus, constituimus, et, tenore præsentium, deputamus;

Vobis, tribus aut duobus vestrûm, vices nostras in præmissis plenariè committentes;

Ratum, firmum, et gratum, pro nobis et hæredibus nostris, perpetuò habituri quicquid per vos, tres aut duos vestrûm, actum, gestum, et concordatum fuerit in præmissis, et quolibet præmissorum.

Dat' in palatio nostro Westm', ix. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

REX, eisdem, salutem. De vestris fidelitate, industriâ, et discretione providis pleniùs confidentes;

Ad tractandum et concordandum cum carissimo fratre nostro Johanne duce Britanniæ, necnon cum prælatis, baronibus, nobilibus, et comunitatibus ducatûs sui Britanniæ, super quibusdam ligis, amicitiis, et confœderationibus, inter nos, regna et dominia nostra, ex parte unâ, et prædictum fratrem nostrum, prælatos, barones, nobiles, et comunitates ducatûs sui prædicti ex alterâ, faciendis, ordinandis, et ineundis;

Ipsasque ligas, confœderationes, et amicitias, postquam tractatæ et concordatæ fuerint, *&c. ut supra, mutatis mutandis.*

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

Forma liberationis Walerandi comitis de Sancto Paulo.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II. — Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 25. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Roberto Rous et Bernardo Brocas, militibus, et magistro Johanni Cottesford legum doctori, salutem.

De vestris fidelitate et industriâ providis pleniùs confidentes, ad personam Walerandi comitis de Sancto Paulo, prisonarii nostri, à prisonâ suâ, vice et nomine nostro, deliberandum et penitùs exonerandum, vobis, et duobus vestrûm, damus et committimus plenam, tenore præsentium, potestatem, super modo et formâ conditionum, per nos et concilium nostrum tractatarum et concordatarum, in forma subscripta sequentium;

Primo, videlicet, quod prædictus comes solvat, ante recessum suum à Calesio, quinquaginta milia francorum auri, quolibet franco valoris dimidii nobilis de monetâ nostrâ Angliæ; undè vos, de gratiâ nostrâ, liberabitis, de præstito, præfato comiti octo milia francorum valoris prædicti, ad festum Paschæ, proximò futurum, nobis resolvenda.

Et prædictus comes obligabit se, juxta conventiones, vobis per dictum concilium nostrum ostensas, tam pro dictis octo milibus francorum, eidem comiti sic accomodandis, nobis ad dictum festum Paschæ solvendis, quam pro aliis quinquaginta milibus francorum auri, dicti valoris, ad festa Natalis Domini et Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, proximò futura, per æquales portiones, apud Calesium vel Londoniam solvendis.

Et, pro majori securitate solutionis summarum prædictarum, idem comes, ante recessum suum à Calesio, liberabit et dimittet vobis, ex parte nostrâ, Petrum de Lussenburgh, fratrem ipsius comitis, ad morandum in hostagio, pro securitate solutionis summarum illarum, quousque nobis, tam de dictis octo milibus francorum auri, dicti valoris, sic accommodandis, quam de dictis quinquaginta milibus francorum auri, ejusdem valoris, in formâ prædictâ, plenè fuerit satisfactum.

Ratum, gratum, et firmum perpetuò habituri quicquid per vos, vel duos vestrûm, super deliberatione personæ dicti comitis à prisonâ suâ, super conditionibus prædictis, actum et gestum fuerit in præmissis.

Dat' sub testimonio magni sigilli nostri in palatio nostro Westm', xii. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

De conventionibus super liberatione antedictâ; et de maritagio comitis cum dominâ de Courtenay.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II. — Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

CESTE endenture, faite parentre nostre trespuissent seignur Richard Roy d'Engleterre et de France, d'une part, et li nobles homs monsieur Walrand de Lussenbourgh comte de Seint Poul, prisoner de nostre dit seigneur le Roy, d'autre part, tesmoigne que, entre nostre dit seigneur le Roy et son conseil et le dit comte, sont acordees les choses que s'ensuient; c'estassavoir,

Que le dit comte paiera a nostre dit seigneur le Roy, ou a ses deputez, ou assignez, ou cause aianz de li, cent milles francs d'or, les deux valanz un noble d'Engleterre, pur sa finance et rampson: dont il paiera les cynquante milles francs, tielx come desus, ou la vraie valus, dedeinz quinze jours apres que le dit comte serra venuz a Caleys en sa propre persone: et, pur les autres cynquante milles, le dit comte obligera lui mesmes, et ses terres et seignuries en Flandres et en l'empire, si forment come le conseil de nostre dit seigneur le Roy savera deviser, a les paier, la moytee a la Noel, et l'autre moytee a la Nativite de Seint Jehan le Baptistre, prochein venang, en la ville de Caleys ou Londres: et, en outre, pur seurtee du dit paiement, le dit comte mettra Piers de Lussenbourgh, son puisnee frere, en hostage, a demorer la ou nostre dit seigneur le Roy lui volra assigner, tanque yceux cynquante milles francs d'arieres soient paiez; des queux nostre dit seigneur le Roy a grantez a monsieur Thomas de Felton, en certeine forme, trente milles francs.

Item, le dit comte a promys a faire prendre le chastel et la ville Guyse, dedeinz cynquante jours procheins apres son departir de Caleys, quant il aila fait son primer paiement come desus: et a faire garder les ditz chastel et ville, a ses propres coustages et despenses, par le primer demy an apres la dite prise, parensi que nostre dit seigneur le Roy lui ottrie les profitz surdantz des ditz chastel et ville, et des rampsons que serront gaignez et levez, ove l'eide de DIEU, par conscience des gentz que serront es ditz chastel et ville, tant come le dit comte portein ensi la charge de la dite garde: et yceux chastel et ville, ensi pris, le dit comte ad promis que, a quele heure q'il en serra par nostre dit seigneur le Roy requis par ses lettres, dedeinz le dit demy an, ou apres, il deliverra, ou ferra deliverer, les ditz chastel et ville, vitaillez le plus suffisantment q'il purra a son loial poair, a celui, ou a ceux, quique nostre dit seigneur le Roy ordenera a les recevoir en son noun, pur demorer a nostre dit seigneur le Roy a touz jours: et en cas que, apres que le dit comte avera mys coustages sur la dite garde, plerra a nostre dit seigneur le Roy prendre les ditz chastel et ville hors de la mayn du dit comte, et les bailler a autres persones a garder, adonqes nostre dit seigneur le Roy serra tenuz de paier au dit comte les coustages qu'il avera mys sur la dite garder; rebatant ce que le dit comte avera receu des profiz et rampsons avantditz: et, en cas que le dit comte faille a deliverer les ditz chastel et ville de Guyse, come dessus, il serra tenuz, et ad promis, a bailler son chastel de Bolieyn, quant il en serra par nostre dit seigneur le Roy requis par ses lettres, a tielx come nostre dit seigneur le Roy volra ordener, pur demorer en la main de nostre dit seigneur le Roy, tanque les avantditz cynquante milles francs d'arieres soient paiez; et averra le dit comte la charge

des freez et coustages de la garde du dit chastel de Bolieyn, par le primer demy an apres la dite liveree, et les ditz coustages paiera a ceux qui nostre dit seigneur le Roy lui mandera par ses lettres.

Item, pur le marriage, a faire entre le dit comte et madame de Courtenay, le dit comte ferra les choses que ensuyent,

Primerement, il ferra homage lige a nostre dit seigneur le Roy, et lui servira contre toutes gentz que purront viure et morir, et susrendra au Roy Franceoys son homage et ce q'il tient de lui.

Item, il mettra en l'obeissance de nostre dit seigneur le Roy touz les chastelx, villes, et forteresses, que le dit comte a en le royaume de France, et les gardera et tendra en la vraie obeissance de nostre dit seigneur le Roy, et hors d'yceux ferra et portera tout le grief et damage q'il purra, a tout son poair, a les enemys de nostre dit seigneur le Roy en dit royaume de France, tant come les guerres dureront parentre les royaumes d'Engleterre et de France.

Item, que touz les liges et subgiz de nostre dit seigneur le Roy, gentz d'armes, et autres d'array, toutes les foiz q'ils y vendront, serront en les chastelx, villes, et forteresses du dit comte, et en chesceun d'yceux, franchement et amiablement requilliz :

Et en mesmes les chastelx, villes, et forteresses, et hors d'yceux, selonc ce que mestir averont, en confortez et refreschez de vivres et autres choses, que leur busoigneront, en paiant resonablement pur leur ditz vivres, et autres necessaires q'ils prendront: et en purront departir eux, et touz leur biens queconqes, quant il leur plerra, sanz destourbance ou empeschement.

Et aussi, en cas que nostre dit seigneur le Roy velra envoier aucunes gentz d'armes et archiers, pur demorer en avenuz des ditz chastelx, villes, et forteresses, pur guerroier hors d'yceux ses ditz enemys, le dit comte serra tenuz a faire recevoir et loger, bien et suffisantment, les ditz gentz d'armes et archiers en ses ditz chastelz, villes, et forteresses, si avant come le lieu ou lieux, as queux ils serront ensi envoiez, purront covenablement suffire, outre les gentz et soldeours devers le dit comte demorantz es ditz lieux, et a les soeffrir demorer en yceux, par la dite cause, toutes les foiz que a nostre dit seigneur le Roy plerra; sauvant toutdys au dit comte la sourtee de ses ditz chasteux, villes, et forteresses, et que les dites gentz, qui ensi serront envoiez, ne facent prejudice au dit comte, ne as capitains et soldeours, devers lui demorantz, en ses ditz chastelx, villes, et forteresses ; et sauvant aussi q'ils ne facent damage ne destruction as hommes et tenantz du dit comte, a lui obeissantz.

Item, le dit comte ne departira de Caleys, pur estre a large, tanque il avera paiez les primers cinquante milles francs, ou la value, come desus: et fait ses obligacions pur le paiement des d'ariers cynquante milles francs, a paier as certines jours susditz: et baillez son frere, a demorer en hostage, en la maniere susdite; et, cestes choses faites, il irra la ou lui plerra, per parfournir q'il a promys.

Item, le dit comte enfeffera ma dite dame de Courtenay en deux milles marchees de terre et de rente en Flandres et en Chambresiz, avoir a elle et a les heirs de lur deux corps issantz:

Et, en cas que le dit comte devie sanz heir procreez de ma dite dame, adonqes l'une des dites deux milles marchees de terre et de rente revieigne a elle, et a les heirs du corps de elle procreez ; et la reversion, pur defaute de issus de elle, a nostre dit seigneur le Roy, et a ses heirs et assignez, a touz jours;

Et les autres milles marchees a elle, a terme de sa vie, outre tout ce que elle purra demander de droit, pur sa doans, sur toutes les autres terres du dit comte;

Et, en cas que le dit comte purra, par eschange, ou par autre voie purchacer aucunes terres ou rentes en Engleterre, il promette et serra tenuz a mettre son loial poair a ce faire jusques a les milles marchees de terre, que ma dite dame averoit en heritage come desus, ou au plus q'il en purra, et d'enfeffer ma dite dame en ce q'il purra ensi purchacer en Engleterre, jusqes a la dite some, avoir a elle et as heirs de elle procrees, come dit est ; et la reversion a nostre dit seigneur le Roy, et a ses heirs Roys d'Engleterre a touz jours, pur defaute de issus de elle, come desus ; et que tant soit rebatuz de les milles marchees, en queles elle serroit enfeffee, en heritage en Flandres ou en Cambresiz, come desus est dit.

Item, si aucuns des ditz chastelx, villes, et forteresses du dit comte, ensi a liverer par mesme le comte, et a mettre en l'obeissance de nostre dit seigneur le Roy, come desus, soient apres assiegez par les enemys de nostre dit seigneur le Roy, en ce cas nostre dit seigneur le Roy eidera a les rescoure, come sils estient les siens propres:

Et ou cas que le dit comte faile d'acomplir ce q'il a promis, touchant les avantduz chastel et ville de Guyse, ou le dit chastel de Bolieny, come desus, ou des paiementz faire des ditz d'arieres cynquante milles francs, en la maniere susdite, a promys et serra tenuz le dit comte a retournre et rendre son corps ariere a nostre dit seigneur le Roy, en la Tour de Londres, dedeinz quarante jours procheins ensuantz le terme q'il avera ensi failliz, a y demorer, a la volunte de nostre dit seigneur le Roy, tanque il ait fait gree a nostre dit seigneur le Roy des ditz paiementz, et des damages et despenses que nostre dit seigneur le Roy avera sustenuz par la dite cause.

A toutes les queles choses avandites, et chescune d'ycelles, tenir fermement et acomplir, mesme le conte, pur sa partie, de sa certeigne science et franche volunte, sanz creinte ou artacion de nulluy, oblige, par ces presentes, soi, ses heirs et executours, et touz ses terres, seignuries, et heritages, et touz ses biens, moebles et non moebles, presentz et a venir, qu'en part q'ils purront estre trovez;

Et, an outre, a promys, par le foy de son corps, plevie en la main de monsieur William de Beauchamp, chamberloin du Roy, et en la foy q'il doit a chivalrie, et aussi a jurez sur les Seintz Evanglies, par lui touchez, q'il tendra et complira toutes les dites choses, ensi accordees, et chescune d'ycelles, en touz pointz, en la maniere a desus est dit, sanz james faire ne venir a l'encontre en aucune maniere, sicome en instrument public, en fait a la requeste du dit comte, est plus a plein contenuz;

En tesmoignance de quele chose a la partie de ceste endenture, demorante devers nostre dit seigneur le Roy, le dit comte a mys son seal.

Don' a Londres, le xviii. jour de Juyl, l'an de Grace milles trois centz septante et noef, et du regne de nostre dit seigneur le Roy tierz.

EGO, je Johan de Vouland, clerc de la diocise de Kardoyl, par autorite del' apostol notaire public, as toutes les choses comprises en ceste endenture, come desus sont escrites, et par moy notaire devantdit en presence du dit nobles houms mounsieur Walrand de Lussenburgh conte de Seint Poul d'une part, et sire Johan Fordham gardein du prive seal, monsieur Robert Rous chivaler, et mestre Johan Codford doctour en loys, en noun de nostre dit seigneur le Roy, d'autre part, l'an del' Incarnacion nostre SEIGNEUR, selonc le course et acont del' eglise d'Engleterre milles trois centz septan et neof, l'endicion second, le pontificat de nostre tresseint piere le Pape Urban sisme l'an second, le xviii. jour du moys de Juyl, en une chambre deinz la mansion pur le temps le dit sire Johan Fordham, en la suburbe et diocise de Londres, overtement luez et publiez, ensemblement ovesque les honorables hommes et sages, sire William de Dighton, et sire Johan Wenlyngburgh, tesmoignez priez especialment par meismes les parties as choses susdites, estoi present, et meismes les choses ay veue et oye ensi estre faites, et moy an souzescrit, et mon signe et noun acustumez ay mis a ses presentz, comande et requis par les dites parties, en foy et tesmoignance de toutes les choses susdites.

De potestate tractandi cum duce Juliacensi.

A. D. 1379.
An. 3 Ric. II.

Rot. Franc.
3 Ric. II. m. 25.
in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate, industriâ, et discretione providis dilectorum et fidelium nostrorum Canonis Robersart chivaler, et magistri Johannis Cotesford legum doctoris, pleniùs confidentes, de consensu et avisamento concilii nostri, ipsos Canonem et Johannem nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ad tractandum et concordandum cum carissimo consanguineo nostro Willielmo duce de Julers et de Gellere, seu ejus in hac parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso duce habentibus, super homagio, et aliis servitiis et auxiliis, nobis per ipsum ducem faciendis, ac quibusdam aliis materiis et contractibus, ipsis Canoni et Johanni, per nos et concilium nostrum specialiter injunctis, ordinamus, facimus, et constituimus per præsentes ;

Dantes et concedentes eisdem Canoni et Johanni potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis et nostrâ parte, præmissa omnia et singula tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi ;

Et, ea, cum tractata, concordata, facta, et expedita fuerint, firmandi, vallandi, et omnia alia excercendi quæ circa præmissa necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant majus speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid iidem Canon et Johannes, nomine nostro, fecerint in præmissis, seu aliquo præmissorum.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', xx. die Julii.

Per ipsum Regem et concilium.

De resistendo inimicis Regis.

A.D. 1379.
An. 3 Ric. II.

Rot. Franc.
3 Ric. II. m. 24.
in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli nostro Canono Robersart, salutem.

Satis est vobis cognitum qualiter inimici nostri regnum nostrum, ac ligeos nostros, et linguam nostram totaliter pro viribus destruere et adnichilare intendunt et conantur;

Nos, eâ de causâ necessariò compulsi eorum maliciæ ubilibet obviare, et regnum, ac ligeos et subditos nostros, prout nostræ regiæ convenit majestati, in prosperis manutenere cupientes, ut tenemur;

Vobis, de cujus probitate confidimus, in fide et homagio quibus nobis tenemini, districtiùs quo poterimus, firmiter injungimus et mandamus, quatinus circa inimicorum nostrorum prædictorum debella-

tionem, ac castrorum, bonorum et catallorum suorum per arsuras et obsidiones, ac aliis viis et modis quibus melius expedire videritis, destructionem, cum omni diligentiâ diligenter intendatis, et eisdem inimicis nostris, quantum vos et ordinem vestrum, juxta fidem et homagium vestra nobis præstita, concernunt, et concernere poterunt, fideliter resistatis, et eos omnibus aliis viis et modis possibilibus gravari, destrui et adnullari faciatis; taliter vos habentes erga nos et nostros subditos in hac parte, ut condignam materiam habeamus vos pro vestris meritis præmiare.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Julii.

De conventionibus, per comitem de Sancto Paulo ratificatis.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II. Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

IN Dei nomine, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter quod, anno ab incarnatione Domini, secundum cursum et computationem ecclesiæ Anglicanæ, millesimo trescentesimo septuagesimo nono, indictione secundâ, pontificatûs sanctissimi in Christo patris, et domini nostri domini Urbani, divinâ providentiâ, Papæ sexti, anno secundo, mensis Augusti die xxii., in nostrûm, notariorum publicorum et testium subscriptorum, præsentiâ, apud Brugges, in quodam hospitio Petri Cotellarii, vulgariter nuncupato le Prate, Toronensi diœcese, personaliter constitutus, nobilis vir, dominus Walrandus de Lusshenburgh comes de Sancto Paulo;

Non vi, non dolo, nec metu ad hoc inductus, set suâ purâ, merâ, et spontaneâ voluntate, tanquam benè advisatus et digestus, præhabito maturo consilio, et pensatâ in hoc grandi utilitate suâ, ut asseruit;

Pacta, conventiones, et juramenta quæcumque, et potissimè omnes obligationes et instrumenta, facta cameræ apostolicæ, de quibuscumque pecuniarum summis, solvendis Calesii, vel alibi, dominis Richardo Scrop cancellario Angliæ, et Willielmo Beauchamp camerario illustrissimi domini Regis Angliæ, in terminis, modo, et formâ, in eisdem obligationibus, pactis, conventionibus, seu instrumentis contentis, quæ omnia hic voluit habere pro expressis, ut asseruit, ratificavit, confirmavit, et approbavit, ac renovavit, et se ipsum, per præsens publicum instrumentum, modo et formâ consimilibus, iterato obligavit;

Jurans, ad sancta Dei Evangelia, per ipsum corporaliter tacta, ac etiam in manum Roberti Rous militis fidem dedit, omnes obligationes, et instrumenta, conventiones, seu pacta, facta Calesii vel alibi, fideliter observare, et non de contraveniendo dictis conventionibus, obligationibus, instrumentis, seu pactis, per se, vel submissam personam tacite vel expressè;

Et voluit quod, si contingat eum contravenire dictis obligationibus, instrumentis, conventionibus, juramentis, seu pactis, in parte vel in toto, reputari pro felono et infami, ac arma sua reversari, ac omnes alias pœnas incurrere quæ in dictis obligationibus et instrumentis, Calesii factis, continentur, tanquam si singulæ pœnæ realiter forent expressatæ;

Aliis obligationibus quibuscumque in suo robore duraturis;

Et voluit etiam idem comes per nos, notarios infrascriptos, quotienscumque per dictos creditores, seu eorum procuratores, nuncios, aut attornatos, fuerimus requisiti, unum vel pluria, super præmissis, fieri publica instrumenta, ac etiam de data et loco suprascriptis, si oporteat, et dari dictis creditoribus, eorum nunciis aut procuratoribus, hæredibus vel executoribus quibuscumque, vel eorum cuicumque.

Acta sunt hæc prout supra scribuntur et recitantur sub anno, indictione, pontificatu, mense, die, et loco prædictis.

Præsentibus, nobilibus et discretis viris;

Magistro Johanne Codeford, archidiacono Wiltesiæ,
Arlarto de Hancourt,
Thomæ Hikeling,
} *Saresbiriensis, Cameracensis, et Lincolniensis diœcesium,*

Testibus, ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Willielmus de Otryngton, clericus Eborum diœcesis, publicus auctoritate apostolicâ notarius, dictis ratificationi, confirmationi, approbationi, ac renovationi, unà cum juramenti præstatione, necnon omnibus aliis et singulis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, unà cum prænominatis testibus, sub anno, indictione, pontificatu, mense, die, et loco prædictis, præsens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis consuetis signavi in fidem et testimonium omnium præmissorum.

Willielmus Ortyngton.

Et ego Willielmus Wilton, clericus Saresburiensis diœcesis, publicus auctoritate apostolicâ notarius, dictis ratificationi, confirmationi, ac renovationi, unà cum juramenti præstatione, necnon omnibus aliis et singulis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, unà cum præfato magistro Willielmo de Otryngton, notario publico suprascripto, et cum prænominatis testibus, anno, indictione, pontificatu, mense, die, et loco prædictis præsens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, me hic subscripsi, signoque et nomine meis consuetis signavi, in fidem et testimonium præmissorum.

W. Wilton.

Sub sigillo, cerâ rubeâ expresso, pendenti a caudâ pergamenæ.

De navibus et vasis, pro passagio justiciarii Hiberniæ, arestandis.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II. Pat. 3 Ric. II. p. 1. m. 27. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Roberto de Evere, Johanni Vyse et Waltero Somery, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos et duos vestrûm ad tot naves, sive vasa, in portubus de Lytherpole, Cestriæ, Coneweye et Beaumaris, quot pro eskippamento et passagio dilecti et fidelis nostri Johannis de Bromwych, justiciarii nostri Hiberniæ, cum sexaginta hominibus ad arma, centum et viginti sagittariis equitibus in comitivâ suâ, in obsequio nostro, versus partes Hiberniæ pro denariis suis promptè solvendis, profecturis, sufficere poterunt, arestandum et capiendum: aliquo aresto pro aliis viagiis ad partes transmarinas facto, non obstante:

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ;

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et duobus vestrûm in præmissis omnibus et singulis faciendis, intendentes sint, obedientes, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos, seu aliquem vestrûm, super hiis ex parte nostrâ fuerint præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Augusti.

Per concilium.

De protectione, pro comitivâ marescalli Angliæ.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II. Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

OLIVERUS SPENCER, qui in obsequium Regis, in comitivâ dilecti consanguinei et fidelis Regis Johannis de Arundell' marescalli Regis Angliæ, ad partes Britanniæ profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per dimidium annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Septembris.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui ad partes prædictas in comitivâ prædicti Johannis profecturi sunt, sub datâ subscriptâ, videlicet,

Robertus Hornere. Teste ut supra. Per eandem billam.

Mauritius de Berkele miles. Teste Rege, apud Westm', xxv. die Septembris. Per billam, &c.

Thomas Dale miles.
Rogerus Trompiton miles,
} *Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Septembris. Per billam, &c.*

Ricardus de Bureley miles. Teste Rege, apud Westm', iii. die Septembris. Per billam, &c.

Johannes Muschamps. Teste Rege, apud Westm', vii. die Octobris. Per billam, &c.

Willielmus Clavyle de Leston de com' Dors'. Teste Rege, apud Westm', vii. die Octobris. Per billam, &c.

Thomas Besile. Teste Rege, apud Westm', xiiii. die Octobris. Per billam, &c.

Rogerus de Ince,
Johannes Fauconer miles,
Hugo de Hastynges miles,
} *Teste Rege, apud Westm', xii. die Octobris. Per billam, &c.*

Laurentius Trussell. Teste Rege, apud Westm', xv. die Octobris. Per billam, &c.

Leonellus Dautry miles. Teste Rege, apud Westm', xii. die Octobris. *Per billam, &c.*

Johannes de Warbourton. Teste Rege, apud Westm', xv. die Octobris. *Per billam, &c.*

Johannes Peyteryn. Teste Rege, apud Westm', xviii. die Octobris. *Per billam, &c.*

Johannes Thornton. Teste ut supra. *Per billam, &c.*

Johannes Coker. Teste Rege, apud Westm', xv. die Octobris. *Per billam, &c.*

Radulphus de Bracebrigge miles. Teste Rege, apud Westm', xix. die Octobris. *Per billam, &c.*

Thomas Banastre miles. Teste Rege, apud Westm', xvii. die Octobris. *Per billam, &c.*

Ricardus Banastre armiger. Teste Rege, apud Westm', xviii. die Octobris. *Per billam, &c.*

Johannes Braham. Teste Rege, apud Westm', xxv. die Octobris. *Per billam, &c.*

Willielmus Fraunk miles. Teste Rege, apud Westm', v. die Novembris. *Per billam, &c.*

Thomas Sakevyle miles. Teste Rege, apud Westm', xii. die Novembris. *Per billam, &c.*

Thomas Neuwenham, per unum annum duraturas. Teste Rege, apud Westm', xv. die Novembris. *Per billam, &c.*

Johannes Waters,
Thomas de Stafford miles,
Willielmus de Clynton miles,
} *per dimidium annum duraturas. Teste Rege, apud Westm', iii. die Decembris.*
Per billam, &c.

De conductu pro domino de Mountfort, et aliis.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

NOBILES viri, dominus de Mountfort, Karolus Dynam dominus de Montafiland, dominus de Beaumaners, et dominus de Montauban, et quilibet eorum habent litteras Regis de conductu, per quatuor menses proximò futuras, duraturas, veniendo in regnum Angliæ, tam per terram quam per mare, cum decem militibus, quadraginta armigeris in toto, ac aliis servientibus, equis, bonis et hernesiis, ac navibus et marinariis suis, ibidem morando, et exindè ad partes proprias redeundo.

Teste Rege, apud Westm', xxi. die Septembris.

Per concilium.

Officium justiciariæ terræ Hiberniæ, J. de Bromwyche committitur.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Claus. 3 Ric. II. m. 32. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus dilecto et fideli nostro Johanni de Bromwyche, officium justiciariæ nostræ Hiberniæ; et terram nostram Hiberniæ, cum castris et aliis pertinentiis suis, custodiendum quamdiu nobis placuerit, percipiendo per annum ad scaccarium nostrum Hiberniæ, quamdiu in officio illo sic steterit, quingentas libras, pro quibus officium illud et terram custodiet, et erit se vicesimus de hominibus ad arma cum tot equis coopêrtis continuè, durante commissione supradictâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est dilecto et fideli consanguineo Regis Jacobo le Botiller comiti d'Ormond nuper justiciario terræ prædictæ, vel ejus locum tenenti ibidem, quod eidem Johanni officium et terram prædicta, cum castris et aliis pertinentiis suis prædictis, ac omnibus aliis et singulis officium illud tangentibus, quæ in custodiâ suâ existunt, liberet, custodienda in formâ prædictâ.

Teste ut supra.

Et mandatum est archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis de terrâ Regis prædictâ, quod eidem Johanni tanquam justiciario Regis terræ prædictæ in omnibus quæ ad officium justiciariæ prædictæ pertinent, intendentes sint et respondentes. In cujus, &c.

Teste ut supra.

De potestate tractandi cum illis de Francia.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

LE Roi, a noz cheres et foialx William conte de Salesbirs, Johan seigneur de Cobham, Robert de Assheton, Hugo de Segrave chivaler, seneschal de nostre houstiel, et meistre Wautre de Skirlawe, dean de Seint Martyn Grant de Londres, doctour en loys, saluz.

Savoir vous faisons que, pur honur et reverence de Dieu et de seinte Eglise, et pur le bien de paix, de l'assent de prelatz, nobles, et autres grantz et sages de nostre roialme d'Engleterre, et parmy la confiance quel nous avons de voz sens, discrecions, loialtez, et avisementz, vous avons ordinez, deputez, commis, et establiz, ordenons, deputons, commettons, et establions, de nostre certein science, par le teneure de ces presentes lettres, noz vrais procureurs et messages especialx;

Donantz et commettantz a vous, quatre, trois, ou deux de vous, si vous touz ne purrez a ce entendre, pleine auctorite, poissance, et mandement especial et general d'assemblir, convenir, traiter, composer, transiger, pacifier, et pleniement accorder, sour touz les debatz, contencions, questions, guerres, riotes et descortz, meux et demesnez, ou a meuer et demesner, parentre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, aidantz, et adherentz quequonques, decea et dela la meer, d'une part, et nostre adversaire de France, sez freres, fitz et autres persones de son sank, sez subgiz, amys, alliez, aidantz, et adherentz quelconques, en general ou en especial, lour procureurs et messages, d'autre part;

Et aussi de prendre et accorder, en noun de nous, touz maneres de trieues et abstinences de guerres, entre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quequonqes, decea et dela la meer, et nostre dit adversaire, ses freres, fitz et autres persones de son sank, sez subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quiconqes, par manere, forme, et condicion, et par si long temps a durer, come mestier serra, ou bone vous semblera;

Et ensement de tretir, ordenir, et accorder ovesque nostre dit adversaire ou sez procureres, sur alliances, confederacies, et amities, soit il par mariage et contracte de matrimoigne de nostre persone demeisne, ou par autre voie quelque soit, en general ou en especiale, come vous semblera bon;

Et sur quanque serra ensi parle, traite, compose, transigie, pacifie, et accorde, de toutes les choses et articles susditz, et chescun de eux, pur nous et nostre partie, ovesque ceux de la partie adverse, de l'affermer et asseurer par foy et par serement, a doner en l'alme de nous;

Et de ottroier et doner sur ce, et les dependences, touz maneres des caucions, seurtees, promesses, obligations, et lettres seallez, tantz et tieux come mestier serra en tieu cas, les queux nous voillons avoir tiel effect, vigeur, et fermetee come si nous les eussons done et fait en nostre propre persone;

Et de faire, executer, expedier, et accomplir, pur nous et nostre partie, tout quanque a faire serra en tieu cas, et les dependences, et quanque nous ferrons meismes si nostre propre persone y fuisse presente, suppose que pluis especiale mandement en serroit requis:

Et promettons, loialment et en bone foy, avoir et tenir, touz jour, ferme et agreable quanque fait serra, sur touz et chescun des choses avantditz, sur caucion et obligacion de touz noz biens, presentes et a venir, sanz jammays faire, dire, ne purposer, en jugement ne dehors, ascun chose a l'encontre.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, en nostre palays de Westm', le xxvi. jour de Septembre, l'an du Grace mille troicentz septant et neof, et de nostre regne tierce.

Par le Roi et son conseil.

De potestate concedendi salvos conductus.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

LE Roi, a noz cheres et foialx William conte de Salesbirs, Johan sire de Cobham, Robert de Asshe-ton, Hugh de Segrave, seneschal de nostre hostell, chivalers, et meistre Wauter de Skirlawe, dean de Seint Martyn Grant en Londres, doctour en loys, salutz.

Come, parmy confiance, quel nous avons en especial de voz sens, loialte, et diligence, eions done, par noz lettres patentes, a vous, ou deux de vous, auctorite, plein poair, et mandement especial, de parler, traiter, accorder, et fermer, en noun de nous, pur nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amis, alliez, eidantz, et adherentz, noz roialmes et seignuries quelconques, decea et dela la meer, bon paix et accorde, ovesque nostre adversaire de France, ses freres, filz, et autres persones de son sank, ses subgitz, amis, alliez, eidantz, et adherentz, ses terres et seignuries quelconques, en general ou en especial, lour procururs et messages, sur touz les discortz, debates, et guerres meues et a movir entre nous et nostre dit adversaire;

Et de prendre et accorder, en noun de nous, toutes maneres des trieues ou abstinences de guerre, par manere, forme, et condicion, et si long temps a durer come mester serra ou bon vous semblera;

Et ensement de treter, ordenir, et accorder, ovesque nostre dit adversaire, sur alliance, confederacies, et amities, soit il par mariage et contracte de matrimoigne de nostre persone demeisne, ou par autre voie quelque soit, en general ou en especial, come vous semblera bone, come en mesmes noz lettres patentes est compris pluis au plein;

Nous, au fin que ceste boisoigne se purra, par la grace de Dieux, mieux prendre effect et bone esploit, et confiantz autresi de voz sen, loialte, et bone discrecion, donons et commettons a vous, quatre, trois, ou deux de vous, auctorite et poair especial de faire et doner, en noun de nous, a chescune persone, que vendra depar nostre dit adversaire de France, ou par sa partie, ou par aucune autre devers vous, par cause de l'exploit de traite avantdite, ou par aucune autre encheson queconque, voz lettres de sauf et seure conduyt et sauf garde, souz voz sealx, par touz noz seignuries et poairs, sibien par terre come par meer, sanz merk prendre ou reprisail ou autre grevance queconque, tantz et tieux, et si sufficiantes, et par si long temps a durer, come bone vous semblera, ou mester serra;

Et promettons, loialment en bon foy, pur nous et noz heirs, avoir et tenir ferme et aggreable quantque par vous, quatre, trois, ou deux de vous ent fait serra en la fourme avantdite.

Don', a nostre palays de Westm', le xxvi. jour de Septembre, l'an de Grace mille troiscentz septant et neof, et de nostre regne tierce.

Par le Roi et son conseil.

De officio constabularii castri Burdegaliæ, W. Loryng commisso.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Vascon. 3 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus dilecto clerico nostro, magistro Willielmo Loryng, in jure civili licenciato, custodiam castri nostri Burdegaliæ; et officium constabulariæ nostræ Burdegaliæ, habendum cum omnibus ad officium illud spectantibus, quamdiu nobis placuerit, ita quod de exitibus indè provenientibus nobis respondeat, et in officio illo feodum percipiat consuetum. In cujus, &c.

Dat' apud Westm', ii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est universis et singulis senescallis et receptoribus ac ministris et officiariis nostris, quam aliis fidelibus et subditis Regis in ducatu Regis Aquitaniæ, quod eidem Willielmo tanquam constabulario Regis ibidem, in omnibus quæ ad officium illud pertinent, intendentes sint et respondentes. In cujus, &c.

Dat' ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est dilecto et fideli Regis Johanni domino de Nevill, locum Regis tenenti in ducatu Regis Aquitaniæ, vel ejus locum tenenti ibidem, quod eidem Willielmo prædicta custodiam et officium liberari faciat, regenda juxta tenorem litterarum Regis prædictarum.

Dat' ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est dilecto clerico Regis magistro Ricardo Rotour nuper constabulario Regis Burdeg', vel ejus locum tenenti, quod eidem Willielmo custodiam et officium prædicta, cum clavibus, rotulis, papiris, memorandis et omnibus aliis officium illud tangentibus, quæ in custodiâ suâ existunt, per indenturam indè inter ipsum et præfatum Willielmum conficiendam, liberet, juxta tenorem litterarum Regis prædictarum; vult enim Rex ipsum erga Regem exonerari.

Dat' ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

De proclamatione faciendâ, de lanis.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Claus. 3 Ric. II. m. 36. d. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum suarum in portu London', salutem.

Quia de avisamento concilii nostri, quibusdam certis de causis, ordinavimus, quod omnes indigenæ et alienigenæ qui lanas, pelles lanutas, et coria ad partes exteras pro commodo suo indè faciendo traducere, et custumas, subsidia et deveria, tam in Angliâ quam apud Calesium debita, thesaurario nostro præmanibus solvere voluerint; liberam licentiam habeant hujusmodi lanas, pelles lanutas, et coria ad quascumque partes transmarinas de amicitiâ nostrâ existentes, quibus sibi placuerit, traducendi et transmittendi; quibuscumque concessionibus, ordinationibus, seu mandatis incontrarium factis, non obstantibus.

Vobis præcipimus quod in portu et civitate prædictis, in locis ubi melius expediri videritis, publicè proclamari faciatis, quod omnes mercatores et alii, tam indigenæ quam alienigenæ, lanas, pelles lanutas, vel coria, juxta formam ordinationis nostræ prædictæ traducere volentes, ad curiam nostram, adcitius quo poterint, accedant, custumas, subsidia et deveria prædicta, pro quantitate lanarum, pellium lanutarum, et coriorum, quæ ipsi sic traducere voluerint, thesaurario nostro ibidem soluturi, et litteras nostras de licentiâ prædictâ recepturi.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Octobris.

Per concilium.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis, sub eadem datâ; videlicet,

Collectoribus, &c. in portu villæ de Sancto Botulpho.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Kyngeston super Hull.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Lenn'.
Collectoribus, &c. in portu villæ Magnæ Jernemuth.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Sandewico.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Gippewico.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Suth'.
Collectoribus, &c. in portu civitatis Cicestr'.
Collectoribus, &c. in portu civitatis Exon'.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Melcombe.
Collectoribus, &c. in portu villæ Bristoll'.
Collectoribus, &c. in portu villæ Novi Castri super Tynam.

De protectione pro marescallo Angliæ, et comitivâ suâ.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 20. in Turr. Lond.

DILECTUS consanguineus et fidelis Regis, Johannes de Arundell' marescallus Regis Angliæ, qui in obsequium Regis, ad partes Britanniæ profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per dimidium annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Octobris.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in obsequium Regis in comitivâ prædicti Johannis ad partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Willielmus Germy miles,
Thomas Germy,
Johannes Belhous,
Willielmus Hales,
Thomas Wodelok,

} *Teste Rege, apud Westm', xix. die Octobris.*

Johannes Benteleye. *Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris.* *Per billam, &c.*

Radulphus de Bracebrigge miles. *Teste Rege, apud Westm', xix. die Octobris.* *Per billam, &c.*

Willielmus Trussell. *Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Octobris.* *Per billam, &c.*

Willielmus Berdewell. *Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris.* *Per billam, &c.*

Thomas Gyney miles. *Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris.* *Per billam, &c.*

Nicholaus Criell chivaler. *Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris.* *Per billam, &c.*

Johannes Staple, serviens Regis ad arma. *Teste Rege, apud Westm', v. die Novembris.* *Per billam, &c.*

Rogerus Strange. *Teste Rege, apud Westm', vi. die Novembris.* *Per billam, &c.*

Johannes Mautravers,
Francus Nichole, } *Teste Rege, apud Westm', viii. die Novembris.* *Per billam, &c.*

Simon Wyvelrode. *Teste Rege, apud Westm', x. die. Novembris.* *Per billam, &c.*

Thomas de Besilles. *Teste ut supra.* *Per billam, &c.*

Johannes de Burgh' le filz, miles. *Teste Rege, apud Westm', vii. die Novembris.* *Per billam, &c.*

Super evidentiis Oliveri Claykyn, prisonarii.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 19. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Guidoni de Brian baneretto, Matheo Gournay, et Richardo de Abberbury, militibus, salutem.

De fidelitate et circumspectione vestris plenius confidentes, ad omnes et singulas evidentias et causas, Oliverum Claykyn prisonarium, et financiam suam, ac captionem suam de guerrâ, qualitercumque contingentes, inter attornatos et procuratores magnifici principis Karoli Regis Navarræ, consanguinei nostri, et dilectum et fidelem consanguineum nostrum Johannem de Arundell marescallum Angliæ, et alios, jus vel clameum in prisonario prædicto vendicantes, audiendum, et diligenter examinandum, et ad concilium nostrum plenariè indè certificandum, vobis, et duobus vestrûm, plenam, tenore præsentium, damus et committimus potestatem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris.

Per concilium.

De Edmundo de Mortuo Mari comite Marchiæ et Ultoniæ, locum tenente Regis in Hibernia constituto; et de potestate ei traditâ.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis consanguinei nostri, Edmundi de Mortuo Mari comitis Marchiæ et Ultoniæ, confidentes, constituimus ipsum comitem locum nostrum tenentem in terrâ nostrâ Hiberniæ; dantes eidem comiti plenam potestatem recipiendi ad fidem et pacem nostram tam Anglicos quam Hibernicos, qui nobis rebelles et contrarii existunt, et eis, et eorum cuilibet, pardonationem faciendi de sectâ pacis nostræ ad nos pertinente, tam generaliter quam specialiter, pro homicidiis, roberiis, feloniis, proditionibus, latrociniis, adhæsionibus, et rebellionibus quibuscumque, per ipsos in dictâ terrâ nostrâ Hiberniæ perpetratis, et ad firmam pacem nostram eis inde concedendi, et litteras nostras patentes, sub sigillo nostro quo utimur in terrâ nostrâ Hiberniæ, eis indè in formâ debitâ fieri faciendi, et ad fines et redemptiones de illis, qui eos facere voluerint, ad opus nostrum recipiendi;

Necnon omnia terras et tenementa, quæ per inimicos nostros in terrâ prædictâ, per guerram pro defectu defensionis, vel alio modo adquisita, quæ per nos recuperari et conquestari contingent, necnon omnia terras et tenementa rebellium nobis ibidem confiscata et confiscanda, personis idoneis, qui ad fidem et obedientiam nostram fideliter persistere et nobis deservire voluerint, juxta meritorum suorum exigentiam, sibi et hæredibus suis imperpetuum, seu ad terminum vitæ, vel ad tempus, habenda, dandi et concedendi;

Et etiam ea, ac alia terras et tenementa per guerram vastata, destructa, et derelicta, tenentibus ea habere volentibus, de nobis et hæredibus nostris pro firmâ rationabili tenenda, per consilium et assensum cancellarii et thesaurarii nostrorum terræ prædictæ, concedendi et dimittendi; et ad gestum quorumcumque ministrorum nostrorum in Hiberniâ supervidendi, et illos, quos nobis inutiles invenerit, ab officiis suis amovendi, et alios utiles et idoneos, loco illorum, ordinandi et subrogandi; cancellario et thesaurario nostris terræ prædictæ, quos tamen de assensu ipsius comitis ordinari et constitui volumus, dumtaxat exceptis:

Et singulis, juxta leges et consuetudines dictæ terræ nostræ Hiberniæ, justiciam faciendi, et tam communem bancum quam scaccarium nostrum Hiberniæ ad locum quo eidem comiti melius pro commodo nostro et dictæ terræ nostræ Hiberniæ, expedire videbitur ibidem, exceptis dominiis prædicti comitis in partibus illis, removendi; necnon omnia alia et singula faciendi et ordinandi, quæ pro bono regimine et salvatione dictæ terræ Hiberniæ, et populi nostri ibidem, ac pro recuperatione jurium nostrorum in partibus illis, necessaria fuerint et oportuna, etiam si mandatum exigant magis speciale:

Damus autem archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, ducibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, majoribus, præpositis, ballivis, ministris, et aliis fidelibus, ligeis et subditis nostris terræ prædictæ, et eorum singulis, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod eidem comiti, tanquam locum nostrum tenenti in terrâ prædictâ, in præmissis omnibus et singulis intendentes sint, consulentes, auxiliantes, obedientes et respondentes, prout decet.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est Johanni de Bromwych justiciario terræ Regis Hiberniæ, quod eidem comiti terram Regis prædictam, necnon officium locum tenentis prædicti, unà cum castris, civitatibus, villis, maneriis, terris, et tenementis Regis in terrâ prædictâ, simul cum obsidibus, tam Hibernicorum quam Anglicorum, rebellium, ac cum munitionibus, instauro, et aliis rebus Regis ibidem, cum omnibus et singulis officium dicti locum tenentis tangentibus, quæ in custodiâ suâ existunt, liberet, habenda in formâ prædictâ; vult enim Rex ipsum erga ipsum Regem exonerari.

Teste ut supra.

Et mandatum est archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, baronibus, militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis de terrâ Regis Hiberniæ, quod eidem comiti, tanquam locum Regis tenenti terræ prædictæ, in omnibus, quæ ad officium hujusmodi pertinent, intendentes sint et respondentes.

In cujus, &c.

Teste ut supra.

De potestate locum tenenti in Hibernia traditâ conferendi beneficia.

A. D 1379. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Volentes dilectum et fidelem nostrum Edmundum de Mortuo Mari comitem Marchiæ et Ultoniæ, locum nostrum tenentem in terrâ nostrâ Hiberniæ, favore prosequi graciosè, eidem comiti quod ipse omnia beneficia ecclesiastica curata, usque ad taxam quadraginta marcarum per annum, et quæcumque beneficia ecclesiastica non curata, usque ad taxam viginti marcarum per annum, quæ vacantia fuerint in terrâ nostrâ Hiberniæ, infra tres annos, postquam idem comes in Hibernia primitùs applicuerit, ad donationem, collationem sive præsentationem nostram spectantia, jure nostro, tam in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, quam aliis quibuscumque;

Exceptis omnibus dignitatibus, et exceptis etiam beneficiis, quæ auctoritate domini Summi Pontificis habemus, nominare seu præsentare;

Personis idoneis et benè meritis præsentare et conferre; et insuper statum nunc possessorum omnium beneficiorum ecclesiasticorum, tam dignitatum quam aliorum in Hiberniâ, per rationabilem finem indè ad opus nostrum capiendum, ratificare valeat, tenore præsentium, damus et committimus potestatem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

De W. de Wyndesore custode castri et villæ de Chirburgh constituto.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.
Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 19. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Willielmi de Wyndesore baneretti, plenius confidentes, constituimus ipsum custodem castri et villæ de Chirburgh, à die quo prædictus Willielmus primitùs liberationem eorumdem habuerit, usque ad festum Paschæ proximò futurum, in unum annum, juxta formam cujusdam indenturæ inter nos et ipsum Willielmum indè confectæ:

Damus autem universis et singulis, tam hominibus ad arma, armatis, sagittariis et balistariis, quam majoribus, ballivis, ministris, officiariis ac aliis fidelibus subditis, et ligeis nostris castri et villæ prædictorum ac partium illarum, tenore præsentium, firmiter in præceptis, quod eidem Willielmo, tanquam custodi castri et villæ prædictorum, intendentes sint, obedientes et respondentes, prout decet. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est Johanni de Harlaston, chivaler, nuper custodi castri et villæ prædictorum, quod eidem Willielmo, vel ejus locum tenenti, custodiam castri et villæ prædictorum, cum armaturis, artillaria, et omnibus aliis rebus nostris ad hujusmodi custodiam pertinentibus, per indenturas indè inter eos conficiendas, liberet indilatè, habendam juxta formam litterarum Regis prædictarum: vult enim Rex ipsum Johannem indè erga Regem exonerari. Teste ut supra.

De W. Trussell capitaneo Calesii constituto.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.
Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 19. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis capitaneis, castellanis, constabulariis, custodibus castrorum et fortaliciorum, ac fidelibus nostris dominiorum nostrorum in partibus Calesii, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Willielmi Trussell chivaler, pleniùs confidentes, constituimus ipsum capitaneum et custodem castri nostri villæ Calesii, à die Omnium Sanctorum proximò futuro per unum annum tunc proximò sequentem, juxta formam cujusdam indenturæ inter nos et ipsum Willielmum indè confectæ;

Et ideò vobis mandamus quod eidem Willielmo, tanquam capitaneo et custodi castri prædicti, intendentes sitis et respondentes. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est dilecto et fideli Regis Bernardo Brocas chivaler, nuper capitaneo et custodi castri prædicti, quod eidem Willielmo, vel ejus in hac parte deputato, castrum prædictum, unà cum armaturis, victualibus et omnibus aliis rebus Regis in dicto castro existentibus, per indenturam indè inter ipsos modo debito conficiendam, liberet, habendum juxta tenorem litterarum Regis prædictarum. Teste ut supra.

De navibus supervidendis, et aliis providendis pro passagio hominum ad arma.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.
Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Roberto Rous et Nicholao Dagworth, salutem.

Ex gravi querelâ quorumdam fidelium nostrorum accepimus, quod pro passagio diversorum hominum ad arma, armatorum et sagittariorum, in obsequium nostrum, ad partes Britanniæ in præsenti viagio nostro profecturorum, de navibus per nos pro eodem viagio provisis et conductis, quas usque portum villæ Suthampton' venire fecimus, sufficiens eskippamentum non habetur, in retardationem viagii prædicti manifestam:

Nos, volentes passagium prædictum, in quantum poterimus, accelerari, ac de fidelitate et circumspectione vestris plenius confidentes, assignavimus vos et utrumque vestrûm, ad totum navigium in portu prædicto et locis adjacentibus, cum omni celeritate supervidendum, et pro passagio hominum prædictorum, meliori modo quo poteritis, ordinandum: et si naves et vasa per nos, ut præmittitur, conducta et provisa, pro passagio hominum prædictorum, non sufficiant, ad alia naves et vasa, quot pro passagio hominum prædictorum sufficere poterunt, sine dilatione in portubus et locis prædictis arestandum et capiendum, exindè versus partes prædictas, cum hominibus hujusmodi in obsequium nostrum ad vadia nostra profecturas; provisò semper quod de navibus et vasis pro dicto passagio per nos prius provisis et conductis, in præsenti viagio prius deserviatur.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, custodibus portuum maris et aliorum locorum maritimorum, ac aliis fidelibus nostris, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis, in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quociens et quando per vos, seu alterum vestrûm super hoc ex parte nostrâ fuerint requisiti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Novembris.

Per concilium.

De clero convocando.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.
Claus. 3 Ric. II. m. 27. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, S. eadem gratiâ, archiepiscopo Cantuariæ, totius Angliæ primati, salutem.

Qualiter inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, inter se alligati, et undique hostiliter congregati, regnum nostrum Angliæ per terram et per mare sepiùs invaserunt, mala quamplurima et intolerabilia nobis et ligeis nostris inferendo; et non solum de hoc contenti, dictum regnum et ecclesiam sanctam, nosque et totam linguam Anglicanam subvertere et destruere de die in diem, totis viribus se conantur, nisi eorum maliciæ, adjuvante Deo, fortius resistatur, vos non credimus ignorare; unde in salvationem statûs ecclesiæ sanctæ, et regni ac populi nostrorum necessariam defensionem, sumptus ac census, et expensas inestimabiles effundere nos oportet: verum quia, ad ipsorum onerum et sumptuum supportationem, absque juvamine fidelium nostrorum, non sufficimus, sicut scitis;

Vobis, in fide et dilectione quibus nobis tenemini, rogando mandamus quatinus, tam arduitate negociorum prædictorum, quam grandibus periculis, quæ ecclesiæ et regno prædictis oculatâ fide imminere conspicitis, attentis et debitè consideratis, suffraganeos vestros, decanos et priores ecclesiarum cathedralium, abbates et priores et alios electivos, exemptos et non exemptos, necnon archidiaconos, capitula, conventus et collegia, totumque clerum cujuslibet diœcesis vestræ provinciæ, ad comparendum coram vobis in ecclesiâ Sancti Pauli London', vel alibi, prout expedire videritis, ad breviorem diem quem poteritis, more solito convocari faciatis:

Et eis dictis negotiis et periculis ibidem plenius expositis et declaratis, ipsos ad subsidium in hoc casu competens et necessarium, in supportationem dictorum onerum et sumptuum, nobis concedendum, eo specialius et cum efficaciâ quâ magis sciveritis vel poteritis, tantâ necessitate causante, inducatis, et partes vestras ad hoc effectualiter apponatis: nos in cancellariâ nostrâ de quantitate subsidii illius, ac de terminis solutionis ejusdem, certificantes.

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum, ac salvationem ac defensionem ecclesiæ et regni prædictorum diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimile breve dirigitur A. archiepiscopo Ebor', Angliæ primati, ad convocandum clerum in ecclesiâ Beati Petri Eborum.

Teste ut supra.

De intendendo nuncio domini Summi Pontificis, innocentiam Papæ, et causam ecclesiæ in ducatu Aquitaniæ, defensuro.

A. D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Vascon. 3 Ric. II. m 4. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, locum suum tenenti in ducatu Aquitaniæ, ac majori civitatis Burdegalæ, senescalloque Landarum, et majori villæ Baionæ, qui nunc sunt, vel qui pro tempore erunt, necnon juratis dictarum civitatis et villæ, ac omnibus aliis fidelibus et subditis suis in ducatu prædicto, ad quos, &c. salutem.

Vidimus, per literas bullatas domini nostri Summi Pontificis, Urbani, divinâ providentiâ, Papæ sexti, nobis exhibitas, et etiam satis scimus quod idem Summus Pontifex, juris solempnitatibus observatis, contra Robertum Gebonen' Antipapam, et quamplures alios, tam olim cardinales, quam olim patriarcham Constantinopolitanum, olimque archiepiscopos, episcopos, clericos, et milites, qui, ut iniquitatis filii, viam justitiæ deserentes, et Deum præ oculis non habentes, contra ipsum dominum nostrum Papam diversas conspirationes, colligationes, et machinationes falsas et maliciosas subdolè fecerunt, et scismata in Dei ecclesiâ posuerunt, et præfatum Robertum Papam nominare, dictumque sanctissimum patrem, dominum Urbanum, Papam non esse asserere et prædicari facere dampnabiliter præsumpserunt; et ab hujusmodi excessibus desistere, et ab eorum erroribus resipiscere, quamquam ad hoc per ipsum sanctissimum patrem, paterno zelo deductum, moniti fuerant, noluerunt, certos processus fecit;

Per quos declaravit ipsos omnes fuisse et esse scismaticos, excommunicatos, anathematizatos, apostatas, et blasphemos, et tanquam hæreticos puniendos; prædictosque olim cardinales à cardinalitatibus Romanæ ecclesiæ, et ab omni cardinalatûs commodo et honore, præfatosque olim patriarcham, archiepiscopos, et episcopos ab omnibus pontificalibus et quibuscumque dignitatibus et honoribus ecclesiasticis, et alios clericos prædictos, quibuscumque dignitatibus, personatibus, et officiis, ac beneficiis ecclesiasticis, necnon dictos milites omnibus dignitatibus, honoribus et gradu militiæ ac cingulo militari, fuisse et esse privatos, ipsosque privavit;

Ac eis quamplures alias pœnas et sententias, juxta eorum demerita, imposuit;

Et insuper voluit quod omnes et singuli Christi fideles, qui ad prædictorum dampnatorum captionem et exterminationem se accingerent, et eos pro posse prosequerentur, illâ gauderent indulgentiâ, illoque privilegio essent muniti, quæ accedentibus in Terræ Sanctæ subsidium conceduntur;

Dictusque sanctissimus pater, cupiens quod præmissa omnia ad communem notitiam Christi fidelium deducantur, ut ipsi fideles à prædictorum perversorum astutiis præserventur, dilecto nobis fratri Petro Maurini, ordinis Fratrum Minorum professori, in sacrâ theologiâ magistro et apostolicæ sedis nuncio, commisit et mandavit quatinus idem frater Petrus, fidei loricam induens, et gladium spiritûs, qui est verbum Dei, assumens, in toto ducatu prædicto inquisitor hæreticæ pravitatis existat, et contra præfatos scismaticos, ac Dei et ejus sanctæ ecclesiæ inimicos, tanquam verus fidei catholicæ pugil insurgens, tam in publicis quam in privatis sermonibus et prædicationibus, innocentiam prædicti domini nostri Papæ Urbani et ecclesiæ prædictæ causam defensurus, assumat;

Ac idem Summus Pontifex præfato fratri Petro, ad præmissa omnia et singula, et quamplura alia ea concernentia, faciendum et executioni demandandum, plenam et liberam, tenore dictarum literarum, concessit facultatem, prout in eisdem literis pleniùs continetur;

Nos igitur, justitiâ moniti, volentes domino nostro Urbano Papæ prædicto, contra prædictas personas detestabiles et infames, tam per nos quam subditos nostros quoscumque, pro omnibus viribus, assistere et manus nostras apponere adjutrices; vobis mandamus, districtiùs quo poterimus injungentes, quod eidem fratri Petro auditum pacificum in hac parte præbeatis, ac ipsum literas prædictas publicare et exponere, et de materiâ, in eisdem contentâ, prædicare, absque difficultate qualibet permittatis, ipsumque favorabiliter pertractetis, foveatis, manuteneatis, protegatis, et defendatis, in præmissis et aliis quibuscumque faciendis et exequendis, juxta traditam vel injunctam à sede apostolicâ sibi formam.

Dat' infra palatium Regis Westm', sub magni sigilli Regis testimonio, vi. die Decembris.

De protectione pro comitivâ J. Devereux.

A.D. 1379. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m 17. in Turr. Lond.

NICHOLAUS TYE, qui in obsequium Regis, in comitivâ dilecti et fidelis Regis Johannis Devereux militis, ad partes Calesii profecturus est, ibidem in eodem obsequio Regis moraturus, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Decembris.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in idem obsequium in comitivâ præfati Johannis versus partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Willielmus Clyf junior. Teste ut supra.
Per billam, &c.

Robertus Barbour de Sandewico. Teste Rege, apud Westm', xx. die Januarii.
Per billam, &c.

Johannes Wesnam. Teste Rege, apud Westm', xxii. die Januarii.
Per billam, &c.

Nicholaus Twydene, Willielmus Tylle, } *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Robertus Tetford. Teste ut supra.
Per billam, &c.

Robertus Lokyngton. Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Januarii.
Per billam, &c.

Thomas Spaldyng. Teste Rege, apud Westm', xxv. die Januarii.
Per billam, &c.

Henricus Fereres miles, Johannes Costantyn, } *Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Januarii.*

Johannes Hogekyn. Teste apud Westm', xxiii. die Januarii.

Ricardus de Ruton, Ricardus filius Thurstani de Heland, } *Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Januarii. Per billam, &c.*

Matheus de Skyteby de Notyngham. Teste Rege, apud Westm', xxxi. die Januarii.
Per billam, &c.

Thomas Blount. Teste Rege, apud Westm', xxii. die Januarii.
Per billam, &c.

Johannes Nevyll de Farndone. Teste Rege, apud Westm', xxix. die Januarii.
Per billam, &c.

Johannes Quenyl de comitatu Kanc'. Teste ut supra.
Per billam, &c.

Ricardus Brond, civis London'. Teste Rege, apud Westm', xxii. die Januarii.
Per billam, &c.

Georgius Burneby. Teste Rege, apud Westm', xxx. die Januarii.
Per billam, &c.

Willielmus filius Willielmi Dauney. Teste Rege, apud Westm', xvi. die Februarii.
Per billam, &c.

Willielmus Milneward de Doddeford. Teste Rege, apud Westm', xvii. die Februarii.
Per billam, &c.

Magister Nicholaus Hethe clericus, persona ecclesiæ de Hodenet. Teste Rege, apud Westm', xxi. die Februarii.
Per billam, &c.

Alexander Pevot, vitailler. Teste Rege, apud Westm', v. die Aprilis.
Per billam, &c.

Jacobus de Ryppon. Teste Rege, apud Westm', vii. die Junii.
Per billam, &c.

Commissio ducis Britanniæ septem oratoribus suis, ad tractandum cum Rege.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

A TOUS ceulx qui cestes presentes verront et orront, Jehan duc de Bretaigne, conte de Montfort et de Richemont, salut.

Savoir faisons que nous, confianz a plain du bien sens, loiaulte, et bon portement de noz bien amez cousins, et feaulx miseres, Jehan sire de Beaumanoir, sire Oliver sire de Montauban, noz barons, sire Estepne Goron, sire Eustace de la Housaie, noz bacheliers, Mace Ragavell, et Jehan de la Chapell, Jehan de Valence, et Richard le Clerc, noz conseillers et clercs, par bone deliberation sur ce eue, et o l'avisement, et conseill, et consentement des barons, chivalers, et autres de nostre aliance, avons envoie et envoions en Angleterre, par devers mon treshonoure et tresredoubte seignour le Roy et son conseill, pour allier nous, noz ditz barons, chivalers, et autres de nostre aliance, de nostro

pais de Bretaigne, aveques mon dit seignour le Roy, et les gens de son roialme, le dit monsieur le Roy, et ses subgiez, ovecques nous et lez noz, en la forme et manere qu'ils verront que bien sera, et dont ils pourront covenir et acorder o le dit monsieur le Roy et son noble conseill;

Esquelles chouses faire, et a lour depandances, et qui a ce appartenant et deuant appartenir, ou nom de nous, de noz barons, chevaliers, et autres de nostre duche, qui sont de nostre aliance, avons establi et ordrene, et par ces presentes establisons et ordrenons, les desus ditz noz procurours et attournez, et lour en donnons pouaier, come si present estions, et a quatre d'eulx en absance des autres:

Et promettons, en bonne foy, et par le seremant de nostre corps, avoir ferme et estable tout ce que par les desus ditz, ou quatre d'eulx, comme dit, sera fait, acorde, et covenu, sur les choses desusdites, aveques mon dit seigneur le Roy et son conseill, et les tenir, parfournir, et acomplir bien et loialment, sans fraude, ne mal engin; l'estat de nous, noz subgies, franchises, libertez, et coustumes de nostre duche guardez en tout cas:

Et a ce nous obligeons, pour nous et noz subgiez, sur l'obligation de touz noz biens meubles et heritages.

En tesmoingnance des quelles, et chescune desus dites, nous avons donne et donnons ces presentes lettres, seelles de nostre prive seal, le x. jour de Januer, l'an M.CCC.LXXX.

Constaz confianz donne come desus, d'entreling chous. donne come desus.

Par le duc en son grant conseill.

Richard.

Sub sigillo privato prædicti ducis de cerâ rubeâ pendente a caudâ pergamenæ.

De Johanne Devereux capitaneo villæ Calesii constituto.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni Devereux, salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate vestrâ plenius confidentes, constituimus vos capitaneum villæ nostræ Calesii in regno nostro Franciæ: ita quod vos villam prædictam ad opus nostrum salvò custodiatis et custodiri faciatis, ac percipiatis pro custodiâ illâ juxta formam indenturæ inter nos et vos confectæ:

Majori etenim, ballivis et omnibus aliis ministris villæ prædictæ, necnon universis et singulis habitatoribus ejusdem villæ, ac in eâ existentibus ac accedentibus ad eandem, damus, tenore præsentium, in mandatis, eis nichilominus sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, firmiter injungentes, quod vobis, ac locum vestrum tenenti ibidem, ac deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, cum ad nos in Angliam, seu alibi extra villam prædictam ad mandatum nostrum, seu aliis causis necessariis accedere vos contingat, in omnibus, quæ ad salvam et securam custodiam villæ prædictæ, tam de nocte quam de die, pertinent, intendentes sint, consulentes et auxiliantes, quotiens et quando per vos, seu dictum locum vestrum tenentem ac deputatos à vobis, ex parte nostrâ fuerint præmuniti.

Damus insuper vobis ac dicto locum vestrum tenenti, et deputatis à vobis in absentiâ vestrâ, sicut prædictum est, potestatem puniendi et castigandi omnes vobis contrarios seu rebelles, in hiis quæ ad villæ prædictæ pertinent salvationem, prout de jure et rationabiliter fuerit faciendum; ac etiam amovendi omnes et singulos, qui in munitione dictæ villæ indebitè se habebunt, et alios idoneos, loco eorum, ponendi.

Ita quod munitio prædicta, prout vobis melius videbitur, firmiter teneatur.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est dilecto et fideli Regis Willielmo de Monte Acuto, comiti Sarum, nuper capitaneo villæ prædictæ, vel ejus locum tenenti, quod eidem Johanni, vel ejus sufficienti locum tenenti, villam prædictam, cum victualibus, armaturis, ingeniis, et omnibus aliis rebus Regis ibidem, per indenturam liberent indilatè, et deliberari faciant, ad opus Regis salvò custodiendum: vult enim Rex ipsum erga Regem exonerari.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

De passagio, pro redemptionibus.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, custodibus passagii in portu Dovorræ vel Sandewici, salutem.

Mandamus vobis quod Johannem Gavison, Johannem Payn, et Johannem Oter, qui, de licentiâ nostrâ, versus partes transmarinas profecturi sunt, in altero portuum prædictorum, versus partes prædictas, cum quibuscumque pecuniarum summis, pro redemptione dilectorum et fidelium nostrorum Michaelis de la Pole, Johannis de Burle, et Gerardi del Isle, ibidem solvendis, ac cum literis cambitoriis, et aliis literis quibuscumque, absque scrutinio indè faciendo, ac cum uno equo et hernesiis suis, liberè et absque impedimento aliquo transire permittatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Januarii.

Per concilium in parliamento.

De liberatione magni sigilli.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Claus. 3 Ric. II. m. 22. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod Ricardus le Scrop chivaler, nuper cancellarius Angliæ, die Sabbati proximò post festum Conversionis Sancti Pauli, anno præsenti, in quadam secretâ camerâ domini Regis, infra palatium Westmonasteriense, magnum sigillum ipsius domini Regis, pro regimine Angliæ, in quadam bursâ albi corei inclusum, sigillo ipsius Ricardi signatâ, liberavit dicto domino Regi, in manibus suis propriis, in præsentiâ Simonis archiepiscopi Cantuariensis, Alexandri archiepiscopi Eborum, Thomæ episcopi Exoniæ, thesaurarii ipsius domini Regis, Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, Edmundi comitis Cantebrigiæ, Thomæ de Wodestoke comitis Bukinghamiæ, et aliorum magnatum ibidem tunc existentium:

Idemque dominus Rex sigillum prædictum, usque diem Lunæ extunc proximò sequentem, penes se detinuit:

Et eodem die Lunæ, circa horam undecimam, dictus dominus Rex eidem archiepiscopo Cantuariensi, capto priùs ab eo sacramento suo de officio cancellarii benè et fideliter faciendo, in quadam camerâ infra privatum palatium ibidem, in præsentiâ prælatorum, ducis, comitum, et aliorum magnatum ibidem, liberavit; præcipiens eidem archiepiscopo cancellario quod id, quod ad officium cancellarii pertinet, faceret et exerceret:

Qui quidem archiepiscopus cancellarius, die Martis extunc proximò sequenti, in loco cancellariæ, infra magnam aulam regiam Westmonasteriensem, dictam bursam aperuit, et sigillum illud extraxit, et diversa cartas, literas patentes, et brevia ibidem fecit consignari.

Pro mercatoribus de Janua.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Claus. 3 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, Johannæ Moun, dominæ de Dunstar, salutem. Supplicaverunt nobis Lodewicus Gentil et Cosmus Doria, mercatores de Janua, quod, cùm nuper Johannes Nigre, Johannes Fourner, Petrus de Spynau, et Baptista Lomelyn, mercatores de Janua, de societate ipsorum Lodewici et Cosmi existentes, duas magnas ollas zinziberis viridis, unam vergentam zinzibiris facti cum aqua limonis, unam balam de arquinetta, tresdecim pipas uvarum siccarum, novem pipas sulfuris, centum et septuaginta et duas balas wadde, viginti et duas balas paperi scrivabilis, unam casseam succuri candidi, sex balas vacuarum pixidum, unam pipam prunorum siccorum, triginta et octo balas risarum, quinque balas sinimi, unam pipam pulveris saluistri, et quinque balas bussi, ipsorum Ludowici et Cosmi, in quadam navi de Catelonia, vocatâ Seint Cristofore, undè Remundus Soverera Catilonius

de Barcelona, magister existit, in Janua carcaverunt, ad ipsas usque l'Escluz in Flandriam ducendum, et ad commodum eorumdem Lodewici et Cosmi indè faciendum;

Eademque navis, super mare velando, per maris interperiem, usque prædictam villam de Dunster agitata, ac per vos et ministros vestros ibidem, cum mercandisis prædictis, arestata existat;

Velimus mercandisas illas eisdem Lodewico et Cosmo, prout justum fuerit, deliberari jubere;

Nos, in hac parte fieri volentes quod justum est, pro eo quod Golstavus Pynellus, mercator de Janua, in cancellaria nostra, personaliter constitutus, manucepit pro prædictis mercandisis, videlicet, sub pœna sexcentarum librarum, quod mercandisæ illæ sunt de mercandisis ipsorum Lodewici et Cosmi, et sociorum suorum de Janua, et non aliorum mercatorum, de inimicitia nostra existentium; quas quidem sexcentas libras idem Golstavus concessit de bonis, mercandisis, et catallis suis quibuscumque, ubicumque inventa fuerint, ad opus nostrum levari, si imposterum modo debito probari poterit mercandisas illas aliquorum mercatorum, de inimicitia nostra existentium, existere; supplicationi prædictæ favorabiliter inclinati, vobis mandamus quod mercandisas illas præfatis Lodewico et Cosmo, vel suis in hac parte attornatis, deliberari faciatis indilatè, per manucaptionem supradictam; et hoc nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', x. die Februarii.

De clerico præsentato, de institutione negatâ, et de fructibus concessis.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 13. in Turr. Lond.

REX, Galfrido de Sancto Martino, uni juratorum suorum in insula de Jereseye, salutem.

Cum dominus E. nuper Rex Angliæ, avus noster, per literas suas patentes, præsentaverit dilectum clericum nostrum Thomam de Ryby episcopo Constantiensi, ad ecclesiam de Sancto Martino, in prædicta insula de Jereseye, tunc vacantem, et ad donationem ipsius avi nostri spectantem;

Eidem episcopo, per easdem literas, demandando quod ipsum Thomam ad ecclesiam illam admitteret, et personam institueret in eadem;

Ipseque episcopus inimicus et rebellis ipsius avi nostri extiterit, et in terra guerrina notoriè moram trahit, quâ de causâ idem clericus noster cum præsentatione hujusmodi, ad ipsius episcopi præsentiam, propter timorem mortis, ad executionem et effectum indè assequendum, accedere non fuit ausus;

Et idem avus noster, per alias literas suas patentes, de gratiâ suâ speciali, concesserat præfato clerico nostro omnes fructus et proventus ecclesiæ prædictæ, qui in manu ipsius avi nostri seisiti fuerunt, de dono suo habendos, à die vacationis ipsius ecclesiæ, et à tempore quo, ut præmittitur, ex causâ prædictâ in manu ipsius avi nostri seisiti fuerunt, quousque idem clericus noster possessionem ecclesiæ prædictæ canonicè et pacificè fuerit assecutus;

Et insuper idem avus noster mandaverat Edmundo Rose, nuper custodi prædictæ insulæ, et ejus locum tenenti ibidem, quod eidem clerico nostro, de fructubus, obventionibus, et redditibus ejusdem ecclesiæ, à tempore prædicto perceptis, responderent, et respondere integrè facerent, ac eundem clericum nostrum, per se et deputatos suos, fructus et proventus ecclesiæ prædictæ liberè colligere, et in usus suos proprios convertere, absque impedimento aliquo, extunc permitterent;

Ita semper quod, per ipsum clericum nostrum, aut deputatos suos, eidem ecclesiæ in divinis debitè serviretur, et alia, eidem incumbentia, onera ex fructubus hujusmodi continuè, prout convenit, supportarentur, prout in literis ipsius avi nostri supradictis pleniùs continetur;

Et, licet idem clericus noster in possessione, percipiendo et habendo fructus et proventus, ecclesiæ prædictæ, virtute concessionis et donationis ipsius avi nostri prædictarum, a diu est, ritè extiterit;

Eo quod præfatus episcopus, in terrâ, contra nos guerrinâ, moram trahens, ipsum clericum nostrum ad ipsam ecclesiam, virtute præsentationis prædictæ, hucusque admittere recusavit;

Idem tamen clericus noster, quo minus ipse fructus et proventus, de ecclesiâ prædictâ provenientes, juxta formam concessionis ipsius avi nostri, in hac parte factæ, percipere et habere poterit, ut debebit, per quendam subditum adversario nostro Franciæ, et sibi adhærentem, prætendentem se jus in ecclesia prædicta habere, cum non habeat, nec habere poterit, eo quod eadem ecclesia in collatione nostrâ, ex causa prædicta, in jure coronæ nostræ, per mortem ipsius avi nostri, jure hæreditario nobis devoluto, jam existit, per tui favorem, manutenentiam, et supportationem diversimodè jam de novo impeditus existit, in nostri contemptum et præjudicium, nostrique et coronæ nostræ exhæredationem, ac jurium ejusdem coronæ, ad quorum illæsam conservationem vinculo juramenti, in coronatione nostrâ præstiti, sumus astricti, enervationem manifestam, et ipsius clerici nostri dampnum gravissimum, et contra formam sacramenti tui in hac parte præstiti, et contra ligeantiæ tuæ debitum;

Nos, nolentes, tam nobis quam eidem clerico nostro taliter injuriari in hac parte, quovis modo, et pluries tibi, in fide et ligeantiâ quibus nobis teneris, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteris, districtè injungendo, præceperimus quod præfatum clericum nostrum fructus et proventus ejusdem ecclesiæ, per se et deputatos suos, liberè colligere, percipere, et habere permitteres;

Et restitutionem debitam eidem clerico nostro, de fructubus et proventubus ejusdem, à tempore præsentationis et concessionis, eidem clerico nostro in hac parte factarum, per quoscumque et qualitercumque perceptis, quantum in te est, habere faceres;

Et insuper eidem clerico nostro, super collectione et perceptione fructuum et proventuum ejusdem ecclesiæ, juxta donationem et concessionem ipsius avi nostri prædictas, auxilium, consilium, præberes et favorem, prout deceret, aliquo mandato in hac parte, priùs in contrarium directo, non obstante;

Quoscumque subditos adversarii nostri, et sibi adhærentes, in hac parte inventos arestari et prisonis nostris mancipari, in eisdem moraturos quousque aliud pro ipsorum deliberatione duceremus demandandum, faciens;

Taliter te habens in hac parte, nè jura coronæ nostræ, in tui defectum, deperirent, et nostri rebelles et inimici favorem seu supportationem erga nos seu nostros haberent, et ad te ex hac causâ materiam haberemus graviter capiendi;

Nos verò, in cancellariâ nostrâ Angliæ, de eo quod ad præsens mandatum nostrum duceres faciendum, et de toto facto tuo in hac parte, redderes distinctè et apertè, sub sigillo tuo, citra festum Natalis DOMINI, anno regni nostri secundo, cum transcripto hujusmodi brevis, certiores, ut nos, super gestu tuo in hac parte certiorati, te juxta tui demeritum in hac parte, prout justum fuerit, remunerari valeamus, vel causam nobis significares quare id facere noluisti, vel non potuisti;

Ac tu, spretis mandatis nostris prædictis, præmissa facere, vel causam quare id facere noluisti, vel non potuisti, nobis significare non curaveris, in nostri ac mandatorum nostrorum prædictorum contemptum manifestum, et ipsius clerici nostri dampnum non modicum et gravamen, de quo miramur quamplurimùm et movemur;

Tibi adhuc in fide et ligeantiâ quibus nobis teneris, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteris, districtè injungendo, præcipimus quod præfatum clericum nostrum fructus et proventus ejusdem ecclesiæ, per se et deputatos suos, liberè colligere, percipere, et habere permittas;

Et restitutionem debitam eidem clerico nostro, de fructubus et proventubus, a tempore præsentationis et concessionis, eidem clerico nostro in hac parte factarum, per quoscumque et qualitercumque perceptis, quantum in te est, habere facias;

Et insuper eidem clerico nostro, super collectione et perceptione fructuum et proventuum ejusdem ecclesiæ, juxta donationem et concessionem ipsius avi nostri prædictas, auxilium, consilium, præbeas et favorem, prout decet, aliquo mandato in hac parte, prius in contrarium directo, non obstante;

Quoscumque subditos ipsius adversarii nostri, et sibi adhærentes, in hac parte, inventos arestari et prisonis nostris mancipari, in eisdem moraturos quousque aliud pro eorum deliberatione duxerimus demandandum, faciens;

Taliter te habens in hac parte, nè jura coronæ nostræ, in tui defectum, depereant, et nostri rebelles et inimici favorem seu supportationem erga nos seu nostros habeant, et ad te ex hac causâ materiam habeamus graviter capiendi;

Nos, verò, in cancellariâ nostrâ Angliæ, de eo quod ad præsens mandatum nostrum duxeris faciendum, et de toto facto tuo in hac parte, reddas distinctè et apertè, sub sigillo tuo, in octabis Sancti Johannis Baptistæ proximò futuris, cum transcripto hujusmodi brevis, certiores, ut nos, super gestu tuo in hac parte certiorati, te juxta tui demeritum in hac parte, prout justum fuerit, remunerari valeamus, vel tu ipse sis coram nobis et concilio nostro in Anglia, a die Sancti Michaelis in xv. dies proximò futuros, ostensurus quare mandata prædicta, totiens tibi indè directa, exequi contempsisti; et habeas ibi hoc breve.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Februarii.

Pro baronibus villæ de la Rye.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Claus. 3 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi Thomæ Restwold, firmario suo ballivæ villæ de la Rye, salutem.

Cum ad nos, ad requisitionem dilectorum baronum nostrorum villæ prædictæ, nobis per petitionem suam in præsenti parliamenti nostro suggerentium, ipsos, dictam villam muro de petrâ et calce contra hostiles incursus, qui nuper eandem villam penitùs combusserunt, firmare et claudere incepisse, ipsosque ad consummationem operis illius, absque adjutorio nostro, nullatenus sufficere, de gratiâ nostrâ speciali, de assensu prælatorum et magnatum in eodem parliamento, concesserimus eisdem baronibus, in auxilium operis illius, decem et octo libras annuatim percipiendas, de firmâ nostrâ ballivæ ejusdem villæ, per duos annos

datam præsentium immediatè sequentes, per manus firmarii nostri ejusdem ballivæ pro tempore existentis, ad terminos Paschæ et Sancti Michaelis, per equales portiones;

Et voluerimus dictum firmarium indè erga nos per prædictos duos annos exonerari, prout in litteris nostris patentibus indè confectis plenius continetur; tibi præcipimus quod eisdem baronibus dictas decem et octo libras equis portionibus, ad terminos prædictos per dictos duos annos data præsentium, ut prædicitur, immediatè sequentes, de exitibus ballivæ prædictæ solvas, juxta tenorem litterarum nostrarum prædictarum, et eis inde per dictum biennium intendens sis, et respondens; recipiens à præfatis baronibus litteras suas acquietantiæ, singulas solutiones, quas eis sic feceris, testificantes; et nos tibi indè in compoto tuo ad scaccarium nostrum debitam allocationem habere faciemus.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Februarii.

[*Et erat patens.*]

De temporalibus episcopatûs Artfertensis liberandis.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 2. m. 27. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli consanguineo suo, Edmundo de Mortuo Mari comiti Marchiæ, locum nostrum tenenti in terrâ nostrâ Hiberniæ, vel ejus locum tenenti ibidem, seu Johanni de Bromwych justiciario terræ nostræ prædictæ, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, vacante nuper ecclesiâ cathedrali Artfertensi, per mortem, bonæ memoriæ, Cornelii ultimi episcopi loci prædicti, eidem ecclesiæ de dilecto nobis in CHRISTO, Willielmo electo Artfertensi, nuper decano Carkagensis ecclesiæ, bacallario in decretis, providerit, et ipsum in episcopum loci prædicti præfecerit et pastorem, sicut per literas bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat;

Nos, pro eo quod idem electus omnibus et singulis verbis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, in dictis literis bullatis contentis, purè, spontè, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit, in hac parte præfectionem illam acceptantes, cepimus fidelitatem ipsius electi, et temporalia episcopatûs illius, cum pertinentiis, prout moris est, restituimus eidem;

Et ideò vobis mandamus quod eidem electo temporalia prædicta, cum pertinentiis, unà cum exitibus indè à datâ præsentium, liberari demandetis, habenda in formâ prædictâ; salvo jure cujuslibet.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Februarii.

Per breve de privato sigillo.

Consimile breve dirigitur Roberto Loughtebourgh, escaetori Regis in terrâ prædictâ.

Et mandatum est militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis tenentibus de episcopatu prædicto, quod eidem electo, tanquam episcopo et domino suo, in omnibus, quæ ad episcopatum prædictum pertinent, intendentes sint et respondentes.

De B. de Stapelton custode villæ Calesii constituto.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis capitaneis, castellanis, constabulariis, custodibus castrorum et fortalitiorum, ac fidelibus nostris dominiorum nostrorum Calesii, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Briani de Stapelton, plenius confidentes, constituimus ipsum capitaneum et custodem castri nostri villæ Calesii, à die quo ipse liberationem ejusdem castri primò habuerit, per unum annum tunc proximò sequentem, juxta formam cujusdam indenturæ inter nos et ipsum Brianum indè confectæ.

Et ideò vobis mandamus quod eidem Briano, tanquam capitaneo et custodi castri prædicti, intendentes sitis et respondentes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Februarii.

Liga offensiva et defensiva, conclusa per quatuor commissarios Regis et septem commissarios ducis Britanniæ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

SUR les choses, parlez et tretees parentre messieurs William sire de Latymer, Guy de Brien, baneretts, Richard le Scrop chivaler, et mestre Johan de Shepeye docteur en loys, procurers de tresnoble et trespuissant prince, Richard Roy d'Engleterre et de France, d'une part; et monsieur Johan sire de Beaumairers, monsieur Estephien de Guyon, monsieur Eustace de la Honsaye, Matheu Ragonel, Johan Valeys, Johan de la Chapel, et Richard Clerk, procurers et messages de noble et puissant seigniour, Johan duc de Bretaigne, conte de Rychemond et de Montfort, d'autre part, est apointez et accordez parentre les ditz procureurs et messages, eiantz a ce poair, en noun de leur seignurs, en la manere qui ensuit,

Primerement, que le dit duc, ses heirs, et touz ses subgitz et obeissantz, qi ore sont, ou en apres serront de la duchee de Bretaigne, et de toutes ses autres seignuries, serront desore a perpetuite vrais amys et alliez a trespuissant prince Richard, par la grace de DIEU, Roy d'Engleterre et de France, et a ses heirs Roys d'Engleterre, et a roiaume d'Engleterre, et a touz ses autres seigneuries et obeissantz, encontre touz ceux qi purront vivre et morir;

Et, par especial, encontre celui qi ore est, ou pur le temps a venir serra adversaire au dit Roy, ou a ses heirs, en la royaume de France, et contre les heirs, et touz les amys, aidantz, et adherantz du dit adversaire:

Et auxi contre touz altres de quele estat, dignite, ou condition qu'ils soient, qi ore sont, ou en apres serront, enemys a dit Roy, ses heirs, et a dit royaume d'Engleterre, et ses altres seigneuries queconques; excepte nostre piere le Pape.

Et, en mesme le manere, le dit Roy, ses heirs, et touz ses subgitz et obeissantz, qi ore sont, ou en apres serront, serront desores a perpetuite vrays amys et alliez au dit duc, ses heirs, et a son dit paiis de Bretaigne, et a touz ses autres seignuries, et obeissantz, encontre le dit adversaire de Fraunce, et encontre touz autres, de quiele estat, dignite ou condition q'ils soient, qi ore sont, ou en apres serront enemys au dit duc, ses heirs, ou a son paiis de Bretaigne, et autres seigneuries queconqes; excepte nostre seint piere le Pape:

Et, desore en avant, le dit Roy, et ses heirs, et subgitz tendra et tendront les enemys du dit duc, et de ses heirs, les siens et les leurs; et le dit duc, et ses heirs, et subgitz tendront les enemys du dit Roy, et de ses heirs, les siens et les leurs semblablement:

Et soeffrera, et soeffreront, le dit Roy, et ses heirs, qi leurs hommes, subgitz, et alliez aillent ou socours du dit duc, ses heirs, subgitz, et alliez qant requis en serront; et, semblablement, serront le dit duc, ses heirs, et subgitz, devers le dit Roy, et ses heirs, et subgitz.

Item, que nul des enemys du dit Roy, par especial de France, ou autres, de quiel estat, dignite, ou condition q'ils soient, ne serront par le dit duc, ne par aucuns de ses subgitz et obeissantz de Bretaigne, favorez ne confortez, ne en dit paiis de Bretaigne receptez ne recuilliz, par mere ne par terre, pur faire guerre, ou porter damage au ditz Roy, ses subgitz et alliez, si avant come le dit duc, ses heirs, subgitz, et alliez les purront, a leur loial poair, destourber; ainsi serront le dit duc, ses heirs, et subgitz tenuz a faire devers les ditz enemys, come a leurs enemys propres; et, par semblable manere, le dit Roy, ses heirs, et subgitz serront tenuz a faire as enemys de dit duc, de Fraunce et autres quelconques:

Et purront les nobles, marchantz, et autres des paiis et seigneuries des ditz Roy et duc, et de leur heirs, converser et demourer les uns ove les autres, come bienveillantz, amys, et alliez; paiantz les custumes et devoires au dit Roy, et au dit duc, et autres, come il appertendra.

Item, que null des subgitz, obeissantz, et attendantz du dit duc de Bretaigne, ne de ses ditz heirs, qi sont, et serront, ne serront desore ovesque le dit adversaire de Fraunce, ne ovesque aucuns autres ennemys du dit Roy, ne de ses heirs, ne as ditz adversaires et ennemys aidantz ne confortantz, encontre le dit Roy, ses heirs, ne le dit roiaume d'Engleterre, si avant come le dit duc, et ses ditz heirs, subgitz, et obeissantz les purront empescher; cessant tout fraude;

Et, si aucuns des subgitz et obeissantz du dit duc, ou de ses heirs, ent face le contraire, q'il soit puny solonc le custume du paiis, sans dissimulation, fraude, ou mal engin; et semblablement serra de touz les subgitz et obeissantz du dit Roy, et ses heirs, envers le dit duc et ses heirs.

Item, si le dit Roy passe, en sa personne, ou envoie ses gentz, devers les parties dela la mer, pur aler en Fraunce, Guyen, ou aillours, le dit

duc, ses heirs, et touz les subgitz et obeissantz de lui, et de ses ditz heirs, serront tenuz a receviour et recuillir amiablement, par mier et par terre, le dit Roy et ses ditz gentz, et les conforter et refrescher des victailles, vivres, et autres choses qui lour besoigneront, pour lour deniers: Et aussi de les soeffrer, franchement et amiablement, passer parmy son dit paiis de Bretaigne, et a ses autres seigneuries, en alant, demorant, sojournant, et retournant, et estre logez et recuillez curtoisement en ses villes et forteresces, la ou ils averont a passer, coms amys et bienveullantz, sanz destourbance ou empeschement, toutes les foitz qui ils y vendront et vorront passer; paiant resonablement pur lour vitailles, vivres, et autres necessaries q'ils prendront: en savant au dit duc la seurte des ses ditz chasteux, villes, et forteresses, et de celles de ses barons, subgitz, et alliez; et, en mesme le manere, le dit Roi, ses heirs, et touz ses lieges et obeissantz, serront tenuz a faire au dit duc, et a ses gentz, toutes les foitz q'ils vendront et averont a passer par son dit roiaume d'Angleterre, ou autres de ses seigneuries et paiis.

Item, que le dit duc, ne ses heirs, ne ferront, ne prendront paix, trieus, abstinences de guerre, ne autre traitie, ne alliance queconque ovesque le dit adversaire de Fraunce, ne autre enemy du dit Roy, ou de ses heirs queconque, en prejudice ne au contraire de cestes alliances, sans accorde et consentement expres du dit Roy, ou de ses heirs: Et en touz les traities et accordances de paix, trieues et abstinences de guerre, ou autre traitie ou alliance queconque, que le dit Roi et ses heirs ferront ou prendront ovesque le dit adversaire, ou autre de ses ditz enemys, le dit duc serra compris et appellez, et lui, et son paiis, et touz ses heritages, et de ses subgitz et alliez, tenantz la partie des ditz Roy et duc, et de leur heirs, et les honeurs, droitures, libertees, nobelescez, seigneuries, et jurisdictions, et l'estat de lui, et de ses subgitz, et de son dit paiis, serront expressement compris, et en touz choses savez et gardez, deliverez et reservez, aussi entierment come ils estoient en temps de lui et du bon duc Johan son uncle, et les heritages de son piere et mere, et leur mys delivere; et autrement la paix ne se ferra nullement sanz l'assent et accord du dit duc, et ses heirs, esteantz en lour franche volente; purveu toutefoitz que, quant as trieues et abstinences de guerre particuleres, l'une partie les purra prendre, sanz l'assent de l'autre, a durer par xl. jours tant soulement:

Et en cas que le dit adversaire de Fraunce, ou ses heirs, vorroit, ou vorroient faire guerre au dit duc, ou a ses heirs, subgitz, ou alliez avantditz, en ascun temps, le Roy et ses heirs, subgitz et alliez, sont et serront tenuz a les eider et socure en perpetuite, come bons et vrais amys et alliez; et semblablement ferront le dit duc, ses heirs, subgitz et alliez, au dit Roy, ses heirs, subgitz et alliez.

Item, toute la duchee de Bretaigne entierment, et touz les forteresces qi y sont et serront faitz, conquises, et a conquerre, ovesque les terres et forteresces qi sont a lui, ses subgitz et alliez, hors la duchee, qi feuront en la possession des ditz subgiz et alliez puis c. anz, sont et serront a dit duc, ses ditz subgiz et alliez, tenantz overtement la partie des ditz Roy et duc, et de lour heirs, come dessus, sans ce qui le dit Roy, ses heirs, subgiz et alliez le puissent debater en nulle manere:

Et yceux, conquis par aucuns des subgiz ou alliez du dit Roy, les leur mettre le dit Roy, et ferra mettre a delivre de lui, et ses subgiz et alliez, a la mayn d'iceux, a qi ils appertient et doivent appertenir, quant requis en serra, sanz les pooir occupier, ne faire occupier par lui, ses subgiz, ne alliez; paiant pur ceux, as queuz les ditz forteresces serront restituz, les custages, faitz pur la prise et gard des ditz forteresces, a ceux qi les prendront, a la gard de dit duc de Bretaigne, quant as forteresces qi serront pris dedeinz sa duchee;

Et semblablement serront restituez les forteresces, terres et possessions des subgiz, alliez du dit Roy, qi serront pris ou conquis par le dit duc, ses subgiz, ou alliez, paiant aussi les costages a la garde du dit Roy, ou de ses heirs, ou de leur lieutenantz, quant a les forteresces qi pris serront hors de la dit duchee;

Sauf les forteresces de la dame de Ponteuer en le viscontee de Limoge, et les forteresces de le viscont de Roan en Normandye, dont les costages serront paiez a la gard du dit duc;

Purveuz toutefoitz qe les villes, chasteux, forteresces, terres, et possessions, qi serront conquis du propre heritage et domaigne des ditz Roy et duc, quel part q'ils soient, serront franchement deliverez as ditz Roy et duc, et leurs ditz heirs, a chescun le sien, sanz rien paier;

Et soubz ceste article ne sont compris la ville et chastel de Brest, pur ceo qe entre le Roy et le duc est, et ad este, trete et accorde, paravant ces heures.

Item, en droit des paiis et forteresces, qi serront conquis en roiaume de Fraunce par le dit Roi et ses gentz, et par le dit duc et les siens, les rampsons et patiz, qi primer les purra faire, sanz fraude et mal engin, par constreinte des ditz forteresces, et perfesant guerre hors d'iceux, serront et demoreront a ceux qi primerement conqueront les rampsons et patiz:

Et vaudront et serront tenuz, d'une et d'autre partie, les saufconduitz, que le dit Roy, le dit duc, et chescun de leur capiteins et chevetains, tenantz les ditz forteresces, doneront quant as ditz rampsons et prisoners, sanz les enfraindre en ascun manere:

Et, si debat soit sur les ditz rampsons, il serra determinee par le dit Roy, ou par son lieutenant, conestable et mareschal de l'ost, qi serront pur le temps; dont l'un mareschal serra depute par le dit duc:

Et la conquest des forteresces et paiis, qi se ferra en Fraunce, et aillours, hors d'Aquitaigne, Pontieu, et la marche de Caleys, et excepte le domaigne et patrimonie du Roy et de la corone de Fraunce, et del' patrimonie de seint esglise, queu part q'ils soient, et les terres, heritages et droitz de ses subgiz, obeisantz, et alliez, es queux ils furent en possession puis c. anz dernierement passez, serra a qi les conquera, fesant au Roy d'Engleterre obeissance et autres devoirs, qi a lui appartendront, come a Soverein et Roy de Fraunce.

Item, si le Roy, ou ses lieutenantz, passent par la duchee de Bretaigne, en esteant de guerre, le dit Roy, ses lieutenantz, et officiers averont la jurisdicion, conoissance, et punissement, en tous cas, de touz les gentz et subgiz du dit Roy deinz l'ost, sanz ceo qu'il tourne a prejudice du dit duc, ne ses heirs, ne des franchises et custumes de son dit paiis, en temps a venir; et par semblable manere le dit duc, et ses officiers conoistront et serront juges de leur gentz: et en tous cas, deliz, et forfaitz, qi serront faits en la duchee de Bretaigne, dedeinz ville ou forteresces, et aillours, hors de la jurisdiction et governance del' host, de quelque nation q'ils soient, le dit duc et ses subgiz en serront juges et feront la punicion, solonc les usages et custumes de paiis:

Et, s'il avient qe ceux, qi tendront la partie du dit adversaire, preignent ascuns des subgiz et alliez du dit Roi, ou de dit duc, et en face punicion corporele; par semblable manere ferront le dit Roy, et le dit duc, a ceux qi serront pris de la partie du dit adversaire, de quile estat ou condicion q'ils soient, et a quelconqes q'ils soient prisoners.

Item, qe en duchee de Bretaigne ne serront imposes rampsons, patiz, n'autres subvencions, fors par l'ordenance du dit duc; et semblablement ne serront faitz ne imposes rampsons, patiz, ne autres subvencions en la principautes d'Aquitaigne, Pontieu, ne en la marche du Caleys forsque par l'ordenance du dit Roi:

Et sont et serront les honeurs, et estatz, noblesces, franchises et libertees du dit Roy, et les usages et custumes de touz ses paiis reservez et gardez entierment;

Sauf et excepte qe, qe si le dit Roi d'Engleterre, ou ses heirs, veinent a la possession de la corone de Fraunce, le dit duc, ne ses heirs, ne serra, ne serront tenuz a leur faire homage, ne obeissance, en ascun temps, pur la dite duchee de Bretaigne;

Et sont et serront les honeurs, estatz, nobelesces, franchises, libertees du dit duc, et de ses subgiz, les usages et custumes de son paiis reservez entierement.

Et, a tenir fermement, et accomplir toutes les choses susditz, en le manere qui dessuis sont traitiez et accordez, les dessusditz procureurs, d'une part et d'autre, pur et en noun de lour ditz seignurs, pur tant que a chescun de eux touche et appertient, ou poet toucher et appertenir, ont promis, et par ces presentes lettres promettent loyalment et en bone foy les tenir sanz faintisie ou mal engin aucun.

Et, en oultre, est accorde et assentu, par les ditz procureurs, d'une parte et d'autre part, que les ditz Roy et duc feront et donront, l'un a l'autre lour lettres suffisantes, a faire desous leur grantz seelx, des alliances, amistes, et de toutz les pointz et articles dessus traitiez et accordez:

Et qe les prelatz, grantz et autres nobles, sibien du royaume d'Engleterre, come de Bretaigne, jureront et promettront a garder, tenir, enteriner, et accomplir les dites alliances, amistes, pointz, et articles et quelconque compris est en ycelles, et que a les ditz lettres, ensi a fere par les ditz Roy et duc, come dessus, mettront lour sealx.

En tesmoingnance des quelles choses suisdites les avantditz procureurs et messages du dit duc ont a ces presentes mys lour sealx.

Don' a Westm', le primer jour de Marcz, l'an de Grace mill' troiscentz septante et noef.

Sub sigillis septem procuratorum ducis Britanniæ, cerâ rubeâ expressis.

De S. de Neuton custode castri de Hammes constituto.

A. D. 1380.—An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti nobis Simonis de Neuton armigeri, pleniùs confidentes, constituimus ipsum custodem castri nostri de Hammes, quamdiu nobis placuerit, percipiendo pro custodiâ illâ juxta formam cujusdam indenturæ indè inter nos et ipsum Simonem confectæ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Marcii.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro scolaribus Aulæ Regis Cantebrigiæ ordinationes.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 2. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Etsi Rex pacificus, piâ consideratione, sibi subditos pudicos fore disponat, pacificos, ac modestos; effrænata tamen humanæ creaturæ fragilitas, ad malum naturaliter ab adolescentia *proclivis, abstinere* nesciens a vetitis, faciliter labitur ad delicta: undè necesse est ut ejus conatus legis oportunæ suffragio, reprimantur; ideoque providi patres leges et constitutiones ediderunt, ut appetitu noxio sub juris regulâ coartato, ad obediendum DEO et ejus mandatis, honestè vivere homines informentur.

Sanè cùm dominus Edwardus, bonæ memoriæ, nuper Rex Angliæ, avus noster, ad honorem DEI, et pro salute animæ suæ, ordinasset quoddam collegium, de uno custode et triginta et duobus scolaribus, in universitate Cantebrigiæ, in quodam manso, quod Aulam Scolarium Regis vocari fecit, perpetuis temporibus duraturum;

Nos, volentes ut in aula prædicta scolarium vita et conversatio quieta sit, et DEO grata, inspicientibusque placita, pudicitiæ claritate morumque gravitate suffulta, regulam ac normam vivendi et conversandi, in societate aulæ prædictæ, sub eo qui sequitur tenore, quousque indè aliud duxerimus ordinandum, tradidimus observandum;

Inprimis, videlicet, statuimus et ordinamus quod in aula prædicta *Superior sit*, qui custodis nomine nuncupetur, cui omnes, tam scolares ejusdem aulæ, quam eorum famuli, in licitis et honestis ac canonicis mandatis, obediant et intendant:

Custos verò aulæ prædictæ, qui nunc est vel qui pro tempore erit, juramentum præstet corporale, quod officium suum fideliter faciet in administratione et regimine dictæ domûs.

Item, quod præfati custos et scolares habeant cistam communem cum tribus seruris firmatam: cujus una clavis præfato custodi, et duæ aliæ claves duobus sociis, per scolares prædictos singulis annis ad hoc eligendis, tradantur; qui senescalli aulæ prædictæ nuncupentur:

In qua verò cista sigillum commune et liber expensarum dictæ domûs reponantur:

Singulisque septimanis vel quindenis, nisi ulteriùs differatur, præfatæ expensæ in dicto libro inscribantur; et nichil cum dicto sigillo *signetur*, nisi de consensu custodis et majoris et sanioris partis collegii.

Item, quod cameræ per ordinationem custodis assignentur, et in *eisdem* socii copulentur, ac ex causis rationabilibus, cum ipsi custodi videbitur expedire, de eisdem cameris transferantur:

Singulis verò diebus Dominicis, nisi ex causa in alium diem differatur, scolares prædicti, in villa præsentes, in eadem secta, si talem habeant, vestiti simul conveniant, missam peculiarem pro animabus dominorum Edwardi quondam Regis Angliæ proavi nostri, ac Edwardi nuper Regis Angliæ avi nostri, necnon pro anima patris nostri, ac etiam pro salubri statu nostro et regni nostri, devotè facientes celebrari: eidem etiam missæ præfatus custos, cùm sibi vacaverit, interesse teneatur; nec liceat alicui dictorum scolarium à dicta missa, absque licentia dicti custodis, aut ejus vices gerentis, se absentare, exceptâ causâ infirmitatis.

Item, habeant præfati custos et scolares mensam communem, horis competentibus, simul epulantes decenter et honestè:

Si qua verò verba inter se tunc proferant, secundum *ordinationem* et moderationem dicti custodis, seu ejus vices gerentis, Latinâ linguâ aut saltem Gallicâ tunc utantur:

Nullique scolarium prædictorum seorsum, in cameris privatis, nisi custodis, seu ejus locum tenentis, ipso absente, optentâ licentiâ, infirmitatis necessariâ causâ dumtaxat exceptâ, de sumptibus seu expensis communibus dictæ domûs prandere aut cænare præsumant:

Quantum verò ad gentacula, dictis scolaribus ministranda ordinatione dictorum custodis et senescallorum volumus observari:

Provideatque custos prædictus, de consensu dictorum senescallorum, servientes, ad obsequia et servitia dictæ domûs et scolarium prædictorum necessarios, quibus de communi salaria ministrentur; ita quod extravagantibus *seu extraordinariis* famulis aula prædicta nullatenus oneretur.

Statuimus, insuper, quod omnes et singuli scolares aulæ prædictæ præfato custodi, ac ejus vices gerenti, ipso absente, in licitis, et honestis, ac canonicis mandatis, honestatem scolasticam, utilitatem, seu quietem dictorum scolarium et *domûs* prædictæ *concernentibus*, obedientes et intendentes existant; præstito, super hoc, dicto custodi, à *singulis* scolaribus aulæ prædictæ, juramento corporali:

Quòdque nullus scolarium prædictorum impediat, seu per alium impediri faciat, quo minus custos prædictus officium suum, in administratione et regimine dictæ domûs, liberè valeat excercere:

Si quis verò scolarium prædictorum contrafecerit, nisi, ad mandatum dicti custodis, à tali impedimento desistat, trinâ vice monitus, à perceptione exhibitionis nostræ in aula prædicta, quousque à tali impedimento cessaverit, custodis judicio suspendatur.

Item, præfati scolares sustentationis beneficium in aula prædicta percipiant *quamdiu erga superiorem obedientes, cum suis sociis* pacificè, tollerabiliter, et modestè se gesserint, ac in regimine sui moribus se laudabiliter habuerint et honestè:

In cameris verò præfati scolares, absque strepitu et impedimento sociorum studentium, conversentur, studio diligenter adhærentes:

Nisi infirmitas aut senectus eos excusaverit, scolas frequentent, lectiones ordinarias audiant vel legant, prout *statuta exigunt universitatis:*

In quacumque facultate, post gramaticam, *studentes fuerint*, antequam inceperint in eadem, absque ordinatione et licentia custodis, se non transferant ad aliam facultatem:

Bacularii verò, cujuscumqûe facultatis, in villa præsentes, inceptoribus solummodò exceptis, repetitionibus disputationibusque publicis doctorum et magistrorum suæ facultatis, solâ infirmitatis causâ dumtaxat exceptâ, in habitu decenti, interesse teneantur; nisi custos prædictus, aut ejus vices gerens, ipso absente, eorum absentiam habuerit excusatam.

Item, scolares prædicti tabernas absque rationabili causâ non excerceant:

De negotiationibus, alias clericis de jure inhibitis, se non intromittant:

Canem, vel canes, infra mansum prædictum, nullo modo retineant:

Præsentes *in villa*, extra mansum proprium, absque causa *rationabili*, et optentâ custodis, vel ejus vices gerentis, licentiâ, non pernoctent:

Extraneos verò vel propinquos, ad morandum inter ipsos, absque licentiâ dicti custodis, non introducant:

Garciones infra mansum prædictum nullo modo retineant, nisi pro eorum expensis, singulis septimanis, juxta ordinationem custodis, pro tempore quo sic steterint, dictæ *comitivæ* satisfaciant:

Extra universitatem prædictam, absque dicti custodis, aut ejus vices gerentis, licentiâ, nullus dictorum scolarium se absentet; si verò, de licentia custodis, vel ejus vices gerentis, aliquis scolarium prædictorum absens fuerit, extra universitatem prædictam, pro sua causa singulari, statuimus quod pro tempore, quo sic absens fuerit, nichil commodi ab aula prædicta, seu custode aulæ prædictæ, vendicare poterit aut debebit; commodum verò hujusmodi absentiæ, seu hujusmodi absentiarum, in reparationem et emendationem domorum aulæ prædictæ integraliter convertatur.

Hoc etiam de scolaribus, admittendis in aulam prædictam, volumus observari, videlicet, quod, virtute alicujus mandati nostri, dicto custodi directi, seu imposterum dirigendi, ultra numerum scolarium, in fundatione eorumdem taxatum, nullus de cætero admittatur, nisi in ipso mandato nostro, dicto custodi sic dirigendo, pro aliquo scolari sic admittendo, etiam ultra numerum prædictum, mentio fiat specialis:

Et quod admittendus de cætero, infra numerum prædictum, bonæ conversationis sit, et honestæ ætatis quatuordecim annorum vel ultra; de quo *volumus quod præfato custodi fidedignorum testimonio, fiat fides;* quodque talis, sic admittendus, in regulis gramaticalibus ita sufficienter sit instructus, quod congruè in arte dialecticâ studere poterit, seu in aliqua alia facultate, ad quam præfatus custos, post examinationem et admissionem ejus, duxerit illum deputandum.

In arduis negotiis et magnis dictæ domûs præfatus custos, sine consensu omnium sociorum, vel majoris partis eorum, nichil attemptet; *in aliis* verò negotiis ejusdem domûs custos prædictus ordinet et disponat, prout utilitati domûs prædictæ melius viderit expediri.

Item, statuimus quod nullus scolarium dictæ aulæ repasta privata, de sumptibus seu expensis communibus dictæ domûs, capere præsumat, nisi qui sic acceperit, pro hujusmodi repastis, secundum ordinationem dicti custodis, plenariè satisfaciat comitivæ: si quis verò scolarium prædictorum contrafecerit, aut ordinationi dicti custodis cum effectu parere noluerit, trinâ monitione præmissâ, à perceptione exhibitionis nostræ in domo prædictâ, quousque parere *voluerit*, custodis judicio suspendatur.

Item, statuimus si, per custodem, facta convocatione scolarium prædictorum, in dicta universitate tunc præsentium, contingat aliquem seu aliquos de scolaribus prædictis, per custodem et majorem partem comitivæ tunc præsentis, ad aliquod officium, concernens utilitatem communem domûs prædictæ, seu ad aliqua ipsius domûs negotia prosequenda, eligi, nominari, aut deputari, quod non liceat sic electo, nominato, aut deputato, seu sic electis, nominatis, aut deputatis, onus electionis, nominationis, aut deputationis hujusmodi, absque causa rationabili, quam custos prædictus duxerit acceptare, quomodolibet recusare: statuimus sic prosecuturo, aut prosecuturis, negotia communia dictæ domûs de communi ministrandis; hoc etiam statuentes quod quiscumque *scolarium* prædictorum, sub forma prædicta, ad officium sic electus fuerit, et per custodem admissus, juramentum præstet corporale dicto custodi, quod benè, et fideliter, ac diligenter, in officio suo, administra*bit* pro commodo communi domûs prædictæ.

Item, statuimus quod senescalli aulæ prædictæ, ac etiam procuratores ecclesiarum, dicto collegio appropriatarum, de pecunia communi, nichil disponant vel solvant, absque licentia et auctoritate dicti custodis, vel ejus vices gerentis, ipso absente, et de administratis per eosdem fidelem compotum reddant dicto custodi, saltem semel in anno; et super hoc præfato custodi corporale præstent juramentum.

Item, quod, si quis scolarium dictæ aulæ religionem intraverit: vel de cætero beneficium ecclesiasticum, secundum *verum* valorem annuum, decem marcarum effectualiter et pacificè fuerit assecutus: vel in temporalibus possessiones, pensiones, aut redditus, centum solidos, secundum veram æstimationem, annuatim valentes, adeptus fuerit; statim, post elapsum unius anni: si verò *beneficium*, sic adeptum, ad valorem quadraginta librarum annuatim se extendat; tunc statim, anno minimè expectato, à dicta aula penitùs sit exclusus:

Illud idem de eo, qui ab aula prædicta, animo studium deserendi, recesserit, seu, in ipsa domo manens, cessante causâ rationabili, quam custos prædictus duxerit acceptare, studere neglexerit, nisi ad monitionem dicti custodis se emendaverit, volumus observari.

Item, quod nullus scolarium prædictorum, postquam ignitegium pulsatum fuerit apud ecclesiam Beatæ Mariæ in villa, extra mansum proprium, absque causa *rationabili, se absentet; et quod portæ* prædicti mansi, per singulas noctes, clavibus et seruris firmentur et claudantur.

Item, quod nullus dictorum scolarium, infra universitatem prædictam, indies vel consuetudinariè, basilardum portet, seu aliquem alium cultellum, statui clericorum indecentem.

Item, quod nullus scolarium prædictorum arcu, fistulâ, aut balistâ infra mansum prædictum uti præsumat, nec alio quocumque ludo, scolaribus inhonesto, aut collegio nostro dampnoso vel nocivo.

Item, quod nullus dictorum scolarium, contra honestatem clericalem, sotularibus utatur rostratis, post unius mensis decursum, à tempore notitiæ istius statuti sibi communicandæ.

Item, quod quilibet scolarium prædictorum de liberatura sua, sibi fieri faciat robam talarem, decentem et honestam pro statu clericali: et, si bacularius fuerit, robam cum tabardo, gradui suo competentem, de prædicta liberatura, sibi faciat ordinari.

Statuimus insuper, quod custos aulæ prædictæ, qui nunc est, et qui pro tempore fuerit, præsens in eadem, sustentationem sive alimentationem percipiat cotidianam, pro se et famulo suo, in aula prædicta, de sumptubus seu expensis communibus dictæ domûs eodem modo quo alii custodes ejusdem aulæ, prædecessores sui, melius percipere consueverunt.

Item, quod senescalli, singulis annis eligendi, in aula prædicta, ad regimen expensarum commensalium, postquam electi fuerint, et per custodem admissi, juramentum præstent corporale dicto custodi, quod circa eorum officia diligentiam adhibebunt: et, secundum eorum possibilitatem, unanimiter adjuvabunt quod expensæ commensales, singulorum scolarium, singulis septimanis, summam quatuordecim denariorum nullatenus excedant;

Illis septimanis exceptis, in quibus festa principalia vel etiam majora duplicia contigerit evenire, necnon illis exceptis, in quibus, pro honore collegii conservando, vel etiam ratione parcitatis et caristiæ victualium, custos prædictus, aut ejus vices gerens, ipso absente, aliter duxerit fore statuendum.

Item, statuimus quod, quamdiu et quotiens custos prædictus, ratione officii custodis, de vadiis receptis, nomine scolarium prædictorum, compotum ad scaccarium nostrum reddere teneatur, tamdiu et totiens expensæ, per ipsum custodem rationabiliter factæ, circa dictum compotum fideliter reddendum, eidem custodi de communi ministrentur ac fideliter allocentur:

Hoc etiam statuentes quod custos prædictus, super felici regimine aulæ prædictæ, dictorumque scolarium, pro majore parte anni inibi trahat moram; nisi ex causa rationabili ipsum abesse contigerit; et quod aliquis scolaris aulæ prædictæ, de communi assensu ipsorum custodis et scolarium deputandis, ut locum tenens ipsius custodis, ad negotia forinseca, dictam aulam tangentia, prosequenda et expedienda sit intendens.

Item, quod quilibet scolarium prædictorum, dùm in universitate prædictâ præsens extiterit, in tribus processionibus generalibus, quæ fiunt per universitatem, pro statu universalis ecclesiæ, atque Regis, et regni, in liberatura sua, secundum exigentiam sui statûs, decenter et honestè intersit; exceptâ causâ infirmitatis, vel nisi custos prædictus, aut ejus locum tenens, ipsius absentiam habuerit excusatam.

Quod, si aliquis dictorum scolarium in studio non proficiat, cessante causâ rationabili, quam custos prædictus duxerit acceptare, vel rixosus, vagabundus, aut criminosus, seu temerarius in alium etiam quam custodem percussor extiterit, in primo transgressu notabili, de quo per testes idoneos, aut alio modo legitimo, coram dicto custode, assidentibus secum sex de majoribus gradu dictæ domûs sociis, summariè fuerit convictus, tunc per eosdem corrigatur et puniatur pœnâ suspensionis, à perceptione exhibitionis nostræ, in domo prædictâ, per certum tempus, juxta arbitrium eorumdem, secundum qualitatem et quantitatem delicti moderandum; in secundo transgressu pœna duplicetur; in tertio transgressu triplicetur; in quarto vero transgressu quadruplicetur; vel, si incorrigibilis videatur, tunc, judicio custodis et majoris et sanioris partis scolarium prædictorum, à dictâ domo totaliter ammoveatur:

Si quis verò scolarium prædictorum, ausu temerario, adversum custodem dictæ aulæ animo ei nocendi, cultellum extraxerit, aut in ipsum custodem, quod absit, manus injecerit violentas, seu quocumque alio modo illicito dicto custodi nocere ac dampnum corporale ei infligere conatus fuerit, aut fieri procuraverit per se vel per alium, siquidem de hujusmodi delicto, nequiter perpetrato, etiam per unicum testem fidelem, unà cum juramento custodis, liquido constiterit, statuimus quod pro hujusmodi commisso taliter delinquens, ab omni emolumento aulæ prædictæ, ipso facto, pro perpetuo sit privatus.

Item, hoc pro articulo regulæ duximus interserendum; quod, si contingat aliquem de scolaribus dictæ aulæ, in forma prædicta, ex culpa sua, à dicta domo ammoveri pro restitutione impetrandâ, ad nos per se, vel per alium, preces porrigendo, ulterius non instabit; et, ad istum articulum fideliter observandum, scolares prædicti specialiter jurentur, ac etiam, de cætero, quilibet admittendus, in suo ingressu, specialiter juretur.

Si autem inter scolares prædictos aliqua dissensio fuerit suborta, nisi inter se, sociis mediantibus, infra triduum poterit sedari, tunc custos prædictus, cum sex sociis dictæ domûs, majoribus gradu, ex præsentibus, pro concordiâ in hac parte faciendâ, secundum quod eis videbitur secundum Deum et justitiam faciendum disponere et ordinare procuret; et, quod ipse custos præfato modo duxerit ordinandum, absque contradictione observetur: quod si pars alterutra hujusmodi ordinationi parere neglexerit, a perceptione cujuscumque emolumenti, in dictâ domo, quousque parere voluerit hujusmodi ordinationi, penitùs excludatur.

Statuimus insuper quod quilibet scolaris dictæ aulæ præfato custodi juramentum præstet corporale, quod præmissa statuta omnia et singula, benè, et fideliter, ac, pro posse suo, effectualiter observabit, ac etiam juvabit, quatinus in eo est, ut debita fiat executio prædictorum statutorum contra transgressores eorumdem; et hoc idem juramentum quilibet scolaris, de cætero admittendus, custodi dictæ aulæ, in primo suo ingressu, præstabit.

Volumus etiam quod ista statuta, trinâ vice, singulis annis, ut eorum notitia pleniùs habeatur, inter scolares aulæ prædictæ publicè perlegantur.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', v. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

Pro Rege Castellæ, de monetâ cudendâ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Vascon. 3 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Volentes, carissimo avunculo nostro Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lancastriæ, ob affectionem quam ad personam suam gerimus et habemus, gratiam facere specialem, dedimus et concessimus eidem avunculo nostro auctoritatem, privilegium, et potestatem specialem quod ipse, à primo die Augusti proximò futuro usque ad finem duorum annorum proximò sequentium plenariè completorum, cudi et fabricari facere possit, in civitate Baionæ et Aquen' vel alio loco ubi voluerit in senescalcia Landarum, monetam de auro et argento et alio metallo, de quocumque cuneo, allaiâ, et talliâ, prout sibi placuerit, excepto de Anglia et Aquitania, per manus Pelegrini de Ser, vel alterius quem per ipsum avunculum nostrum, vel deputatos suos, ordinari vel deputari contigerit in hac parte;

Volentes quod proficuum, indè proveniens, eidem avunculo nostro remaneat et totaliter applicetur.

In cujus, &c. usque ad finem dictorum duorum annorum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Martii.

Per ipsum Regem et concilium.

De processu in curia militari, super castro Sancti Salvatoris Gallicis tradito.

A. D. 1380. An 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric II. p. 2. m. 18. Sced. annex. in Turr. Lond.

PAR devant le seigneur Filz Walter, lieutenant de monsieur le conestable d'Engleterre seant a Westmonstier, ove diverses sages du conseil, le Mescredey le viii. jour de Marce, l'an du nostre seigneur le Roi Richard avantdit, vient monsieur Johan Annesley, et presenta un bille, encontre Thomas Catreton, sur le tenour q'ensi suit;

Devant vous, mes seigneurs, les conestable et mareschal d'Engleterre, Johan de Annesley chivaler, heriter del tierz partie del chastel et le seignurie de Seint Savours en Normandie, par le droit de Isabelle ma femme, un des heirs de monsieur Johan Chandos, qui Dieux assoille, n'adgairs viscont et seigneur du dit chastell et seigneurie;

Du quel tu, Thomas de Catreton, esteant gardeyn du dit chastell, trestast et accordast, ovesque les Franceys, pur deliverer a eux l'avantdit chastell du Seint Savours, acceptant certeine somme d'ore;

Ensi que par te, Thomas de Catreton, par la tretie, et par ton acorde, le dit chastell de Seint Savours mavoisement, fausement, et tretrousement fuist delivre en les maynes les gentz de France, a grant damage nostre seigneur le Roi, et del roialme d'Engleterre, et en dishereteson de moy, Johan d'Annesley, par le droit de Isabelle ma femme susdite;

Et ceo jeo suy prest de proever, par mon corps, come la loie d'armes demande;

Requirant a ceste noble courte qi, si jeo puisse proever mon entent encontre le dit Thomas de Catreton, qui de la dite disheretison, ovesques mes coustages et damages, vous me facez dendamager sur le dit Thomas et pleinement amender;

Protestation faite de plus dire, et escrivre, et plus declarer, qant bon me semblera, en vostre noble courte;
Et getta sa gant a gage, en la courte :

A quele bille Thomas Catreton respondist que, en ceo que vous ditez que jeo deliveray le dit chastell fausement, maveisement, et traitrousment, jeo dis que tu, Johan, mentez fausement et maveisment;
Et cella jeo defendra, par mon corps, et par ma mayne droit, ove l'eide de Dieux;
Et getta sa gage en courte, en sa diffense et de pursuire sa bille tanque au fine d'ycelle, et de satisfier tout ceo qui loie et resone voet.

Monsieur Johan Annesly chivaler, appellant, trova pleges monseur Roger Bellers, monsieur William Frank, chivalers, Esmon Gramory et Thomas Foulgam, esquiers, et que ne serra assentant, ne consentant, a faire ne dire nulle despit a Thomas de Catreton, ne as nulls des soens, autrement que la loie voet;
Et, en mesme la manere, Thomas Catreton, defendant, trova pleges, monsieur Johan Lovell, monsieur Hugh Hastynges, monsieur Magh' de Redman, et monsieur William de Melton, chivalers,
Et, sur ceo, le jug ajourna les ambes parties, appellant et defendant, de venir le Vendirdy proschein, et oier sa volente de la cause avauntdite.

LE Vendirdy, le x. jour de Marce, l'an du regne nostre seigneur le Roy Richard, second puis le conqueist d'Engleterre, tierz, seant en jugement a Westmonstier personelement monsieur Thomas de Wodestok, cont de Bukingham et conestable d'Engleterre, ove diverses seigneurs, les contes de Warwik et Northumbre, le seigneur Filz Wauter, monsieur Robert Rous lieutenant pur le mareschall d'Engleterre, monsieur Robert Knolles, monsieur Johan Harleston, et plusours autres chivalers, esquiers, et custumers du courte, fist appeller monsieur Johan Annesley chivaler, pursuant encontre Thomas Catreton esquier, pur oier lieuz sa bille, baille en courte l'autre session devant, et Thomas Catreton, pur oier mesme la bille, et sa response par Catreton a ceo faite;
Et en lour presence, la bille et la responce a ceo faite lieuz, le jug eux demandoit s'ils voudroient ascune chose dire? les queux responderont que non:
Et, en tesmoignance de ceo, monsieur Johan Annesley signa sa bille, et Thomas de Catreton sa responce:
Et, sur ceo, monsieur le conestable prist le gage de monsieur Johan Annesley chivaler, appellant, en l'une mayne, et le gage Thomas Catreton esquier, defendant, en l'autre mayne;
Disant, En noun de Dieux, que de droit et fine fors est jug a si haut chose come bataille, et nulle fore luy soulement, jeo vous admitte, come vicaire a luy en ceste place;
Et plia les gages ensemble, et eux assigna jour, lendemayn le feste de Seint George, pur venir, a Wyndesore, et oier le assignement de lour jour et place;
Et il chargea monsieur Johan Annesley et ses plegges du corps Thomas Catreton, et mesme le Thomas et ses pleges du corps monsieur Johan, sur le peril que appent;
Apres ceo monsieur Johan Annesley protesta q'il duist avoir son assignement du jour et de place, deinz certeinz temps, sans passer la meere, protestant pur luy, son chival, ses pointz, et son harnoys, de luy eidere qant temps serroit;
Et l'autre partie en mesme la manere;
La quele monsieur le conestable eux ottroia, en tant, come la loie l'ussage et custumes d'armes demandont.

De proclamatione, contra carnifices Londoniæ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.
Claus. 3 Ric. II. m. 15. d. in Turr. Lond.

REX, majori et vicecomitibus London', salutem. Cum dominus E. nuper Rex Angliæ, avus noster, ad supplicationem quamplurimorum in civitate prædictâ, et suburbiis ejusdem commorantium, accipiens quod per mactationem grossarum bestiarum in eisdem civitate et suburbiis, ex quarum sanguine putrefacto in stratis decurrente, et visceribus in civitate prædictâ et suburbiis dictæ civitatis projectis, aer multipliciter corrumpitur et inficitur, undè abhominationes et fœtores pessimi generantur, per quod hominibus in eâdem civitate et suburbiis morantibus, et confluentibus ad eandem, ægritudines et alia mala quamplurima hactenus evenerunt, et majora pericula imposterum evenire formidabatur, nisi super hoc remedium celeriùs apponetur.
Volensque idem avus noster hujusmodi periculis præcavere, et honestati dictæ civitatis et suburbiorum et incolumitati populi sui ibidem, in quantum poterat, providere, de assensu concilii sui in parliamento suo apud Westm', anno regni sui tricesimo quinto tento, ordinaverit, quod omnes boves, oves, porci, et alia grossa animalia, pro sustentatione civitatis prædictæ et suburbiorum ejusdem mactanda, usque ad villam de Stretford ex unâ parte, et villam de Knyghtbrigge ex alterâ parte, dictæ civitatis ducerentur, et ibidem et non citra mactarentur, et quod viscera eorumdem ibidem mundarentur, et ea mundata, unà cum carnibus prædictis, ad dictam civitatem vendenda, portarentur; et si quis carnifex quicquam in contrarium dictæ ordinationis ausu temerario præsumpserit, forisfacturam carnium et animalium, quæ citra villas prædictas mactari fecerit, penes dictum avum nostrum, ac pœnam imprisonamenti per unum annum incurreret.
Nos jam in præsenti parliamento nostro apud Westm' tento, de assensu ejusdem parliamenti, ordinavimus, quod ordinatio in parliamento dicti avi nostri indè facta, custodiatur et teneatur, et debitæ executioni demandetur.
Et ideò vobis mandamus, quod ordinationem dicti avi nostri prædictam, in eisdem civitate et suburbiis, in locis ubi expedire videritis, publicè proclamari et teneri faciatis, et omnes carnifices contrarium facientes, castigetis et puniatis, juxta formam ordinationis prædictæ.
Et hoc sub periculo quod incumbit, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Martii.

Philippus de Courtenay admirallus constituitur.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.
Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.
Sciatis quod nos, de fidelitate dilecti et fidelis nostri Philippi de Courtenay pleniùs confidentes, constituimus ipsum admirallum nostrum flotæ navium ab ore aquæ Thamisiæ versus partes occidentales, quamdiu nobis placuerit.
Dantes ei plenam, tenore præsentium, potestatem audiendi querelas omnium et singulorum de hiis quæ officium admiralli tangunt, et cognoscendi in causis maritimis, et justitiam faciendi, ac delinquentes juxta eorum demerita castigandi, puniendi, et incarcerandi, et incarceratos qui deliberandi fuerint, deliberandi;
Necnon ad naves et naviculas guerrinas quot necessarias cujuscumque portagii fuerint quotiens necessè fuerit congregandum, et marinarios et alios pro navibus et naviculis illis necessarios eligendum, capiendum, et in eisdem ponendum, et ad hujusmodi marinarios, qui rebelles vel contrariantes fuerint in hâc parte debitè compescendum et castigandum, et ad omnia alia, quæ ad officium admiralli pertinent in hâc parte faciendum et excercendum, prout de jure et secundum legem maritimam fuerit faciendum: et ad alios, quos idem Philippus ad hoc idoneos noverit existere, quotiens ipse ad hoc vacare non poterit, ad præmissa omnia et singula facienda, loco ipsius Philippi, substituendum et deputandum, prout ei melius expedire videbitur.
Et ideò vobis mandamus quod eidem Philippo, substitutis et deputatis suis prædictis, in præmissis omnibus et singulis faciendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum Philippum, vel substitutos aut deputatos suos prædictos, super hoc fueritis præmuniti, vel fuerit aliquis vestrûm præmunitus, ex parte nostrâ.
In cujus, &c.
Teste Rege, apud Westm', viii. die Martii.
Per ipsum Regem et concilium.

De substituto admiralli constituto.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.
Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.
Sciatis quod, cum dilectus et fidelis noster Philippus de Courtenay, admirallus noster flotæ navium ab ore aquæ Thamisiæ versus partes occidentales, substituerit et deputaverit dilectum servientem nostrum ad arma Walterum Haule, ad omnia et singula officium admirallitatis prædictæ tangentia, quotiens idem Philippus ad hoc vacare non poterit, loco suo faciendum, juxta tenorem litterarum nostrarum eidem Philippo in hâc parte factarum; vobis et cuilibet vestrûm mandamus, firmiter injungentes, quod eidem Waltero in præmissis, loco ipsius Philippi, ut prædictum est, faciendis et exequendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout per ipsum fueritis super hoc rationabiliter præmuniti, ex parte nostrâ.
In cujus, &c. quamdiu ipsum Philippum admirallum nostrum flotæ prædictæ, et ipsum Walterum substitutum et deputatum ipsius Philippi, in hâc parte contigerit remanere, duraturas.

T. R. apud Westm', ix. die Martii.
Per billam ipsius admiralli.

De custodibus marchiarum constitutis, et de treugis conservandis.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Scot. 3 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Henrico de Percy comiti Northumbriæ, et Radulpho baroni de Greystok, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos et alterum vestrûm custodes marchiarum regni nostri Angliæ, versus partes boriales, in comitatu Northumbriæ, tam infra libertates quam extra;

Et ad treugas, inter dominum E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum, pro se et subditis suis, et David de Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, jam defunctum, pro se et hominibus suis, de Scotia, initas, in partibus marchiarum prædictarum, et in dominio nostro Scotiæ, in partibus illis, tam pro nobis et subditis nostris quam pro nobili viro Roberto consanguineo nostro Scotiæ, pro se et hominibus suis de Scotia, conservandum;

Et ad querelas omnium et singulorum, qui de injuriis, eis contra formam treugarum illarum factis, conqueri voluerint, audiendum, et plenam et celerem justitiam indè faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ contra formam dictarum treugarum, per subditos nostros, attemptata fuerint, debitè reformandum;

Et ad omnes et singulos, in hac parte delinquentes, arestandum, capiendum, et incarcerandum, et, juxta eorum demerita, et secundum leges marchiarum prædictarum, debitè puniendum;

Et ad consimilem reformationem et punitionem de dicto consanguineo nostro, et de dictis hominibus suis, de Scotia, super attemptatis per eos, et eis adhærentes, contra subditos nostros, petendum, prosequendum, et fieri faciendum;

Et ad castra, et fortalitia, et alia loca quæcumque, infra libertates et extra, in quibus malefactores et delinquentes, contra formam treugarum prædictarum, receptari contigerit, ingrediendum et investigandum, et malefactores et delinquentes hujusmodi ab eisdem castris, fortalitiis, et locis extrahendum, et secundum formam treugarum prædictarum, juxta eorum demerita, et secundum leges marchiarum prædictarum, castigandum et puniendum;

Necnon ad eadem fortalitia et loca, in casu quo constabularii aut custodes eorumdem hujusmodi scrutinium, per vos, vel alterum vestrûm, fieri permittere noluerint, in manum nostram, nomine districtionis, capiendum, et sub salvo et securo aresto custodiendum, ac ordinari et custodiri faciendum, et ad constabularios sive custodes, sic vobis resistentes, capiendum et arestandum, et in prisonis nostris detinendum, quousque aliud de eis præceperimus;

Et ad omnes homines defensabiles in comitatu et marchiis prædictis, inter ætates sexaginta et sexdecim annorum existentes, infra libertates et extra, per vos, et alterum vestrûm, et deputatos vestros, arraiandum;

Et ad omnes homines ad arma, armatos, hobelarios, et sagittarios, videlicet, quemlibet eorum juxta statûs sui exigentiam et facultates suas, armis competentibus muniri, et in millenis, centenis, et vintenis poni, et eos, sic armatos, arraiatos, et munitos, in arraiatione hujusmodi teneri faciendum, ita quod omnes hujusmodi homines ad arma, armati, hobelarii, et sagittarii, prompti sint et parati ad proficiscendum, in defensionem marchiarum et regni nostri prædictorum, quotiens ex hostium incursibus periculum aliquod imineat, et super hoc ex parte nostrâ fuerint præmuniti;

Et ad omnes homines hujusmodi ad arma, armatos, hobelarios et sagittarios, ad se, in forma prædicta, arraiandum, et in defensionem marchiarum prædictarum ac regni nostri et fidelium nostrorum ejusdem, quotiens et quando indiguerit, et prout pro salvatione marchiarum ac regni nostri Angliæ et ligeorum nostrorum ejusdem meliùs vobis expedire videbitur, congregari et uniri, et in defensionem marchiarum regni et ligeorum nostrorum proficisci, duci, et morari, per incarcerationem corporum suorum, ac captionem terrarum et tenementorum suorum in manum nostram, et aliis viis et modis quibus meliùs pro salvatione et defensione marchiarum regni et fidelium nostrorum prædictorum in hac parte expedire videritis, distringi et compelli faciendum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa, cum omni diligentiâ, intendatis, et ea effectualiter faciatis et exequamini in forma prædicta:

Damus autem universis et singulis constabulariis castrorum et villarum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, et aliis fidelibus nostris, in comitatu et marchiis prædictis, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis, et deputatis vestris, ad mandatum vestrum et alterius vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, respondentes, consulentes, et auxiliantes, quotiens, quando, et prout eis, et eorum cuilibet, scire feceritis ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Martii.

Per ipsum Regem et concilium.

De navibus arestandis.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, &c. tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectum nobis Walterum de Leycestre, servientem nostrum ad arma, ad omnia naves et vasa portagii viginti doliorum et ultra, in quibuscumque portubus et locis inveniri poterunt, à ponte civitatis nostræ London' usque villam de Portesmuth et ibidem, tam infra libertates quam extra, arestandum; et eadem naves et vasa usque portus de Plymmuth et Dertemuth duci faciendum, ita quod sint ibidem quinto decimo die Maii proximò futuro; ac ad tot marinarios, quot pro munitione eorumdem navium et vasorum indiguerint, in partibus et locis prædictis similiter arestandum et capiendum, et eos navibus et vasis prædictis ponendum, in eisdem, in obsequium nostrum, ad vadia nostra, prout sibi pleniùs injungetur ibidem ex parte nostrâ profecturos; et ad rebelles et contrarios in hâc parte capiendum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm præcipimus, firmiter injungentes, quod eidem Waltero in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, intendentes sitis, consulentes, auxiliantes et respondentes, quotiens et prout ipse vobis, vel alicui vestrûm, scire fecerit ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Martii.

Per billam admiralli versus partes occidentales.

Eodem modo assignantur subscripti in locis subscriptis, sub eâdem datâ:

Nicholaus Prage serviens Regis ad arma, ad omnia naves et vasa ejusdem portagii à villâ de Chepstowe et ibidem usque villam de Hereford et ibidem.

Walterus Haule et Thomas Credy servientes Regis ad arma, ad omnia naves et vasa ejusdem portagii à villâ Sutht' et ibidem usque villam Gloucestr' et ibidem.

Thomas Seyrill serviens Regis ad arma, ad omnia naves et vasa ejusdem portagii ab ore Thamisiæ usque portum de Lenn et ibidem.

Johannes Orewell serviens Regis ad arma, ad omnia naves et vasa à portu de Lenn usque villam de Kyngeston super Hull et ibidem, et per totam aquam Humbre.

De proclamatione, super adquisitionibus Wallensium

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Claus. 3 Ric. II. m. 13. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Salopiæ, salutem. Cum, ad querimoniam magnatum et aliorum comitatûs prædicti, ac comitatuum Wigorniæ, Staffordiæ, Gloucestriæ, et Herefordiæ, nobis, in parliamento nostro, apud Westmonasterium, die Lunæ, proximo post festum Sancti Hillarii, ultimò præteritum, tento, factam, de eo, videlicet, quod quamplures homines de Wallia, quorum omnes antecessores sui merè Wallenses extiterunt, quamplura terras et tenementa, in feodo, et ad terminum vitæ, ac alio modo, magis solito, hiis diebus, in comitatibus prædictis, qui eidem terræ Walliæ immediatè adjacent, sive marchiant eidem, perquisiêrunt, et indies perquirere non desistunt;

Per quorum procurationem, auxilium, consilium, et favorem diversi malefactores Wallenses, de cognatione suâ et notitiâ, infra comitatus prædictos in magnâ multitudine, aliquando, videlicet, per centum et ducentos, aliquando verò per trescentos, vel majori numero, modo guerrino arraiati, subitò intrantes, ibidem diversa homicidia, felonias, transgressiones, et alia enormia, ante hæc tempora perpetrârunt et indies perpetrant;

Subitò, hoc facto, ad diversa dominia in Wallia, ubi ministri nostri eorumdem comitatuum jurisdictionem puniendi eosdem, ut dicunt, non habent aliqualem, recedunt, et exindè iterùm redeunt quamtociùs, hujusmodi malefacta perpetrando, in nostri jacturam, populique nostri comitatuum prædictorum non minimam depressionem et terrorem, dampnumque non modicum et gravamen, quod timendum est, processu temporis, majora horum pericula, quod absit, indè evenire formidantur, nisi celeriùs, in hac parte, de remedio congruo provideatur;

De assensu prælatorum, magnatum et aliorum, in parliamento nostro existentium, ordinaverimus, districtè prohibendo, nè quis, merè Wallensis, terras, tenementa, vel redditus, in comitatibus prædictis, ultra aquam de Severne versus Walliam, in feodo, ad terminum vitæ vel annorum, nisi ipse de retinentia dominorum regni nostri et bonæ famæ fuerit, ac sufficientem securitatem de bono gestu suo, et pace nostrâ conservandâ erga ligeos nostros fideliter, invenire poterit, de cætero perquirat, vel perquirere præsumat quovismodo;

Et, si quis Wallensis aliqua terras, tenementa, seu redditus, post proclamationem præsentis ordinationis, contra formam ejusdem, ibidem perquisierit in feodo, eo ipso, illa erga nos et hæredes nostros foris-

faciat, si de nobis, vel erga alios dominos, si de aliis, eadem tenementa teneantur;

Et, si ad terminum vitæ, vel annorum, aliqua terras et tenementa de cætero perquisiêrit; terminum suum in eisdem, de quocunque teneantur, erga nos et hæredes nostros forisfaciat;

Et insuper, de assensu prædicto, ordinavimus quod, si qui alii Wallenses, in eisdem comitatibus residentes, vel imposterùm moraturi, hujusmodi multitudinem Wallensium conduxerint, procuraverint, vel aliàs consilium, auxilium, vel favorem præbuerint eisdem, ad hujusmodi malefacta ibidem de cætero perpetranda, et indè debitè convicti fuerint, habeant et incurrant talem pœnam et punitionem, ac idem judicium in omnibus, qualia prædicti malefactores incurrerent et haberent, si personaliter infra regnum nostrum, ex hac causâ, capti fuissent et convicti.

Nolumus tamen, nec est intentionis nostræ, colore præsentis ordinationis, aliquos Wallenses, bonæ famæ erga nos et regnum nostrum existentes, restringi, quin ipsi et eorum quilibet, in aliis comitatibus regni nostri, terras et tenementa liberè perquirere et habere, ac etiam operarios seu laboratores aliquos aliqualiter artari, quin ipsi ubique in regno nostro prædicto pacificè morari, operari, et inter alios subditos nostros licitè conversari valeant, sicut priùs facere solebant, prout in ordinatione prædictâ pleniùs continetur;

Tibi præcipimus quod ordinationem prædictam in locis ubi meliùs expedire videris, tam in pleno comitatu tuo quam extra, in feriis, mercatis et aliis locis, in balliva tua, tam infra libertates quam extra, publicè proclamari et teneri facias, juxta formam et tenorem ejusdem.

Teste Rege, apud Westm', xiii. die Martii.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus subscriptis, sub eadem data; videlicet,

Vicecomiti Herefordiæ.
Vicecomiti Wygorniæ.
Vicecomiti Gloucestriæ.
Vicecomiti Staffordiæ.

De tractando cum adversario Franciæ.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

LE Roy, a l'onurable pere en Dieu l'evesque de Roucestre, et a noz chers et foialx, Johan sire de Cobham, Johan Devereux, capitein de nostre ville de Caleys, Robert de Asheton, capitein de nostre chastel de Gynes, Brien de Stapelton, gardein de nostre chastel de Caleys, et nostre cher clerc meistre Wauter de Skirlawe, dean de Seint Martyn Grant de Londres, doctour es loys, salutz.

Savoir vous faisons que, pur honour et reverence de Dieu et de seint esglise, et pur le bien de paix, de l'assent des prelatz, nobles, et autres grantz et sages de nostre roialme d'Engleterre, et par mye la confiance, quel nous avons de voz sens, discrecions, loialtez, et avisamentz, vous avons ordeinez, deputez, commis, et establiz, ordenons, deputons, commettons, et establions, de nostre certeine science, par la tenur de ces presentes lettres, noz vrais procureurs et messagez especialx;

Donantz et commettantz a vous, cynk, quatre, ou trois de vous, si vous touz ne purrez a ce entendre, pleine auctorite, poissance, et mandement especiale et general, d'assembler, convenir, traiter, compoiser, transiger, pacifier, et pleinement accorder, sur touz les debatz, contencions, questions, guerres, riotes, et descortz, meuz et demesnez, ou a meuer et demener, parentre nous, noz uncles, et autres persons de nostre sank, noz subgitz, amis, alliez, aidantz, et adherentz quiconqes, de cea et dela la meer, d'une part, et nostre adversaire de France, ses frers, et filz, et autres persons de son sank, ses subgitz, amys, alliez, aidantz, et adherens quelconques, en general ou en especiale, lour procureurs et messages, d'autre part;

Et aussi de prendre et accorder, en noun de nous, de toutz maneres des trieues et abstinences de guerres, entre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quiconques, de cea et dela la meer, et nostre dit adversaire, ses freres, filz, et autres persones de son sank, ses subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quiconques, par manere, forme, et condicion, et par si long temps a durer, come meistier serra, ou bon vous semblera;

Et ensement de tretier, ordenir, et accorder, ovesque nostre dit adversaire, ou ses procureurs, sur alliances, confederacies, et amities, soit il par mariage et contraite de matrimoigne de nostre persone meisme, ou par autre voie quelconque, soit en general ou en especiale, come vous semblera bon;

Et sur quanque serra ensi parle, traite, compose, transige, pacifie, et accorde de toutes les choses et articles susditz, et chescun de eux, pur nous et nostre partie, ovesque ceux de la partie adverse, de la fermer et asseurer par foi, et pur serement, a doner en l'alme de nous;

Et de ottroier et doner, sur ceo, et les dependences, touz maners des caucions, seurtees, promesses, obligacions, lettres seallez, tantz et tieux come mestier serra en tieu cas, les queux nous volons avoir tiel effect, vigour, et fermetee, come si nous les eussons done et fait en nostre propre persone;

Et de faire, executer, expedier, et accomplier, pur nous et nostre partie, tout quanque a faire serra en tieu cas et les dependences, et quanque nous ferrons meismes si nostre propre persone y feusse presente, suppose que pluis especiale mandement ent serroit requis;

Et promettons, loialment et en bon foy, avoir et tenir touz jours ferme et agreable quanque faite serra, sur touz et chescun des choses avauntditz, sur caucion et obligacion de touz noz biens, presentes et a venir, sanz jamays faire, dire, ne purpoiser, en jugement ne de hors, ascune chose a l'encontre.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, en nostre paleys de Westm', le primer jour d'Averill, l'an du Grace mille troiscentz et oetant, et de nostre regne tierce.

Par le Roi et son conseil.

Memorandum quod consimilis commissio postmodum sigillata fuit, illis verbis omissis "si vous touz ne purrez a ceo entendre."

De potestate faciendi litteras de conductu.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

LE Roi, a l'onorable pere en Dieu l'evesque de Roucestre, et a noz chers et foialx, Johan sire de Cobham, Johan Devereux, capitein de notre ville de Caleys, Robert de Assheton, capitein de notre chastel de Gynes, Brien de Stapelton, gardein de notre chastel de Caleys, et notre cher clerc meistre Wauter de Skirlawe, dean de Seint Martyn Grant de Londres, doctour es loys, salutz.

Come parmy la confiance quel nous avons en especiale de voz sens, loialte et diligence, eions done par noz lettres patentes a vous ou trois de vous auctorite, plein poiar, et mandement especiale de parler, traiter, accorder et fermer en noun de nous, pour nous, noz uncles et autres persones de notre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz, noz roialmes et seignuries quelconques, de cea et dela la meer, bon paix et accorde ovesque notre adversaire de France, ses freres, filx, et autres persones de son sank, ses subgitz, amis, alliez, eidantz, et adherentz, ses terres et seignuries quelconques, en general ou en especiale, leur procururs et messages, sur touz les discortz, debates, et guerres meuz et a mover entre nous notre dit adversaire, com pluis pleinement est compris en noz lettres sur ce faites.

Nous, aufin que ceste bosoigne se purra, par la grace de Dieux, mieux prendre effect et bon esploit, et confiantz autresi de voz sens, loialte, et bon discretion, donons et commettons a vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, auctorite et poair especial de faire et doner en noun de nous, a chescun persone qui vendra de part notre dit adversaire de France, ou par sa partie, ou par aucune autre devers vous, par cause de l'esploit de traite avantdite, ou par aucune autre encheson queconque, voz lettres de sauf et seur conduyt et sauf garde, souz voz sealx, par touz noz seignuries et poiairs, sibien par terre come par meer, sanz merk prendre ou reprisal, ou autre grevance queconque, tantz et tieux, et si sufficiantes, et par si long temps a durer, come bon vous semblera ou mestre serra, et promettons loialment et en bon foy, pour nous et noz heirs, avoir et tenir ferme et agreable quantque par vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, ent fait serra en la forme avantdite.

Don' a notre paleys de Westm', le primer jour d'Averill, l'an du Grace mille troiscentz et oetant, et de notre regne tierce.

Par le Roy et son conseil.

De salvo conductu pro ambassatoribus Franciæ.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

LE Roy, a touz noz lieutenantz, seneschalx, bailliffs, provostz, mairs, eschevins, gardeins des portz et passages, et a touz noz autres justiciers, officiers, et subgiz, ou leur lieutenantz, et autres noz bien voillantz, amis, alliez, et adherens, saluz.

Come nous, a la reverence de Dieu, et pur eschuir l'effusion de sanc Cristien, soions assentuz pur traitier sur l'accort et paix, a faire entre nous d'une part, et nostre adversaire de France d'autre parte;

Et pur ce que l'evesque de Baieux, Ingeram seigneur de Coucy conte de Soissons, Burrian seigneur de la Ryvere, Arnault de Corbeye, et Nicholas Brake, chivalers, mestre Aleyn Boyscel, Johan le Mercer, et

meistre Johan Tabarye, messages et deputez de nostre dit adversaire, doient venir proschement as parties de Pycardie, sicome nous avons entenduz, a cause de la dit traitie;

Nous, veullantz purvoier a la seurete de eux, lour gentz, familers, chivalx, hernoys, et biens queconques, avons pris, mis, et resceu, preignons, mettons, et resceivons les dessusditz evesque et autres messages, et chescun de eux, avec eux leur gentz, familiers, chivalers, esquiers, clercs, varles, chevaux, hernois, et autres biens queconques, en noz sauf et seure conduit, protection, tuicion, sauve garde, et defense especialx, en venant, alant, et passant par nostre roialme et poair, des parties de France a les parties de Picardie, et queconque autre lieu sur les ditz marches, ou il serra accordez, entre noz messages et procururs, en celle partie, et les ditz messages de nostre adversaire, d'assembler a cause de la dite traite, et la demorant, sojornant, et eux retornant vers les parties de France, par terre et par mere, touz ensemble, ou par parties, sicome il leur plerra, jusque a le nombre de cent et sessante persones a chival, et ainsi sovent come ils vendront, et a faire serra, tanque come cest present traite durrera, et quatre jours apres;

Et pur ce vous mandons et comandons estroitement a vous touz noz ditz subgiz, et noz amis, bienveullantz, alliez, et adherens prions et requerons, et chescun d'eux, et leur lieutenantz, officers, et deputez que les dessuisditz evesque et autres messages de nostre dit adversaire, lour gentz, familiers, chivalers, esquiers, clercs, et autres de queconqes estatz ou condicion q'ils soient, jusques au dit nombre de cent et sessante persons a chival, lour chivalx, monnoye, biens, et hernoys queconques, vous soeffrez et laissez, suffrent et laissent paiseblement passer et repasser, demurer, sojourner, aler, et retourner, ensemble ou par parties, a lour volentes, et tant de foitz come il lour plerra, tant par mere come par terre, par tout nostre poiar, a lieu du dit traite, touz ensemble, ou par parties, si come il leur semblera, jusques a le dit nombre, durant la dit traitie, et quatre jours apres, sanz fere, doner, ou suffrer estre fait, ne done, par voie de arest, a cause de marche, reprisaile, ou entrecours, par autre cause, colour, ou occasion quelconques, a eux, ou ascun d'eux, ou person, chevaux, monoie, biens, hernois, ou autres choses, grief, damage, molest, vilenie, arest, destourbier, ou empeschement aucuns; aincois, se mestiers est, et par eux ou ascun d'eux en cestes requis, lour fait avoir sauf conduit, gentz, vivers, et autres choses necessaires pur leur passage, demoere, et retorner, a lour despenses resonables.

En tesmoignance de ceo nous avons fait mettre nostre grant seel a cestes presentes.

Don' a nostre paleys de Westm' le primer jour d'Averil.

Par le Roi et son conseil.

Super adhæsione Roberto Gebonensi antipapæ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Claus. 3 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, constabulario Turris suæ Londoniæ, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Licet nuper, accipientes Bernardum de Aula Viridi, de dominio nostro Aquitaniæ, clericum, sanctissimo in CHRISTO patri et domino, domino Urbano, divinâ providentiâ, sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ Summo Pontifici, simul cum Johanne de Chamberlac milite, rebellasse, et Roberto Gebonensi antipapæ, qui se papam, hereticâ ductus pravitate, facit nominare, adhæsisse;

Et ipsum Bernardum prisonæ nostræ, in turri nostra prædicta, commiserimus, ibidem cum præfato Johanne, ad voluntatem nostram, justiciandum;

Pro eo tamen quod, venerabilis pater, episcopus Aquensis, de dominio nostro Aquitaniæ, in cancellaria nostra personaliter constitutus, nobis est testificatus quod præfatus Bernardus, quem idem episcopus novit, ut asserit, in diœcese et civitate suis Aquens' oriundum fuisse, prædicto domino nostro Summo Pontifici obediens est et subjectus, et in fide catholica fideliter persistens, quodque idem Bernardus præfato antipapæ aliquo tempore non adhæsit, manucepitque dictus episcopus habere prædictum Bernardum, de die in diem, coram concilio nostro, ad faciendum et recipiendum quod per idem concilium nostrum de eo contigerit ordinari;

Vobis mandamus quod ipsum Bernardum præfato episcopo à prisonâ prædictâ deliberari faciatis.

Teste Rege, apud Westm', x. die Aprilis.

De navibus arestandis.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Willielmo de Elmham, admirallo suo flotæ navium versus partes boriales, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos ad omnia naves, craieras, et alia vasa infra admiratum vestrum portagii sexdecim equorum, vel tot et talia de eisdem navibus, craieris, et vasis hujusmodi, quot et quæ per discretionem vestram fuerint rationabiliter oportuna, pro proximo viagio per nos et concilium nostrum ac magnates regni nostri ordinato, necnon sufficientem numerum marinariorum pro navibus, craieris, et vasis prædictis, per vos et deputatos vestros, pro quibus respondere volueritis, capiendum et arestandum, ad proficiscendum in obsequium nostrum, ad vadia nostra, prout eis per vos injungetur ex parte nostrâ: aliquâ concessione piscatoribus villæ de Blakenay, sive aliis, per nos in ultimo parliamento nostro factâ, non obstante.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa per vos et deputatos vestros prædictos cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis magistris et marinariis navium, craierarum et vasorum prædictorum, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et deputatis vestris prædictis, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, obedientes, et respondentes, prout eis scire feceritis ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die April'.

Per concilium.

De supervisoribus statûs regni et hospitii Regis, assignatis.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, venerabilibus in CHRISTO patribus, A. archiepiscopo Eborum, Angliæ primati, W. Wyntoniensi, J. Herefordensi, et Th. Roffensi, episcopis; ac, dilectis et fidelibus suis, Ricardo Arundellæ, Thomæ de Bello Campo, Warwicæ, et Hugoni, Staffordiæ, comitibus; Willielmo de Latymer, Guidoni de Briene, Johanni de Monte Acuto, banerettis; Radulpho de Hastyngs, Johanni de Gildesburgh, et Edwardo Dalyngrugge, militibus; Willielmo de Walleworth, et Johanni Philipot, civibus Londoniæ, et Thomæ Graa civi Eborum, salutem.

Reducentes corditer ad memoriam qualiter, tempore suscepti regni nostri regiminis, eramus, et jam sumus, undique guerris gravibus involuti, ac inimicis quampluribus, qui nos et regnum nostrum Angliæ destruere, quod absit, hactenus laborârunt, et indies pro viribus elaborant, circumdati miro modo, nec dum indè credendus est finis;

Et licet, eo prætextu, nos oportuit, ac oportet, in præsenti, nostrorum subsidium subditorum, pro nostri et illorum defensione, multipliciter invocare;

Ipsi tamen subditi, nobis in præsenti parliamento nostro graviter querelando, monstrârunt qualiter communitates regni nostri Angliæ, per multiplices solutiones decimarum, quintarumdecimarum, et aliorum subsidiorum diversorum, tam domino E. nuper Regi Angliæ, avo nostro, quam nobis, pro defensione regni sæpius concessorum, ac aliis de causis quampluribus, in tantam inopiam sunt colapsæ, quod ipsi onera hujusmodi, quæ sibi, nisi dictis guerris celerius detur finis, seu de alio remedio succurratur, eisdem omnino importabilia existunt, nec ea poterunt aliqualiter sustinere;

Et nobis humiliter supplicârunt ut, ad honorem nostrum pariter et commodum, ac pro dictorum fidelium ligeorum nostrorum in hac parte relevatione, vellemus nos et statum nostrum sub tam decenti et conformi regimine gubernari, ac gestum officiariorum et ministrorum nostrorum, per quorum inadvertentiam et negligentiam, et ob defectum boni regiminis possessionum et rerum nostrarum, ac propter excessivum et insolitum modum expensarum in officiis prædictis, dampna quamplurima et incommoda, tam nobis quam regno nostro prædicto, ut asserunt, multipliciter evenerunt, necnon emolumenta et proventus terrarum et dominiorum nostrorum. ac receptiones quorumcumque denariorum, tam pro guerris, quam ad opus et expensas nostra deputatorum, sic inspici et diligenter examinari jubere, ut nos, prout regiæ convenit magestati, decenter vivere, et partem nostram aliorum onerum prædictorum, in relevationem et auxilium dictorum nostrorum subditorum, salvis in omnibus nostris regalitate et honore, poterimus supportare;

Nos, ad quietem et relevamen omnium fidelium subditorum nostrorum ubique prospicere volentes, ut tenemur;

Advertentesque dampna quam maxima incommoda, tam nobis quam toti regno nostro, ob defectum et inadvertentiam officiariorum et ministrorum nostrorum, si fortassis negligentes vel remissi fuerint, de facili posse evenire;

Cupientesque, ea de causa, omnem immoderantiam, quatenus honestè debuerimus, honore nostro in omnibus salvo, penitùs extirpare;
Ac de industria, fidelitate, et circumspectione vestris pleniùs confidentes;
Assignavimus vos, quatuordecim, *tresdecim*, duodecim, undecim, decem, novem, octo, *septem*, sex, et quinque vestrûm, quorum de quolibet gradu et statu vestrûm unum ad minus interesse volumus, ad omnia loca, curias, et placeas nostra, tam, videlicet, in receptam scaccarii nostri, quam alia loca nostra, unà cum custodibus et officiariis eorum, intrandi, et ibidem, unà cum ministris et officiariis prædictis, rotulos, compota, et quæcumque alia memoranda, receptiones reddituum et proventuum, ac solutiones denariorum nostrorum, concernentia, diligenter inspiciendi, examinandi, et scrutandi;
Specialiterque supervidendi et examinandi revensiones et emolumenta quæcumque, tam regni nostri prædicti, ac terrarum, dominiorum, civitatum, villarum, castrorum, fortaliciorum, et aliarum possessionum nostrorum quorumcumque, tam cismarinis quam transmarinis partibus existentium;
Proficuumque et emolumentum omnium monetarum nostrarum et billionum ibidem, necnon prioratuum et domorum alienigenarum, vacationumque archiepiscopatuum, episcopatuum, abbatiarum, et prioratuum;
Ac de wardis, maritagiis, escaetis, et forisfacturis universis, ad nos pertinentibus;
Et de captione prisonariorum, villarum, locorum, navium, et bonorum de guerra ubicumque, tam per terram quam per mare, captorum;
Et de beneficiis et aliis possessionibus omnibus cardinalium rebellium, et aliorum inimicorum nostrorum;
Et emolumenta omnia, tam de antiquis custumis quam novis subsidiis, lanarum, coriorum, pellium lanutarum, et de pannis, vinis, et aliis rebus et mercimoniis quibuscumque, infra regnum et dominia nostra prædicta ductis et ducendis, et ab eisdem eductis et educendis;
Ac etiam recepta et proficua hanaperii cancellariæ, et aliorum curiarum, placearum, et locorum nostrorum quorumcumque, tam per manus thesaurariorum nostrorum pro guerra nuper *deputatorum*, et in recepta scaccarii nostri, quam in hanaperio et aliis *locis* et placeis nostris prædictis, qualitercumque recepta, à tempore coronationis nostræ hucusque;
Examinandi insuper et diligenter inspiciendi qualia vadia et feoda officiarii, majores et minores, domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, in principio regni sui, ab eodem percipere solebant et habere;
Ac quibus personis de annuitatibus, tam per dominum E. nuper principem patrem *nostrum*, quam avum nostrum prædictum, per multiplices literas suas patentes, concessis, in feodo, vel ad terminum vitæ, satisfactum fuerit sive solutum, ac de quanto, qualiter, et quo modo;
Inquirendi etiam ac aliàs vos informandi, viis et modis quibus melius poteritis, de omnibus et singulis defectibus sive mesprisionibus in quibuscumque officiis, majoribus sive minoribus, medio tempore emergentibus, per quos nostra, seu regni nostri, utilitas impedita fuerit sive retardata, ac per quos vel per quem, quando, qualiter, *et* quo modo;
Ac insuper de bonis et rebus omnibus, quæ fuerunt prædicti avi nostri, tempore mortis suæ, ac qualia cujusque pretii vel valoris bona illa fuerunt, et in cujus vel quorum manibus jam existunt, ac specialiter quæ et cujusmodi parcellæ indè ad opus nostrum devenerunt, sive in *eisdem nostris manibus* remanent in præsenti, quæ etiam parcellæ indè abstractæ sive elongatæ fuerint, et ad cujus vel quorum manus devenerunt, et quæ summæ denariorum creditoribus dicti avi nostri indè solutæ *fuerunt*, quando, qualiter, et quo modo;
Examinandi insuper, et supervidendi quascumque summas, et modum expensarum, ac statum hospitii nostri, quascumque etiam solutiones, circa salvationem *et defensionem* regni et dominiorum nostrorum prædictorum, tam hominibus ad arma, armatis, et sagittariis, quam marinariis, et alio modo, tam, videlicet, per dictos thesaurarios guerræ, quam aliàs per thesaurarium nostrum Angliæ, medio tempore, qualitercumque factas;
Supervidendi etiam quod omnes soldarii nostri, qui vadia seu rewarda nostra receperunt, et servitium suum in hac parte nondum perfecerunt, indè sint computabiles et fideliter respondeant ad scaccarium nostrum;
Vos insuper, tam per examinationem officiariorum et ministrorum nostrorum quorumcumque, quam aliis viis et modis quibus meliùs et celeriùs expedire videritis, informandi de veritate omnium et singulorum præmissorum;
Ac omnia alia faciendi et exequendi, quæ in hac parte fore videritis necessaria sive oportuna;
Ac defectus, si quos in hac parte reperitis, nobis et concilio nostro fideliter reportandi, nosque de toto facto vestro in ea parte distinctè et apertè certificandi;
Vobis insuper, tenore præsentium, plenam committimus potestatem, ut quoscumque ligeos nostros per quos vestro judicio de alicujus præmissorum veritate pleniùs informari poteritis, coram vobis evocare, ipsosque ad corporale juramentum, de veritate super hiis dicendâ, coram vobis præstandum, majoribus officiariis regni nostri dumtaxat exceptis, quotiens *opus* fuerit, et vobis videbitur expedire, compellere et artare possitis;
Et ideò vobis, in fide et ligeantia quibus *nobis* tenemini, firmiter injungendo, mandamus quod circa præmissa omnia et singula, cum continuatione temporis et dierum, si expediens et necesse fuerit, cum ea *tamen* celeritate quâ fieri poterit, diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in forma prædicta:
Damus autem universis et *singulis* custodibus sive administratoribus bonorum ejusdem avi nostri, ac officiariis et ministris nostris, tam hospitii nostri quam aliis quibuscumque, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quatinus vobis, quatuordecim, tresdecim, duodecim, undecim, decem, novem, octo, septem, sex, et quinque vestrûm, quorum de quolibet gradu et statu unum interesse volumus, ut prædictum est, in præmissis omnibus et *singulis faciendis* et exequendis, ad mandatum vestrum, intendentes sint, respondentes, et auxiliantes;
Ac insuper dicta libros, rotulos, compota, et alia memoranda, præmissa qualitercumque concernentia, vobis clarè monstrari faciant *et apertè*, sine difficultate quacumque, quotiens ipsi, vel eorum *aliquis*, per vos, vel aliquem vestrûm, super hoc fuerint, vel fuerit, requisiti ex parte nostra.
In cujus, &c.
Teste Rege, apud Westm', ii. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium in pleno parliamento.

De statuto, pro Urbano VI. Papa, in Aquitania observando.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.
Rot. Vascon. 3 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, comitibus, baronibus, senescallis, judicibus, præpositis, ballivis, ministris, et omnibus fidelibus, et subditis, ac ligeis nostris, in Vasconia, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.
Cum in statuto, apud Gloucestriam nuper edito, inter cætera, contineatur quod, pro eo quod intelleximus, tam per literas patentes, tunc de novo venientes de certis cardinalibus rebellantibus contra sanctissimum patrem nostrum, Urbanum modo Papam, quam alio modo, per publicam famam, quod divisio et discordia erat inter dictum sanctissimum patrem nostrum et cardinales, qui se conabantur pro toto posse suo deponere dictum sanctissimum patrem nostrum de statu Papæ, et ad excitandum et commovendum, per suggestiones suas proprias, Reges, principes, et populum Christianum contra dictum *sanctissimum* patrem, in grande periculum animarum suarum, et malum exemplum;
Dictas literas monstrari fecerimus prælatis, dominis, et aliis magnatibus et peritis regni nostri, in dicto parliamento existentibus;
Ac, visis et intellectis literis prædictis, et habitâ deliberatione super materia prædicta, per dictos prælatos;
Pronunciatum extitisset et publicatum, per plures magnas et notabiles rationes ibidem declaratas, in pleno parliamento, tam per materiam compertam in dictis literis quam alio modo, quod dictus Urbanus erat debitè electus in Papam, et quod ita est et debet esse verus Papa, ac ipsum ut Papam et caput sanctæ ecclesiæ debet quilibet *acceptare et ei* obedire, et ad illud faciendum concordârunt omnes prælati, domini, et communitates in parliamento prædicto;
Ac insuper extitisset concordatum quod omnia beneficia et aliæ possessiones, quæ dicti cardinales rebellantes, et omnes alii sui coadjutores, fautores, et adhærentes, vel aliqui alii inimici nostri ac *regni nostri*, *habent infra potestatem* nostram, essent seisita in manus nostras, et quod nobis respondeatur de fructubus et proficuis de dictis beneficiis et possessionibus, tanto tempore quanto in manibus nostris remaneant ex causa supradicta;
Ac etiam fuisset ordinatum quod, si aliquis ligeus noster, infra potestatem nostram, impetret provisionem, vel beneficium, vel aliam gratiam de aliquo alio, per nomen Papæ, quam de dicto sanctissimo patre nostro Urbano, vel sit obediens alicui alteri personæ ut Papæ, *sit positus* extra protectionem nostram, ac bona et catalla sua seisita, tanquam forisfacta, prout in statuto prædicto pleniùs continetur;
Jamque, venerabilis pater, episcopus Aquensis in Vasconia nobis intimaverit ut, in civitate Aquensi, et aliis locis obedientiæ et dominii nostrorum Aquitaniæ, grandes discordiæ et dissensiones, super scisma Antipapæ, sint exortæ, in grave dampnum et periculum *inmensum* partium illarum, et majora pericula et dampna evenire formidantur, nisi de congruo remedio celeriùs in ea parte fuerit provisum;
Nos, hujusmodi discordias et dissensiones sedare, et dampna et pericula evitare volentes, *ac omnes subditos et ligeos nostros* in uniformitate fidei Christianæ, quantum in nobis est, observari cupientes, tenorem statuti prædicti vobis, et omnibus subditis ac ligeis nostris partium illarum, significamus per præsentes;
Exorantes firmiter quod ipsum sanctissimum patrem Urbanum, ut Papam *et caput totius* sanctæ ecclesiæ, acceptetis, et ei obedientes et intendentes sitis in forma prædicta;
Inhibentes insuper omnibus subditis et ligeis nostris in *partibus* prædictis nè quis eorum impetret provisionem, beneficium, vel aliam gratiam de aliquo alio, per nomen Papæ, quam de dicto sanctissimo patre nostro Urbano, vel sit obediens alicui alteri personæ, ut Papæ, sub pœnis antedictis.
In cujus, &c.
Teste Rege, apud Westm', iv. die Maii.

De navibus arestandis, pro passagio comitis Marchiæ, locumtenentis Hiberniæ.

A. D. 1380. An 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 2. m. 16. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectos nobis Willielmum Walsham servientem nostrum ad arma, Johannem de Yevele, Willielmum de Hornby, et Willielmum de Adderbury, conjunctim et divisim, ad omnes naves competentes in aquâ Subrinæ, et alibi in portubus maris, in partibus Walliæ, comitatibus Cestriæ et Lancastriæ existentes, et ad eadem aquam et loca exnunc declinantes, cum sufficienti eskippamento marinariorum, pro passagio dilecti et fidelis nostri Edmundi de Mortuo Mari comitis Marchiæ, locum nostrum tenentis in terrâ nostrâ Hiberniæ, exceptis navibus et marinariis alibi pro obsequio nostro assignatis, arestandum et capiendum, et ad naves illas ad portus et loca ubi dicto comiti placuerit, ducendum, ad dictas partes Hiberniæ, in obsequium nostrum, ad vadia ipsius comitis profecturas.

Et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios invenerint seu rebelles, arestandum et capiendum, et eos in prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque de eorum deliberatione duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis mandamus quod eisdem Willielmo, Johanni, Willielmo, et Willielmo, in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quotiens et prout per ipsos, vel eorum aliquem, ex parte nostra fueritis requisiti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Maii.

Per concilium.

De passagio inhibendo.

A. D. 1380. — An. 3 Ric. II.

Rot. Claus. 3 Ric. II. m. 1. d. in Turr. Lond.

REX, custodibus passagii in portu London', salutem. Quibusdam certis de causis, nos et concilium nostrum specialiter moventibus, vobis, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, firmiter injungentes, mandamus nè aliquis, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, in portu prædicto versus partes exteras, sine mandato nostro et licentiâ nostrâ speciali, mercatoribus notis et notoriis dumtaxat exceptis, transire permittatis.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Maii.

Consimilia brevia diriguntur custodibus passagii in portubus subscriptis; videlicet,

Custodibus passagii in portu Dovorr'.
Custodibus passagii in portu Sandewici.

De protectione, pro comitivâ Thomæ de Percy.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

JOHANNES DE CHAUMBRE, qui in obsequium Regis, in comitivâ dilecti et fidelis Regis Thomæ de Percy militis, versus partes Britanniæ profecturus est, habet literas Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas. Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xi. die Maii.

Per billam, &c.

Consimiles litteras de protectione habent subscripti, qui in comitivâ præfati Thomæ versus partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Johannes Countour,
Johannes de Clifford miles, de comitatu Northumbriæ. } *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Johannes Walssheman de Karmardyn in Walliâ. Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Maii. Per billam.

Johannes Scardeburgh,
Johannes Bury. } *Teste Rege, apud Westm', primo die Junii. Per billam, &c.*

Lucas Bitterley. Teste Rege, apud Westm', ii. die Junii. Per billam, &c.

Thomas Kaiton. Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii. Per billam, &c.

Henricus Bron',
Nicholaus de Styvecle,
Johannes Pye. } *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Johannes Wyrshale. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.

Thomas de Clyfford miles. Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii. Per billam, &c.

Thomas de Langford miles. Teste Rege, apud Westm', x. die Junii. Per billam, &c.

Alexander de Meryng. Teste Rege, apud Westm', xii. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Duresleye. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Tournour de comitatu Sussex,
Johannes Stidulf de comitatu Kantiæ. } *Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.*

Galfridus Seintquyntyn miles. Teste ut supra. Per billam, &c.

Elias de Blithe,
Johannes Braham,
Thomas de Langferd,
Hugo Crokshall,
Thomas Germy,
Johannes Bette,
Johannes Mountagu junior, miles. } *Teste Rege, apud Westm', xiv. die Junii. Per billam, &c.*

Pro cardinali d'Alenceon, archidiacono Exoniæ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 3. m. 10. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, pro bona affectione quam versus personam reverendissimi in CHRISTO patris cardinalis d'Alenceon, ex causa quod ipse consanguineus noster existit, gerimus et habemus, et pro affectione bonâ quam ipse nobis monstravit, et indies monstrat nobis et regno nostro; prout nobis fideliter est testificatum;

Concessimus et licentiam dedimus quibuscumque fidelibus, ligeis, et obedientibus nostris, de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi procuratores dicti cardinalis in regno nostro, et firmarii et ministri sui archidiaconatûs Exoniæ, quem præfatus cardinalis in regno nostro prædicto possidet, esse valeant;

Et eidem cardinali quòd ipse proficua dicti archidiaconatûs, per manus dictorum procuratorum, firmariorum, et ministrorum suorum, recipere poterit sine impetitione nostrâ, vel hæredum nostrorum, aut ministrorum nostrorum quorumcumque, tenore præsentium, similiter licentiam dedimus specialem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Maii.

Per breve de privato sigillo.

De potestate tractandi cum Rege et Regina Portugaliæ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Cum, pro certis alligantiis, amicitiis, et auxiliis mutuis, inter magnificum principem dominum Fernandum Regem Portugaliæ, consanguineum nostrum carissimum, et inclitam dominam Leonoram Reginam Portugaliæ, consortem suam, consanguineam nostram carissimam, pro se, et hæredibus, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis suis quibuscumque, ex parte unâ, et nos pro nobis, et hæredibus nostris, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris quibuscumque, ex parte alterâ, ineundis, dilectum nobis Johannem Fernandi de Andero militem, de nostris intentione et voluntate in hac parte pleniùs informatum, prout in quibusdam articulis, eidem Johanni, in scriptis, sub privato sigillo nostro,

traditis, clarè liquet, ad præsentiam dictorum Regis et Reginæ duxerimus transmittendum;

Nos, de fidelitate et circumspectione præfati Johannis confidentes, eidem Johanni ad tractandum et concordandum cum prædictis Rege et Reginâ, et eorum concilio, de hujusmodi alligantiis et auxiliis, juxta tenorem articulorum prædictorum, et ad ea, quæ ad nos in hac parte facere pertinebunt, juxta tenorem articulorum eorumdem, pro nobis et nomine nostro, promittendum et firmandum, tenore præsentium, commisimus et committimus potestatem;

Ita semper quod idem Johannes literas et securitatem sufficientes à præfatis Rege et Reginâ, super hiis, quæ pro parte sua facere tenebuntur, nobis afferat juxta tenorem articulorum prædictorum;

Ratum habituri et gratum quicquid idem Johannes sic, ut præmittitur, pro nobis, et nomine nostro, fecerit in præmissis.

Dat. in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xxiii. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro secretario Regis Navarræ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, castellanis, capitaneis, constabulariis, custodibus castrorum, villarum, et aliorum fortalitiorum, necnon majoribus, vicecomitibus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilectus nobis magister Paschalis de Ilardia, secretarius et procurator magnifici principis Karoli Regis Navarræ, consanguinei nostri carissimi, nuper in regnum nostrum Angliæ, pro quibusdam secretis et arduis negotiis inter nos et dictum consanguineum nostrum à diu est habitis et tractatis, quæ finem debitum et optatum certis de causis nondum sortiri potuerunt, in ambassiam venerit, et in eodem regno nostro moram traxerit non modicam, ulteriusque ibidem ex hac causâ morari necessariò oportebit;

Volentes, ob reverentiam dicti consanguinei nostri, pro persona ejusdem ambassiatoris, nè eidem, dum in regno nostro prædicto fuerit, ad procurationem æmulorum suorum, si qui fuerint, aliqua violentia per arestum, attachiamenta, seu imprisonamentum aliquod, vel alio modo quocumque, inferatur, quominùs negotia prædicta, quæ maximè insident nobis cordi, infecta, quod absit, remaneant, quod, si fieret, non solum in nostri scandalum, verùm etiam in nostri et ipsius consanguinei nostri dampnum non modicum et præjudicium redundaret manifestè, in quantum poterimus, providere;

Volumus et concedimus quod idem Paschalis, tam in civitate nostrâ Londoniæ quam alibi infra regnum nostrum prædictum, super negotiis illis, in proximo jam, Deo dante, finaliter expediendis, morari pacificè et conversari, ac penes nos et concilium nostrum, ex causis prædictis, de tempore in tempus, liberè prosequi, ireque et redire, quotiens sibi placuerit, et ei videbitur expedire, absque aresto, attachiamento, vel imprisonamento corporis sui, seu quovis alio impedimento, ei per vos seu alios ministros nostros aut alium quemcumque inferendis;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, districtiùs quo poterimus, firmiter injungendo, mandamus quod ipsum Paschalem, penes nos et concilium nostrum, ex causa prædicta, liberè prosequi, ire et redire, et infra regnum nostrum prædictum morari et conversari, ut prædictum est, permittatis;

Ipsum, dum in regno nostro pacificè se gesserit, per hujusmodi arestum vel attachiamenta aliqua corporis sui prædicti, seu quovis alio modo, quousque aliud à nobis super hoc specialiter habueritis in mandatis, non impediendo aut molestando, seu, quantum in vobis est, ab aliis impediri vel molestari aliqualiter permittendo.

In cujus, &c. quamdiù nobis placuerit, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

De protectione, pro comitivâ Willielmi de Latymer.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

WILLIELMUS PECCHE miles, qui in obsequium Regis, cum dilecto et fideli Regis Willielmo de Latymer, in comitivâ carissimi avunculi Regis Thomæ de Wodestok, comitis Bukingamiæ, ad partes transmarinas profecturus est, habet litteras Regis de protectione cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Maii.

Consimiles litteras de protectione habent subscripti, qui in idem obsequium, cum prædicto Willielmo in comitivâ præfati comitis, versus partes transmarinas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Thomas Camoys armiger. Teste ut supra.

Johannes de York armiger,
Gerardus del Isle miles. } *Teste Rege, apud Westm', xii. die Junii. Per billam, &c.*

Johannes de Wolaston. Teste Rege, apud Westm', xiii. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Checo armiger,
Ramonet Milseys armiger,
Johannes Castelnawe armiger. } *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Johannes Norreys. Teste Rege, apud Westm', xv. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Gobond armiger. Teste Rege, apud Westm', xvii. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Malet armiger. Teste Rege, apud Westm', xiv. die Junii. Per billam, &c.

Thomas Picworth miles,
Willielmus Lokyngton. } *Teste Rege, apud Westm', xviii. die Junii. Per billam, &c.*

Robertus Conestable miles. Teste Rege, apud Westm', xx. die Junii. Per billam, &c.

Johannes de Elmeden armiger. Teste ut supra. Per billam, &c.

De monetâ Scotiæ recipiendâ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Scot. 3 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

LE Roi, a noz chers et foialx, Henry de Percy counte de Northumbre, Richard le Scrop baneret, Thomas de Ilderton chivaler, chaumberleyn de Berewyk, et mestre Johan de Waltham, chanoigne d'Everwyk, salutz.

Sachez que come luy tresnoble et puissant prince Robert, nostre cher cosyn d'Escoce, nous doit paier dusze milles marcs d'esterlinges de nostre monoie d'Engleterre, ou or ou argent a la valu; c'estassavoir,

Pur le fest de Seint Johan le Baptistre, l'an de nostre regne second, quatre milles marcz;

Pur le fest de Seint Johan le Baptistre, l'an de nostre regne avantdit tierce, quatre milles marcs;

Et pur cest proschein fest de Seint Johan le Baptistre qui serra l'an de nostre dit regne quart comenceant, quatre milles marcs d'esterlings;

En deduction, rebat, et partie de paiement de vint et quatre milles marcs queux nous sont clerement duez de la somme de cynquant et sys milles marcz d'esterlinges les queux nostre dit cosyn et autres prelatz, countes, et nobles du roialme d'Escoce ont accordez et promys a paier, par lours lettres obligatoirs, a cause de la rest de la ranceon de David de Bruys, qi Dieu assoille, et par autres certeins causes qui sont plus largement comprises en lour dites lettres obligatoirs a nostre trescher seigneur et aiel Edward n'adgairs Roy d'Engleterre, qi Dieu assoille, et a ses heirs, ent faites;

Nous, confiantz au plein de voz sens, loialte, et discretion, eions assignez et deputez vous, trois, et deux de vous, de recevir pur nous et en nostre

noun, de nostre dit cousyn d'Escoce, ou de ses ministres, a nostre ville de Berewyk, les ditz dusze milles marcz, par endentures ent en due manere a faire, et de les faire noumbrer, compter, trier, et poiser, et sauvement amesner d'illoqes, sanz delay, tanque a nostre citee de Londres a noz coustages, ou autrement de ent ordeigner, solonc ceo que vous averez en mandement depar nous;

Et de bailler et deliverer a nostre dit cousyn et ses deputes, en ce cas, noz lettres d'acquitance, absolution, et deliverance de la dit somme de dusze milles marcs, et, si mestier est, de faire lettres d'acquitance desouz voz seelx, ou les seelx de trois ou de deux de vous, si bones et sufficiantes qui lour deura suffire, pur meisme la somme ou de ceo q'en receverez;

Et auxi de faire et doner, en noun de nous, lettres de sauf et seur conduit et protection desouz voz seelz, trois ou deux de vous, as ministres et deputez de nostre dit cosyn d'Scoce tanque al nombre de sessant personnes au chival, queux viendront, depar nostre dit cosyn d'Escoce, a nostre ville de Berewyk pur mesme la cause, tantz, et tieux, et si sufficiantes, et par si long temps a durer, come bon vous semblera, ou mestier serra, et de faire executer et expedier toutes autres choses necessaires en tiel cas, suppose q'ils demandassent mandement pluis especial;

Promettantz avoir ferme et aggreable quantque serra fait par vous, trois, ou deux de vous, en noun de nous, sur les choses avantdites:

Et pur ce vous mandons, fermement enjoignantz, que les choses avantdites faces et accompliez en la manere dessusdite, et ceo ne lessez en nul manere.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le xxviii. jour de May.

Per ipsum Regem.

De protectione, pro comitivâ Thomæ comitis Bukyngamiæ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

JOHANNES NAPPERRE, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi avunculi Regis Thomæ comitis Buk', ad partes transmarinas profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Maii.

Per billam, &c.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in idem obsequium cum prædicto comite, versus partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Thomas de Lollesbroh. Teste Rege, apud Westm', v. die Junii. Per billam, &c.

Willielmus Gramery miles. Teste Rege, apud Westm', vi. die Junii.

Thomas Blount miles, Rogerus Griffyth, Adam de Skipton. } *Teste Rege, apud Westm', xxx. die Maii. Per billam, &c.*

Edmundus Byngham clericus. Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Westwycombe. Teste Rege, apud Westm', vi. die Junii. Per billam, &c.

Henricus Gayt. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam.

Robertus Whyteney miles. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Waterschippe, Willielmus Golafre. } *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Willielmus Golafre. Teste Rege, apud Westm', xxv. die Maii. Per billam, &c.

Galfridus Blake. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.

Ricardus Baryngton, Johannes Stanley. } *Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii. Per billam, &c.*

Robertus Stele. Teste Rege, apud Westm', ii. die Junii. Per billam, &c.

Willielmus de Barton de Ridale, Thomas Peterda. } *Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.*

Walterus Coke de Sabrichworth, Nicholaus de le Castell de Ravenyngham, Petrus de Waltham, Johannes dominus de Bourceris, miles, aliter dictus Johannes Bourgchier, miles, Johannes Hatfeld. } *Teste Rege, apud Westm', xii. die Junii. Per billam, &c.*

Thomas de Percy chivaler. Teste Rege, apud Westm', x. die Junii. Per billam, &c.

Thomas Gyney miles. Teste Rege, apud Westm', xiii. die Junii. Per billam, &c.

Thomas Whitewell. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.

Ricardus Chaundeler de Huntyngdon. Teste Rege, apud Westm', ix. die Junii. Per billam, &c.

Walterus dominus filius Walteri et de Wodeham, Johannes Donesby, Johannes Akeden de Whitresham. } *Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.*

Robertus Merbury, David Bykeley. } *Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii. Per billam, &c.*

Thomas Fullere de comitatu Essex, Johannes Stistede de comitatu Essex. } *Teste Rege, apud Westm', xiv. die Junii. Per billam, &c.*

Hugo Tyrell miles. Teste Rege, apud Westm', xiii. die Junii. Per billam, &c.

Rogerus Ducat, Willielmus Tamworth. } *Teste Rege, apud Westm', xii. die Junii. Per billam, &c.*

Johannes Colman de Maldon, Willielmus Meriweder. } *Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.*

Thomas Wrench de Maldon. Teste ut supra.

Adam Nuby de Coventre. Teste Rege, apud Westm', xiii. die Junii. Per billam, &c.

Willielmus dominus Latymer. Teste Rege, apud Westm', xiv. die Junii. Per billam, &c.

Thomas de Aylesbury miles, Johannes Bluet. } *Teste Rege, apud Westm', xvii. die Junii. Per billam, &c.*

Willielmus Duffeld, Thomas Rempston. } *Teste Rege, apud Westm', xiii. die Junii. Per billam, &c.*

Thomas Ernysby, Johannes Kynton, Johannes Doxenford, Johannes Ernysby, Johannes de Repon, persona ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Strond. } *Teste Rege, apud Westm', xvi. die Junii. Per billam, &c.*

Adam Thornholm. Teste, xv. die Junii. Per billam, &c.

Ricardus de Lytton. Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Maii.

Johannes Frende. Teste Rege, apud Westm', xi. die Junii. Per billam, &c.

Henricus Boghedich de Welles. Teste, xx. die Junii. Per billam, &c.

Henricus atte More. Teste, xv. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Siphirde. Teste Rege, &c., iv. die Junii. Per billam, &c.

Henricus Brode. Teste, xxx. die Maii. Per billam, &c.

Thomas de Besiles. Teste, xv. die Junii. Per billam, &c.

Radulphus filius Radulphi. Teste, xx. die Junii. Per billam, &c.

Gilbertus Saxelsby. Teste Rege, xi. die Junii. Per billam, &c.

Rogerus de Penketh. Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Junii. Per billam.

Thomas Hercy, Johannes filius Johannis Darcy de Park militis, Johannes Constantin, Robertus de Grenfeld, Johannes Breteyn armiger, Johannes de Selby sagittarius, Johannes de Birton, Willielmus de Ryvere filius Johannis de Ryvere de Brandesby. } *Teste Rege, apud Westm', xviii. die Junii. Per billam, &c.*

Thomas Maydenstone, Johannes Cosyn. } *Teste ut supra. Per billam, &c.*

Willielmus de Aghton. Teste, xxiii. die Maii. Per billam, &c.

Thomas Hord, Johannes Blymhull, Phillippus Darcy miles, Johannes Helyng miles, Willielmus Hord, Johannes de Leke miles. } *Teste, xviii. die Junii. Per billam, &c.*

Rogerus Willeson de Longeton. Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Junii. Per billam.

Super viagio Britanniæ.

A.D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 3. m. 11. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront, salutz. Savoir vous faisons que, come nous eons faite faire a nostre trescher uncle Thomas counte de Bukyngham, et a noz chers et foialx, William sire de Latymer, Rauf sire de Basset, Thomas de Percy, Hugh de Calvyley, et autres capiteins, ordenez d'aler en un viage, ore procheinement a faire, ove l'eide de DIEU, es parties de France et de Bretaigne, en nostre service, de quele viage nostre dit uncle serra chiveteyn, assignementz de certeins sommes de deniers, a prendre, tant de les disme et subside dareinement a nous grauntz par le clergie de nostre roialme, come de nostre subside de leynes, quirs, et peaux lanuz, sur les gages et regarde deux et de leur retenues, pur un demy quarter d'un an, c'este assavoir, x. M. *l.* des dis dismes et subside par la clergie tantost apres la feste de la Nativite Seint Johan prochein venant, et iv. M. D. iv^{xx} xii. *l.* xiv. *s.* ii. *d.* del subside de primers leynes, quirs, et peulx, passanz, appres le primer jour de Septembre prochein, en les portes de Londres, Seint Botolf, et Kyngeston sur Hull;

Nous desirantz que nostre dit uncle chiveuteyn, et les capiteins avantditz, soient assurer de leur paiement en celle partie, par manere avantdite, volons et grauntons que les ditz assignementz, ensi a eux faitz, come desus, soient fermes et vaillables, et ne soient en nul temps repelles, ne appeticez, ne que riens soit fait, en prejudice, delay, ou arrerissement d'yceux par nous, ne par nostre tresorer, pur le temps esteant, ne par autres noz ministres quelconques;

Et, d'abundant, pur pluis ferme seurtee des ditz chiveutein et capiteins en ce cas, avons fait bailler es mains des honurables piers en DIEU Simon ercevesque de Canterbirs, nostre chanceller, Thomas evesque d'Excestre, nostre tresorer, et de noz chers et foialx chivalers William de Beauchamp, nostre chamberleyn, et Hugh de Segrave, seneschall de nostre houstel, et de nostre cher clerk Johan de Fordham, gardein de nostre prive seal, certeins noz joialx de la value de dys milles livres d'esterlynges;

Et les queux joialx nous volons que demoergent en leur maine, et desouz leur garde, tanque les ditz chiveteyn et capiteins soient parpaiez de toutes les sommes de deniers, a eux assignez depar nous, come desus, a cause du dit viage;

Et que mesmes les joialx ne soient acunement deliverez hors des mains et garde des ditz ercevesque, evesque, chamberleyn, seneschall, et gardein de nostre prive seal, tanque les ditz chiveteyn et capiteyns soient pleinement paies de les dites sommes, a eux assignees, come desus est dit;

Et ceste chose promettons de faire tenir et accomplier, si avant come eles nous touchent et come loiaute demande, et de non venir ne faire a l'encontre;

Pur quele paiement receyvere en noun de nostre dit uncle et des autres capitayns susnomes, sont ordeignez sire Johan de Hermesthorp, sire Thomas Orgrave, monsieur Johan Gildesburgh, Johan Philipot, et Gautroun de Bardes, les queux resseiveront tout l'entre somme, a eux assigne, pur delyvere a chescun des chiveuteyn et capiteyns susditz, ou a son attorne, demourrant dedeinz le roialme, ceo que son afferant amontera, de temps en temps, come il serra receu des coillours du dite subside.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a Westm', le primer jour de Juyn.

Par le Roi et son conseil.

Pro cardinali Ravennæ, super cancellariâ et præbendâ suis.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 3. m. 10. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, pro bonâ affectione quam erga personam reverendi in CHRISTO patris, cardinalis de Ravenna, habemus, et pro bona voluntate et dilectione, quas ipse nobis et regno nostro hactenus monstravit, et indies monstrat, prout nobis est benè testificatum;

Concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, omnibus fidelibus, ligeis, et obedientibus nostris de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi possint esse procuratores dicti cardinalis in regno nostro prædicto, ac firmarii et ministri sui cancellariæ in ecclesia cathedrali Lichefeldensi, et præbendæ de Castre in ecclesiâ cathedrali Lincolniensi, quas prædictus cardinalis habet in regno nostro prædicto, ut accepimus;

Et eidem cardinali quod ipse proficua dictarum cancellariæ et præbendæ per manus procuratorum, firmariorum et ministrorum suorum prædictorum recipere valeat, absque impetitione nostri, vel hæredum aut ministrorum nostrorum quorumcumque, similiter licentiam dedimus specialem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

Pro Johanne Fastolf.

A. D. 1380.—An. 3 Ric. II.

Franc. 3 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

JOHANNES FASTOLF chivaler, qui in obsequium Regis versus transmarinas partes profecturus est, habet literas Regis de generali attornatu, sub nominibus Hugonis Fastolf et Johannis Fastolf senioris, sub alternatione, ad lucrandum, &c. in quibuscumque curiis Angliæ, per unum annum duraturas. Pr. &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii.

Robertus de Faryngton clericus recepit attornamentum.

De protectione, pro Thoma comite Bukyngamiæ.

A. D. 1380.—An. 3 Ric. II.

Franc. 3 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

THOMAS comes Bukynghamiæ, qui in obsequium Regis ad partes transmarinas profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Junii.

Pro Willielmo Botreaux.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, capitaneis et eorum loca tenentibus, vicecomitibus, majoribus, custodibus portuum et aliorum locorum maritimorum, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilectus et fidelis noster Willielmus Botreaux votum peregrinationis versus Romam et Jerusalem emiserit, sicut nobis est testificatum, nos eidem Willielmo, ad supplicationem suam, ut ipse votum suum hujusmodi perficere et adimplere, et versus partes prædictas ex hac causâ, in quocumque portu regni nostri voluerit, cum quatuor famulis et aliis hernesiis suis transire possit, licentiam, tenore præsentium, concedimus specialem.

Et ideò vobis mandamus quod ipsum Willielmum versus partes prædictas, cum famulis et hernesiis hujusmodi, tam per terram quam per mare, absque impedimento aliquo transire permittatis: aliquo mandato nostro vobis incontrarium directo, non obstante.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

De tractando super matrimonio inter Regem et filiam Ludovici nuper Imperatoris.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, universis, ad quorum notitiam præsentes literæ pervenerint, salutem.

Sciatis quod, cum quædam certa materia, de et super contractu matrimoniali, inter personam nostram et dominam Katerinam, filiam celebris memoriæ, Ludowici, nuper Romanorum Imperatoris, nobis et concilio nostro tacta fuerit et locuta;

Nos verò ex hac causa, dilectos et fideles nostros, Simonem de Burle militem cameræ nostræ, magistrum Robertum Braybrok, secretarium nostrum, et Bernardum Van Sedles, militem cameræ nostræ, de voluntate et intentione nostris in hac parte instructos, de quorum fidelitate et circumspectione plenè confidimus, nostros veros et legitimos procuratores ac nuncios speciales, de assensu concilii nostri antedicti, constituimus et facimus per præsentes;

Dantes et committentes eisdem procuratoribus et nunciis nostris, et duobus eorum, potestatem generalem ac mandatum speciale, voluntatem et intentionem tam serenissimi principis domini Wenceslai Romanorum et Bohemiæ Regis, fratris nostri carissimi, quam ejusdem dominæ Katerinæ, et amicorum suorum, super hujusmodi contractu, et super accessoriis, connexis, et circumstantiis, ab eodem dependentibus, audiendi;

Et super dicto contractu, necnon cum eodem fratre nostro, vel deputatis suis, sufficienti potestate suffultis, super alligantiis perpetuis, vel ad tempus, inter dictum fratrem nostrum et nos tractandi et concordandi;

Et ad voluntatem nostram eidem fratri nostro super amicitiis et alligantiis illis exponendi et declarandi;

Ac alia pro nobis et nomine nostro, modo et formâ, quibus eis meliùs videbitur, faciendi et expediendi quæ in hac parte necessaria fuerint, seu etiam oportuna;

Ratum habituri et gratum quicquid per dictos procuratores nostros, vel duos eorum, actum vel gestum fuerit in præmissis, et quolibet præmissorum.

In cujus, &c. per dimidium annum duraturas.

Dat' in palatio nostro Westm', xii. die Junii.

Per ipsum Regem et concilium suum.

Eodem modo constituuntur iidem, Simon et Robertus, sub eadem data.

Pro cardinale Neapolitano, super suis archidiaconatu, thesaurariâ, et præbendâ.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 3. m. 4. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, pro bona affectione quam erga personam reverendi in CHRISTO patris cardinalis Neapolitani habemus, et pro bona dilectione quam ipse nobis et regno nostro hactenus monstravit, et indies monstrat, prout nobis benè est testificatum;

Concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, omnibus fidelibus, ligeis, et obedientibus nostris de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi possint esse procuratores dicti cardinalis in regno nostro prædicto, ac firmarii et ministri sui archidiaconatûs Dorcestriæ in ecclesia cathedrali Sarum, ac thesaurariæ ejusdem ecclesiæ, necnon præbendæ de Coryngham, in ecclesia cathedrali Lincolniensi, cum omnibus membris et pertinentiis suis, quos prædictus cardinalis habet in regno prædicto, ut accepimus;

Et eidem cardinali, quod ipse proficua dictorum archidiaconatûs, thesaurariæ, et præbendæ, ac membrorum et pertinentium suorum prædictorum, per manus procuratorum, firmariorum, et ministrorum suorum hujusmodi, recipere valeat, absque impetitione nostri, vel hæredum aut ministrorum nostrorum quorumcumque, similiter licentiam dedimus specialem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiii. die Junii.

Per ipsum Regem.

De apostatâ capiendo.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 3. m. 5. d. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, vicecomiti nostro Suthampton', Ricardo Mabank, Johanni Mabank, et Johanni Halle, salutem.

Quia frater Thomas Coffyn monachus, dilecti nobis in CHRISTO abbatis abbatiæ Glastoniens', ordinis Sancti Benedicti, in eodem ordine professus, de eadem abbatia, sine licentia abbatis prædicti, recedens, spreto habitu ejusdem ordinis, de patria in patriam, in habitu seculari, vagatur et discurrit, in animæ suæ periculum, et totius ordinis prædicti scandalum manifestum;

Quodque idem Thomas ad partes transmarinas, ad quamplura præjudicialia nobis et coronæ nostræ ibidem, quod absit, perpetranda, contra statuta et prohibitiones nostra, pro viribus nititur in proximo transmeare, sicut idem abbas nobis, per suas patentes literas, pleniùs certificavit;

Assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad prædictum Thomam, ubicumque infra regnum nostrum Angliæ, tam infra libertates quam extra, inveniri contigerit, capiendum et arestandum, ac præfato abbati, vel ejus in hac parte attornato, juxta ordinis sui disciplinam et regulam castigandum, liberari faciendum;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, firmiter injungendo, mandamus, quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quatinus vobis et cuilibet vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos, vel aliquem vestrûm, super hoc, ex parte nostrâ, fuerint requisiti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Junii.

Consimiles commissiones diriguntur subscriptis, ad arestandum præfatum Thomam in forma supradicta, sub eadem data; videlicet,

Vicecomiti Regis Oxoniæ,
Thomæ Barton,
Radulpho Halle. } *In comitatu Oxoniæ.*

Vicecomiti Wiltesiæ,
Rogero Batyn,
Petro Parver. } *In comitatu Wiltesiæ.*

Vicecomiti Somersetiæ et Dorsetiæ,
Rogero Thurlebere,
Ricardo Hurneman. } *In comitatibus Somersetiæ et Dorsetiæ.*

Pro cardinali Corsiensi, præbendario de Stranshale.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.

Pat. 3 Ric. II. p. 3. m 7. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, pro bonâ affectione quam erga personam reverendi in CHRISTO patris, cardinalis Corsiensis, habemus, et pro bonâ dilectione quam ipse nobis et regno nostro hactenus monstravit, et indies monstrat, prout nobis est testificatum;

Concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, omnibus fidelibus, ligeis, et obedientibus nostris, de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi possint esse procuratores dicti cardinalis in regno nostro prædicto, ac firmarii et ministri sui præbendæ de Stranshale in ecclesia metropolitana Eborum; de qua præbenda prædicto cardinali est provisum, ut accepimus;

Et eidem cardinali, quod ipse proficua dictæ præbendæ, per manus procuratorum, firmariorum et ministrorum suorum prædictorum, recipere valeat. absque impetitione nostri, vel hæredum aut ministrorum nostrorum quorumcumque, similiter licentiam dedimus specialem.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

De permittendo excercitum Regis intrare villam Calesii, et ibidem hospitari.

A. D. 1380. An. 3 Ric. II.
Rot. Franc. 3 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni Devereux, capitaneo villæ nostræ Calesii, salutem.

Literas vestras, passagium excercitûs nostri, qui sub gubernatione carissimi avunculi nostri, comitis Bukinghamiæ, ibidem in proximo versus partes Franciæ, Deo duce, est transiturus, specialiter tangentes, nobis et concilio nuper missas sane intelleximus:

Super quâ quidem materiâ, maturâ deliberatione cum carissimo avunculo nostro Johanne Rege Castellæ et Legionis, duce Lancastriæ, ac aliis dominis et magnatibus regni nostri Angliæ, præhabitâ, videtur eisdem quod excercitus prædictus per villam nostram prædictam, prout antea, tempore domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, fieri solebat, necessariò jam transire oportebit, et in eadem, si necesse fuerit, recipi et hospitari:

Et ideò volumus et vobis mandamus quod inter vos et dilectum et fidelem nostrum Walterum Fitz Wauter, et alios de concilio ipsius comitis, qui penes vos ex hac causâ in proximo sunt accessuri, in ea parte talem debitam ordinationem faciatis, quo modo, videlicet, excercitus noster prædictus dictam villam melius et quietius poterit intrare, ac eâdem, ad minus dampnum seu nocumentum vestri, et soldariorum nostrorum ibidem, ac mercatorum et aliorum inhabitantium in villa prædicta, recipi poterit et hospitari;

Gentes nostras insuper de eodem excercitu, de tempore in tempus, cum ibidem applicuerint, villam nostram prædictam intrare, et in eadem recipi, recolligi, et hospitari, sine quocumque impedimento, permittendo:

Si verò per assensum capitaneorum, quos illuc, ante adventum dicti comitis, venire contigerit, dictas gentes nostras inducere et excitare poteritis, ad logiandum et morandum securè in campis, ad ipsorum magis proficuum et aisiamentum, et dictæ villæ nostræ exonerationem, hoc nobis et concilio nostro non modicum placeret.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Junii.

De protectione, pro comitivâ Thomæ comitis Bukynghamiæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 28. in Turr. Lond.

JOHANNES DE BEKFORD, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi avunculi Regis, Thomæ comitis Bukynghamiæ, ad partes transmarinas profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ ' Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Junii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in comitivâ præfati comitis versus partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Simon de Burgh. Teste ut supra. Per billam, &c.

Isabella Etton, mater Willielmi filii Willielmi de Frodesham. Teste, xxvi. die Junii.

Thomas Maundevill miles, junior. Teste, xxiv. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Ciferwast miles,
Willielmus Ciferwast armiger. } *Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Junii. Per billam, &c.*

Willielmus de Briene, alias dictus Willielmus Briene miles, filius Guidonis de Briene, militis. Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Junii. Per billam, &c.

Willielmus atte Gate. Teste ut supra. Per billam, &c.

Robertus Knolles miles. Teste, xxvii. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Clifton miles,
Petrus Helier de Wyncaulton',
Willielmus Beurley armiger. } *Teste, xxix. die Junii. Per billam, &c.*

Walterus Deveres miles. Teste, xxii. die Junii. Per billam, &c.

Robertus de Okeburne,
Willielmus fitz Herberd. } *Teste, ii. die Julii. Per billam, &c.*

Johannes Burgham. Teste, xxix. die Junii. Per billam, &c.

Rogerus Sotterle, filius Edmundi de Sotterle, de com' Suff'. Teste Rege, apud Westm', ii. die Julii. Per billam, &c.

Rogerus Straunge armiger. Teste, xxx. die Junii. Per billam, &c.

Johannes Gray, armiger. Teste, xxvii. die Junii. Per billam, &c.

Ricardus Jernemuth de Norwico,
Johannes Wykes. } *Teste Rege, apud Westm', iii. die Julii. Per billam, &c.*

Willielmus Taillour,
Johannes Lancastre,
Johannes Robyson de Everwyk, fisher,
Henricus Sturmy miles. } *Teste Rege, apud Westm', xxix. die Junii. Per billam, &c.*

Nicholaus Langford miles,
Hamo Lytilwod,
Thomas Onger,
Radulphus dominus de Basset. } *Teste Rege, apud Westm', ii. die Julii. Per billam, &c.*

Hugo Browe miles,
Hugo Massy,
Willielmus de Bunbury. } *Teste, ii. die Julii. Per billam, &c.*

Johannes Burford. Teste, xxix. die Junii. Per billam, &c.

Walterus Rowfot. Teste ut supra. Per billam, &c.

Johannes Waryn, civis et bocher London',
Johannes Saunson, civis et bocher London'. } *Teste Rege, &c. viii. die Julii. Per billam, &c.*

Johannes Moyne miles. Teste, iv. die Julii. Per billam, &c.

Johannes Adys,
Willielmus Savage. } *Teste, xxix. die Junii. Per billam, &c.*

Willielmus Escote,
Walterus filius Nicholai de Lillyngton,
Willielmus Hall. } *Teste, iv. die Julii. Per billam, &c.*

Willielmus de Clyvedon. Teste Rege, apud Westm', xxv. die Julii. Per billam, &c.

Johannes Worth,
Willielmus Wodehurst,
Henricus Augere,
Lambertus Clifton,
Gilbertus Talbot miles,
Johannes Pecche, } *Teste Rege, apud Westm', v. die Julii. Per billam, &c.*

Bartholomeus Pigot miles. Teste Rege, xxix. die Junii. Per billam, &c.

Willielmus Motoun miles, filius Roberti Motoun. Teste Rege, apud Westm', iv. die Julii. Per billam, &c.

De compellendo homines pro præsenti viagio retentos, ad proficiscendum in dictum viagium.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 28. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Thomæ de Wodestok, comiti Bukynghamiæ, constabulario Angliæ, Waltero fitz Wauter, Thomæ de Percy, et Hugoni de Calvyle, salutem.

Sciatis quod, cum, ut accepimus, quamplures homines ad arma, armati, sagittarii et alii, ad proficiscendum vobiscum in obsequium nostrum ad partes transmarinas, in præsenti viagio ad dictas partes faciendo, retenti, ad dictas partes, juxta formam indenturarum inter vos et ipsos in hâc parte factarum, proficisci contradicunt, et se adinvicem trahunt ad resistendum, quod non compellantur ad dictas partes, nisi ad eorum propriam voluntatem, in formâ prædictâ proficiscendum, in nostrî contemptum et præjudicium, et expeditionis arduorum negotiorum nostrorum in hâc parte, ac viagii prædicti retardationem manifestam:

Nos, super præmissis in hâc parte remedium apponere cupientes, ut tenemur, assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad omnes et singulos homines pro viagio prædicto ordinatos et retentos, ad proficiscendum ad partes prædictas in obsequium nostrum prædictum, juxta formam indenturarum prædictarum, per incarcerationem corporum suorum, ac captionem bonorum et catallorum suorum in manum nostram, et aliis viis et modis, quibus melius et celerius expedire videritis, distringi et compelli, faciendum.

Dantes vobis et cuilibet vestrûm in hac parte, plenam, tenore præsentium, potestatem et mandatum speciale castigandi et puniendi omnes et singulos vobis, seu alicui vestrûm, in hâc parte contrariantes seu rebelles, juxta eorum demerita, et secundum formam et modum quibus melius et celerius vobis expedire videbitur, pro expeditione passagii prædicti, et punitione contrariantium et rebellium prædictorum.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, in fide et ligiantiâ quibus nobis tenemini, districtius quo poterimus, injungimus et mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et præmissa omnia et singula faciatis, et effectualiter expleatis in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis comitibus, baronibus, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, militibus, soldariis et subditis nostris quibuscumque, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis et cuilibet vestrûm, in præmissis intendentes sint, respondentes, consulentes, et auxiliantes, prout decet.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Junii.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu, pro Johanne domino de Gomenys.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 29. in Turr. Lond.

RICARDUS, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, universis et singulis admirallis, capitaneis, castellanis et eorum loca tenentibus, custumariis, custodibus portuum maris et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, tam in transmarinis quam cismarinis partibus constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Sciatis quod, cum Johannes dominus de Gomenys, pro quibusdam negotiis nos, et statum regni nostri Angliæ concernentibus, infra idem regnum et dominium nostrum, de voluntate et licentiâ nostris in proximò sit venturus:

Nos, volentes pro securitate suâ providere, suscepimus ipsum Johannem veniendo in regnum et dominium nostra prædicta, ex causâ præmissâ, cum tot hominibus, equitibus vel peditibus, inermibus, in comitivâ suâ, quot sibi placuerit, ibidem morando, et ad propria redeundo, ac bona et hernesia sua quæcumque, in protectionem et defensionem nostras speciales, ac salvum et securum conductum nostrum.

Nolentes quod idem Johannes, occasione alicujus debiti, compoti, vel alterius contractûs, durante præsenti conductu nostro, infra regnum et dominium prædicta, capiatur, arestetur vel inquietetur ullo modo.

Et ideò vobis mandamus, quod ipsum Johannem contra tenorem præsentium non arestetis, nec eidem Johanni, aut hominibus suis prædictis, in personis, equis, bonis, vel hernesiis suis prædictis, infcratis, vel inferri permittatis, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen. Et si quid eis forisfactum vel injuriatum fuerit, id eis sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes, per unum mensem, postquam prædictus Johannes infra regnum vel dominium nostrum prædictum primò ingressus fuerit, duraturas.

Teste me ipso, apud Westm', xxiv. die Junii, anno regni nostri quarto.

Per concilium.

De amplissimis potestatibus comiti Bukyngamiæ, locum tenenti Regis in partibus Franciæ, commissis.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 29. in Turr. Lond.

LE Roy a touz ceux qui cestes lettres verront, saluz. Savoir vous fasons que, par assent des grauntz de notre roialme d'Engleterre, et de notre conseill, eons ordene notre trescher uncle, Thomas counte de Bukingham, conestable d'Engleterre, a travailler pur final esploit de notre guerre entre nous et nos adversaires de France, si DIEU le voille, as parties de Bretaigne, parmy notre dit roialme de France, et pour executer illoeques quantque soit contenuz en l'alliance faite entre nous, et notre trescher frere Johan duc de Bretaigne, counte de Mountfort et de Richmond.

Nous, confiantz pleinement des sens, loialte, et avisement de notre dit uncle, lui avons fait et ordene, faisons et ordenons, tant en notre dit roialme de France come aillours, outre le mier, notre lieutenant especial et capitain general; donantz et commettantz a notre dit uncle et lieutenant, par le tenour des presentes, auctorite et plein poissance d'appeller et assembler gentz d'armes et autres quelconques, et ycels amesner et governer en quelconques lieux, quant et tant sovent que bon lui semblera, al expedicion de noz guerres; de corriger, chastier et punir ycelles gentz, et chescun de eux, solonc lour exces et desertes, et solonc la qualite du maisfait, et la condicion des persons; de excercer, et faire excercer toutz maners des jurisdictions hautes, meines et bases, soient ils de miere ou de mixte empire, issint que des plees et coignissances queux il avera entre partie et partie, ou autrement, et que seront terminez et ajugges devant luy ou ses lieutenantz, ou deputez, nous, ne nulli autre, n'averons ne n'avera conissance enapres, sinon par verrais et loialx appelles afaire a nous, ou a notre conseil, et ce duement et en temps limite par la loy; et de comander auxi par touz les lieux avantdites, de faire les villes, cites, chastieux, et forteresses estre bien mainteuuz, repairez et tenuz en estate, et ycells chastieux et forteresses estre arrasez et abatuz, ou autres faire faire de novelle, sicome bon lui semblera pour le profit et quiete de nous, et des subgitz des parties suisdites;

Et outre, de prendre et resceivoir, en noun de nous et de notre auctorite, a notre paix, grace, obeissance et subjection, touz les cites, villes, burghs, chasteux, et forteresses et lieux des dites parties, et leur enhabitantz et demorantz quelconques, qui voillent, desore en apres, venir ou retourner a notre paix, grace, obeissance et subjection, et de leur remettre et pardoner, par agarde de pite et de misericorde, a toutz jours, toutes maneres de malefices, trespas, exces, l'arcines, homicides, et touz autres maneres des crimes horribles, de treson ou de lese mageste, si ces faites et commises estoient, en general, ou en especial, ou par quelconque cause;

Et aussi d'ostre outrement et repeller touz bannissementz et exils, qu'ont este ou sont pronunciez ou publiez contre eux, ou ascun de eux, et de restabler et rendre a eux touz lours biens q'ils avoient, ou ont, forfaitz, par cause des bannissementz ou forfaitures avantdites; et, de tout, oster note d'infamie et de diffame, et eux et chescun de eux remettre a primer fame et estate, et a lour biens et paiis, et auxi entierment come ils les avoient unques en ascun temps passe, ensemble ovesques lour privileges aunciens, tantes et tieles come ils estoient acustumes de user par devant resonablement, sicome mestier lour sera:

De doner par l'espace de son office en heritage, ou a vie, ou a terme des ans, a ceux qui l'averont bien deservez en noz guerres, villes, chasteux, forteresces, terres et rentes, ovesque les homages, nobelesses, jurisdictions, droitures, et toutz lour appurtenantz aunciens; savant le droit de chescuny, qui lui appartient, par force de l'ordinance faite sur la conqueste; mesque ycelles villes, chasteux, forteresces, terres, et rentes n'estoient auncienement de notre propre damaine, de notre patrimonie roiale, ne de les choses que ja sont entre noz mains:

De doner et presenter persones convenables as dignites et offices, et quelconques benefices de seint eglise, vacantz, ou qui vaqeront enapres, tant es eglises cathedrales, collegiales, come autres quelconques, si avant come a nous appartiendra, et faire le devons, pour le bon governement des benefices avantdites, et pour le maintenaunce de leur droitures; sique, par defaute de bon governement, les almes des parochiens ne perissent;

Et de prendre et recevoir de noz subgitz des dites parties d'outre miere, et d'autres, a noz paix, obeissance, et subjection retourner, ou demourer veullantz, homages et seremently de feaute, tiels come il appartient; de mettre et establier seneschaux, conestables, chauncellers, tresorers, comandours par noz chastelleins, capitaines, advocatz, procurours, et touz autres officere et ministres, qui pardevant ne sont mys par nous, ou de notre auctorite, en touz les lieux des dites parties, qui a notre dit uncle sembleront estre profitables, pour le bon governement des subgitz des ditz parties:

Et de mesmes les ministres, ensi par lui, ou par auscuns autres, saufs par nous, ou de notre auctorite, mys et establiz, remuer et oster de leur office, et de mettre et establier autres en lieu de eux, ou des mortz, si ascuns y soient, as gages et fees acustumez et de faire et doner regard a mesmes les officers et ministres; de comander a noz tresorers et receiviours celles parties, de faire les paiement que notre dit uncle lour chargera, tant sovent que afaire lui plerra; maundantz et comandantz a touz les auditours de noz accompts, q'ils facent due allouance de touz les sommes qui paiez serront, par les lettres ou mandementz de notre dit uncle;

Et, outre ceo, de mettre et imposer contributions, impositions et raunceons pur la guerre sustenir, et a demander et requerer subsides et aides par cause des guerres, de touz les prelates, nobles, et communes des cites et des villes des parties avantditz; et ycelles subsides et impositions, contributions et ranceons lever et coiller;

De forger, batre, et de faire faire monoie novelle, d'or et d'argent, et autre quelconque, quant et si sovent que bon lui semblera, en notre noun; de nobiliter persones non nobles; et de legitimer, quant as heritages et touz autres choses, bastardes et touz autres, qui sont procreez hors de verraie matrimoigne; et de creer et faire tabellions et notaires, jusqes as nombre convenable; de doner sauves gardes ovesque noz baniers et penons, ou les siens, quant a faire lui semblera;

De treter de paix et d'acorde ovesque noz ennemys et rebelles, de quelconque estate, condition, ou degree q'ils soient; et d'acorder et pacifier sur touz debates, contentions, et discordes, et ycelles acorde, paix et tretez d'afermer et assentier, en noun de nous, par serementz, foys, obligations et seuretez, pur avoir, avant la mayn, sur celle l'acord et l'assent de nous, et de notre conseil;

De faire et doner sur touz les remissions, pardonations, restitutions, presentations, collations, donations, sauves gardes, privileges et les autres choses avantditz, as prelates, nobles, et communaltez des cites et des villes, et autres quelconqes, privileges, chartres, munimentz, et lettres, desouz son seel, lesquelles nous volons avoir tant de vigour et fermete come si eles fuissent seelles de notre propre seel; et au darrein, de faire et expedier touz autres choses necessaires ou covenables, as choses avantditès; les honur et regalies de nous et de notre corone en tous choses sauvez, et que nous ferrons mesmes, si nous y fuissons en notre propre persone;

Et volons de notre auctorite, et del assent avantdite, que notre dit uncle ne soit par nous, ou par notre mandement, artez, excitez, ne compuls pour aler ou travailler, ou d'envoier ascuns capitaines ou gentz de sa compaignie, si non solonc que lui plerra, a ascuns autres parties, encontre la forme et effect des endentures ent faites, parentre nous et notre dit uncle; ne que la poair que nous avons grantez et grantons par icestes a mesme notre uncle, ne soit change ne apeticez, ne en nul manere oste de luy, pur le temps q'il y serra en notre service, si non que nous y veignons en notre propre persone, ou que nous envoions notre trescher uncle, Johan, Roi de Castile et de Leon, duc de Lancastre, as parties dessusdites;

Et n'est l'entent de nous, ne de notre conseill suisdit, que la dit alliance faite entre nous, et notre dit frere de Bretaigne, par cause ou a colour d'ascun point ou article contenu en ycestes, soit enfreint ou violez, einz soit fermement gardez et afforcez en toutz pointz, solonc la tenour dycelle.

Et sur ceo nous mandons et comandons a toutz les prelates, nobles, et comunaltez des cites, des villes, chasteux, forteresces et lieux, et a touz noz ministres, officers, et autres noz subgitz, de quelconque estate, condition, ou degree q'ils soient, es parties d'outre miere avantditz, sur forfaiture de quant q'ils purront forfaire devers nous, q'ils et chescun de eux, obeissent et entendent diligentment, sicome a chescun de eux il appartiendra, ou ils ent serront requis, a notre dit uncle et lieutenant, et a ses commis et deputez, enfaisant ou pursuant les choses *avantdites* et chescun dicells.

Don', par tesmoignance de notre grant seal, a notre paleys de Westm', le xxvi. jour de Juyn, l'an de la nativite notre *Seignur mil trescentz* oeptantz, et de notre regne quart.

Per ipsum Regem et concilium.

De dolo et malâ fide Gallicorum, in tractando; de guerrâ prosequendâ; et de orando.

A. D. 1380.
An. 4 Ric. II.

Claus. 4 Ric. II. m. 38. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, A. eâdem gratiâ, episcopo Wygorniensi, salutem.

Sciatis quod nos nuper, considerantes qualiter effusionem Christiani sanguinis, in prosecutione juris regni et coronæ Franciæ, quod ad dominum Edwardum nuper Regem Angliæ avum nostrum tempore suo spectabat, et ad nos post ipsum per descensum hæreditarium pertinere dinoscitur, hiis diebus, tam tempore ejusdem avi nostri, necnon et domini Edwardi tunc principis Walliæ patris nostri, quam nostro, per facta bellicosa, inter nos et adversarium nostrum Franciæ, diversimodè et multipliciter ante hæc tempora dispersam, ob honorem Omnipotentis DEI, et gloriosæ Virginis Mariæ matris suæ, ac populi Christiani tranquillitatem et quietem, abhorrere possemus, diversos nuncios nostros, ad tractandum, cum parte dicti adversarii nostri, super pacis concordiâ, per ipsum subtiliter promissâ, ad sumptus nostros grandes et varios, ad loca diversa, cum potestate sufficienti, pluries destinavimus:

Et licet iidem nuncii nostri, ad dies et loca, inter ipsos et nuncios partis adversæ concorditer assignata, nomine nostro et pro nobis, super pace et concordiâ hujusmodi rationabiliter tractare sæpiùs se obtulerint, idem tamen adversarius noster, promissis ex parte suâ satisfacere voluntariè prætermittens, novas à nobis studuit impetrare inducias, ut sic, cum dilationibus et pertractationibus hujusmodi, contra nos et nobis adhærentes ad actus bellicos commodiùs se pararet:

Undè nos, quos præteritorum ratio didicit prænosse futura, aliud nobis superesse remedium erga dictum adversarium nostrum, qui nos, ut præmittitur, sic delusit, nisi per fortunam guerræ, non videntes, carissimum avunculum nostrum, Thomam comitem Bukinghamiæ, constabularium nostrum Angliæ, cum quibusdam aliis magnatibus, equitibùs, et peditibus regni nostri Angliæ, versus partes transmarinas, ad dictum adversarium nostrum et suos, cum DEI adjutorio, nomine nostro, debellandum, pro eo quod ad partes illas, ad præsens, personaliter accedere non valemus, de avisamento totius concilii nostri duximus transmittendum;

Ac nos, sperantes indubiè quod facta bellorum et triumphus non in loricatæ gentis numero, virtute excercitûs, aut humani brachii fortitudine proveniant, set ex DEO, in cujus subsidio, qui intentionem omnium est Cognitor, totam reposuimus fiduciam mentis nostræ, confidentes firmiter quod Ipse SUMMUS DEUS, à quo omnis victoria procedit, nobis, ac dicto avunculo nostro, et aliis sibi assistentibus, in prosecutione juris nostri, eo amplius erit favorabilis et propitius, quo plures apud eum propterea cordialiùs intercedent;

Cum itaque vestra, aliorumque clericorum, subditorum vestrorum, tam regularium quam secularium, devota præcamina nobis ac aliis supradictis sint ad hoc oportuna, velitis ergò petimus, pro recuperatione juris nostri prædicti, et felici expeditione dicti avunculi nostri, ac aliorum de comitiva sua, necnon pro pace ecclesiæ et regni, devotis intercessionibus, missarum celebrationibus, aliisque pietatis officiis assiduè exorare et exorari facere, ac, propter hoc, prædicationes et processiones, aliasque DEO placabiles hostias, per vos, ac cæteros de clero vestræ diœcesis quoscumque, exemptos et non exemptos, devotè fieri et offerri; ut eidem avunculo nostro, ac aliis supradictis, quod nostris seu eorum meritis assequi non valeat, vestris et eorum intercessionibus largiatur.

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Junii.

Per *ipsum* Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur singulis episcopis per Angliam, sub eadem data.

Pro domino de Duras, de recompensatione.

A. D. 1380.
An. 4 Ric. II.

Rot. Vascon. 4 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod cum nos, decimo octavo die Aprilis, anno regni nostri primo, de gratiâ nostrâ speciali, et pro bono servitio quod dilectus et fidelis noster Gaillardus Durford, dominus de Duras et de Blanqueford, nobis impendit, et impendet in futurum, et pro eo quod ipse, occasione præsentis guerræ, majorem partem terrarum suarum in dominio nostro Aquitaniæ amisit, sicut sumus informati, concesserimus prædicto Gaillardo ducentas libras sterlingorum regni nostri Angliæ, vel valorem ejusdem summæ in alia moneta, percipiendas annuatim ad terminos Sancti Michaelis et Paschæ per æquales portiones, per manus constabularii nostri Burdegalæ qui pro tempore foret, de exitibus receptæ suæ, quousque prædictus Gaillardus terras suas prædictas recuperaverit, vel nos sibi de valore dictæ summæ annuæ, in forma prædicta habendo, fecerimus provideri, prout in literis nostris prædictis pleniùs continetur;

Et ita existat quod postmodùm dilectus et fidelis noster Johannes dominus de Nevill, locum nostrum tenens in partibus Aquitaniæ, dedit et concessit, per literas suas patentes, præfato Gaillardo, pro bono servitio suo, domino E. nuper Regi Angliæ avo nostro et nobis impenso, et quod prædictus Gaillardus nobis indies impendit et impendet in futurum, ac, habito respectu ad amissionem terrarum suarum prædictarum, præposituram de Baiona, cum omnibus proficuis, feodis, censibus, redditibus, et emolumentis, ad eam pertinentibus, ad totam vitam prædicti Gaillardi, ita quod ipse indè faciat nobis et nostris homagium ligeum, et alia jura et deveria quæ indè fieri debent, et debita et consueta existunt, quas quidem literas nostras patentes præfati locum nostrum tenentis inspeximus in hæc verba;

JOHAN, sire de Neville, lieutenant d'Aquitane, pour nostre tressoverain seigneur le Roy de France et d'Engleterre.

Savoir faisons touz que nous, pour les bons et aggreables services, que nostre trescher et bien ame Guaillard de Durfort, sire de Duras, a fait a nostre tressouverain seigneur le Roy, qui DIEUX absoille, et fait, de jour en autre, continuelment a Roi nostre dit seigneur qui a present est, et fera par temps a venir;

Et, heu regard a ce que, a cause de ces presentes guerres, il a pardu son lieu et chastel de Duras, et la greigneur partie de ses autres terres, rentes, et revenues, qui avoit en le paiis et duche de Guiene;

A icelli Guaillard, de nostre certaine science, et du pouoir et auctorite royal, dont nous usons, avons donne et ottroie, donnons et ottroions, par ces presentes, a terme de vie, la prevoste de Baione, avec touz les proffiz, feus, cens, rentes, revenues, et autres esmolumentz, a icelle appartenans, parmi ce qu'il en face au Roy, nostre dit seigneur, et aus siens homage lige et les autres droiz et devoirs qui en doyvent estre faiz et sont duez et acoustumez;

Si mandons et commandons a touz les gens, demourans et habitans en la dite prevoste de Baionne, gentieux et autres de quelque estat ou condicion qu'ils soient, et autres a qui il appartendra, que au dit sire de Duras, come a prevost surdit, ou a son suffisant lieutenant, soient obeissant et diligaument entendans, et a li facent et de luy receyvant de serement acoustume estre fait en tel cas;

Mandons, en oultre, a touz seneschaux, juges, mairs, prevoz, et a touz autres justiciers, officers, et ministres du Roy, nostre dit seigneur et nostres, ou a leurs lieux tenans, et a chescun d'eulx, qui de la dite prevoste, avec touz les prouffiz, feus, cens, rentes, revenues, et autres esmolumens, a icelle appartenans, laissent, facent, et suffrent user et joir paisiblement le dit sire de Duras, juxte et selonc la teneur et purport de ces noz lettres patentes;

Notiffians, par ces presentes, que ceste presente donacion nous lui avons fait par raison et descharge de milles livres monoie courrante, que nostre dit seigneur le Roy li avoit donne et guarantee de et sur les revenues du chastel de Bordeaux.

Donne a Bourdeaux, soubz le seel royal de nostre office, le iv. jour de Mars, l'an de Grace mill troiscentz soixante dix et huyt.

Nos, de gratiâ nostrâ speciali, et pro eo quod idem Gaillardus literas nostras prædictas, sibi de dictis ducentis libris annuis sic factas, in cancellaria nostra restituit cancellandas, easdem donationem et concessionem præfati locum nostrum tenentis, juxta tenorem literarum suarum prædictarum, tenore præsentium, approbamus, ratificamus, et confirmamus.

Habendam dictam præposituram, cum proficuis, feodis, censibus, redditibus, et emolumentis, ad eam pertinentibus, ut prædictum est, pro termino vitæ prædicti Gaillardi, vel quousque sibi de valore ejusdem præposituræ, cum pertinentiis, in alio loco competenti, infra dominium nostrum Aquitaniæ, pro termino vitæ suæ, provideri fecerimus, et pro bono servitio, quod ipse nobis impendit, et impendet in futurum, ut prædictum est, et in recompensationem amissionis suæ prædictæ, ac plenam satisfactionem ducentarum librarum annuarum supradictarum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Junii.

Per breve de privato sigillo.

Littera Regis et Reginæ Portugalliæ, de conventionibus, cum Edvardo nuper Rege factis, renovandis.

A. D. 1380.
An. 4 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

DOM Fernando, pel la graaz de DEUS, Rey de Portugal e de Algarve, ensembra con a Reynha dona Leonor, miuha molhir, queremos, outorgamos, e avemos, por firmas e stavees, todallas aliancas, que forom fechas e firmadas anter Aduarte, Rey que foy d'Ingratierra, e nos, par Joham Fernandez Audeyro, e par Vaasco Dominguez chantor de Bragaanca, nossos procuradores:

E plaz nos e queremos que estas meesmas aliances aiamos con

Eadem litera latinè reddita.

DOMINUS Fernandus, DEI gratiâ, Rex Portugalliæ et Algarbiæ, unà cum Regina domina Alianora, meà uxore, volumus, concedimus, et habemus, pro firmis et stabilibus, omnes eas alligantias, quæ erant factæ et firmatæ inter Edwardum, quondam Regem Angliæ, et nos, per Johannem Fernandi Audeyro, et per Velascum Dominici cantorem de Bragaanca, nostros procuratores:

Ac nobis placet et volumus quod easdem illas alligantias habeamus

Richarte Rey que orehe d'Ingratierra e de Franca, nos, e todos nossos subcessors, segundo que outorgado per los dichos nossos procuradores, seem hindo em nem huna guisa contra ellas:

E juramos e prometemos, em bona fee, lealment de guarder a o dicho Rey Richarte as dichas aliancas, segundo per ellos dichos Johan Fernandez e Vaasco Dominguez chantor de Bragaanca, nossos procuradores, forom firmadas e outorgardas, e de non hir contra elas em nem huna guisa, e de as tener e coumpir, o todo tempo, segundo em ellas huam concleudo, e de jamays nom hir contra ellas per nem huna fegura que se ca.

E, por esto sseer mays firme e stavel, mandamos fuz esta carta, synada dos nossos nomes, e seelada dos nossos verdadeyros seelos grands.

Dant em Estremoz, quinze dias de Julho.
El Rey o mandon Johan a fom a fez.
Era de mil CCCC. et XVIII. annos.

Sub sigillis Regis et Reginæ.

cum Richardo, nunc Angliæ et Franciæ Rege, nos, et successores nostri, eodem modo quo concessæ erant per dictos nostros procuratores, non eundo contra illas quoquo modo:

Et juramus ac promittimus, bonâ fide, legaliter observare dicto Regi Ricardo alligantias supradictas, prout per dictos Johannem Fernandi et Velasco Dominici cantorem de Bragaanca, nostros procuratores, firmatæ erant et concordatæ, et non ire contra eas quoquo modo, ac eas tenere et complere, omni tempore, eodem modo quo erant conclusæ, et nunquam contra eas ire ullo quocunque prætextu.

Et, ut hoc sit magis firmum et stabile, mandamus fieri hanc cartam, nostris nominibus signatam, et nostris veris sigillis magnis sigillatam.

Dat' in Estremos, v. die Julii.
Rex jussit Johannem in formam facere.
Æra de mil. CCCC. et XVIII. annis.

Alligantiarum cum Rege et Regina Castellæ confirmatio, et de auxilio præstando.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

DOM Fernando, pel la graaz de DEUS, Rey de Portugal e de Algarve, ensembra con a Reynha dona Leonor, miuha molhir, queremos, e outrogamos, e avemos, por firmas e stavees, totas las aliancas, que forom fichas e firmadas anter dom Johan, Rey de Castella e de Leom e duque de Lancastre, e a Reynha dona Costanca ssua molhir, e nos, par Joham Fernandez Audeyro e par Vaasco Dominguez, chantor de Braganca, nossos procuradores, sem indo nos, n'em nossos subcessors, em nem huna guisa contra elas.

E juramos e prometemos, em bona fee, lealment de guardar a dicho Rey dom Joham, e a dicha Reynha, sua molhir, as dichas aliancas, sigundo par los dichos, Johan Fernandez e Vaascho Dominguez, chantor de Braganca, nossos procuradores, forom firmados, e de non hir contra ellas em nem huna guisa, de as tenir e gardar, em todo tempo, segundo em elas huan concluydo, e de jamais non hir contra ellas em nem huna maniera.

Outro si, prometemos, que, vyndo mosse Iman, conde de Cantebryxa, con mil homs d'armas, e con mil archeyros, aribar a os nossos regnos, que nos ocolhamos em ellos co os dichos mil homs d'armas e mil archeyros.

E prometemos de dar a o dicho mosse Iman, e jentes d'armas, em cavelos e em outras montaduras, por huna quartel d'huno anno, con preco rezoanel, par a quella maniera, que el Rey d'Ingratierra mandon pagar os gages a o dicho mosse Iman, e a os dichos mil homes d'armas.

Outrosi, prometemos de recebir, e faz recebir, o dicho conde, e gentes d'armas amigavelment, como amigos e beinquerentos, em nossas villas e castellos; e lhos faremos deliurar em que possam seer seguros, e salvament estar de dentro dos nossos regnos; prometiendo a nos o dicho mosse Imam e capitaanes deliurar os dichos castellos e villas, quand ollies nos mandarmos, e de nos nom fazer de los guerra, e de nos guardare nosse service, e dos nossos regnos.

E assi, como o dicho conde e gentes d'armas forem aribadas em nossos regnos, nos cometaremos guerra abertement, por mar, e por tierra, contra os regnos de Castellas, em a judado dicho Rey dom Joham, e da dicha Reynha ssua molhir, a nosso leal poder, e a nossas proprias costages, a ca que de los quesiera que seia cobrudos os dichos regnos, ou a moor parte d'elas.

Outro si, prometemos que, tragendo com sigo o dicho conde de Cantabrixa ssen filho, que nos casemos com el a iffanta dona Beatriz nossa filha; e o faremos recebir por Rey, depois da nossa morte segundo que foy prometido, por Johan Fernandez Andeyro, em nosso nom.

E, por esto sseer mais firme e stavel, mandamoz faz esta carta, synada dos nossos nombres, e seelada dos nossos verdadeyros seelos grands.

Dant em Estremoz, quinze dias de Julho.
El Rey o mandon Johan a fom a fez.
Era de mil CCCC. XVIII. annos.

Eadem litera latinè.

DOMINUS Fernandus, DEI gratiâ, Rex Portugaliæ et Algarbii, una cum Regina domina Leonora, mea uxore, volumus, et concedimus, et habemus, pro firmis et stabilibus, omnes alligantias, quæ factæ et firmatæ erant inter dominum Johannem, Regem Castellæ et Legionis et ducem Lancastriæ, et Reginam dominam Constantiam, suam uxorem, et nos, per Johannem Fernandi Audeyro, et per Velascum Dominici, cantorem ecclesiæ de Braganca, nostros procuratores, sine eundo contra illas per nos, vel successores nostros, ullo modo.

Et juramus et promittimus, bonâ fide, legaliter observare dicto Regi domino Johanni, et dictæ Reginæ, suæ uxori, præfatas alligantias, prout per dictos, Johannem Fernandi et Velascum Dominici, cantorem in ecclesia de Braganca, nostros procuratores, fuerant firmatæ, et non ire contra eas ullo modo, sed eas tenere ac observare, in omni tempore, eo modo quo erant conclusæ, et nunquam ire contra eas quocunque modo.

Insuper, promittimus quod quandocunque venerit dominus Edmundus comes Cantebrigiæ, cum mille hominibus armorum, et cum mille sagittariis, applicare in nostris regnis, quod nos illis in occursum ibimus, cum dictis mille hominibus armorum et mille sagittariis.

Promittimus etiam dare dicto domino Edmundo, et gentibus armorum in equis et aliis rebus equestribus, pro una quarta parte unius anni ad prætium rationabile, eodem modo, quo de mandato Regis Angliæ solvuntur vadia dicto domino Edmundo, et dictis mille hominibus armorum.

Ad hæc, promittimus recipere, et recipi facere dictum comitem, et gentes armorum, amicabiliter, sicut amicos et benevenientes, in nostris villis et castellis; et illis faciemus deliberari, undè possint esse securi, et manere tuti infra regna nostra; promittentes nobis, dictus dominus Edmundus et capitanei, dicta villas et castella, quandocunque mandabimus, restituere, et inde nobis non facere guerram, et servare nobis servitium nostrum regnorumque nostrorum.

Et, quam citiùs dictus comes ac gentes armorum in nostris regnis applicuerint, nos faciemus guerram apertè, per mare, et per terram, contra regna Castelkæ, in adjumento dicti Regis domini Johannis et dictæ Reginæ suæ uxoris, cum nostro legali posse, et ad nostras proprias expensas, usque quo conquisierit et sint recuperata dicta regna aut major pars eorundem.

Promittimus insuper quod, dicto comite Cantebrigiæ secum ducente filium suum, illi maritabimus infantam dominam Beatricem, nostram filiam; et eum faciemus recipi pro Rege, post nostram mortem, juxta quod promissum fuerat, per Johannem Fernandi de Andeyro, in nostro nomine.

Ac, ut hoc sit magis firmum et stabile, mandamus istam cartam fieri, signatam nostris nominibus, et sigillatam nostris veris sigillis magnis.

Dat' in Estremos, v. die Julii.
Rex jussit Johannem in formam redigere.
Æra de mille CCCC. XVIII. annis.

De auxilio memorato, et de matrimonio filii comitis Cantebrigiæ cum Infanta Beatrice.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

DOM Fernando, pel la graaz de DEUS, Rey de Portugal e de Algrave, ensembra con a Reynha dona Leonor, miuha molhir, prometemos, que vyndo mosse Hyman, conde de Cantabryxa, aribar a os nossos regnos, que nos ocolhamos em ellos, con mil homs d'armas, e mil archeyros.

E prometemos de dar a o dicho mosse Himan, e gentes d'armas, em cavalos, em outras montraduras, por huna quartel d'huno anno, por preco resoanel, por a quela manera que el Roy d'Ingraterra mandon payor os gages ao dicho mosse Iman, e a os dichos mil homs d'armas.

Eadem latinè.

DOMINUS Fernandus, DEI gratiâ, Rex Portugaliæ et Algarbii, una cum Regina domina Leonora, mea uxore, promittimus, quod veniendo domino Edmundo comite Cantebrigiæ, applicare in nostris regnis, quod nos in occursum ibimus, cum mille hominibus armorum, et mille sagittariis.

Ac promittimus dare dicto domino Edmundo, et gentibus armorum, in equis et in aliis hernesiis, pro una quarta parte unius anni, ad prætium rationabile, eodem modo quo Rex Angliæ mandat vadia solvi dicto domino Edmundo, et dictis mille hominibus armorum.

Outro si prometemos recebir, e faz recebir, o dicho conde, jentes d'armas amigavelment, como amigos e benquerentes, em nossos vilas e castellos, e lhos faremos deliurer, en quel posam sseer seguros, e salvament estar de dentro dos nossos regnos; prometendo a nos o dicho mice Iman e capitaanos deliurar os dichos castellos e villas, quant olhes nos mandarmos, e de nos non fazer de los guerra, e de nos guardare nosso servico e de nossos regnos.

E assi, como o dicho conde, jentes d'armas, forem aribadas em nossos regnos, nos cometartmos guerra abertament, par mar, e par tierra, contra os regnos de Castella, em ajudado my noble dom Joham, Roy de Castella e de Leom, e duque da Lancastre, e da Reynha dona Costanca sua molhir, a nosso leal poder, e a nossas proprias custagees, a ca que des quesyra, que sseia cobrados os dichos regnos, ou a mocho parte d'els.

Outro si, prometemos que, trogendo com sigo o diccho conde de Cantebryxa ssen filho, que nos casemos co el a iffanta dona Beatriz nossa filha; e o faremos recebir por Rey, depois da nossa morte, segundo que foy prometido, par Johan Fernandez Andeyro, em nosso nom.

E, por esto seer mais firme e stavel, mandamos faz esta carta, synada de nossos nombres, seelada dos nossos verdadeyros sscelos grands.

Dant em Estremos, quinze dias de Julho.

El Rey o mandon Johan a fom a fez.

Era de mil CCCC.XVIII. annos.

Insuper promittimus receptare, et facere receptari, dictum comitem et gentes armorum amicabiliter, tanquam amicos et benevenientes, in nostris villis et castellis, ac faciemus illis deliberari undè possint esse tuti et manere cum securitate infra nostra regna; promittentes nobis dictus dominus Edmundus et capitanei dicta villas et castella, quandocunque mandabimus, restituere, et indè nobis non facere guerram, ac nobis servare servitium nostrum et nostrorum regnorum.

Et statim, post comes præfatus et gentes armorum applicuerint in nostris regnis, guerram apertè, per mare, et per terram, committemus contra regna Castellæ, in adjumento nobilissimi domini Johannis, Regis Castellæ et Legionis, ac ducis Lancastriæ, ac Reginæ dominæ Constantiæ, uxoris suæ, pro nostro legali posse, et ad nostros proprios custus, eo usque quo requisierit et dicta regna sint recuperata, aut major pars eorundem.

Ad hoc, promittimus quod, dicto comite Cantabrigiæ secum ducente suum filium, nos illi maritabimus infantam dominam Beatricem filiam nostram, et faciemus eum recipi pro Rege, post nostram mortem, secundum quod fuerat promissum, per Johannem Fernandi de Andeyro, in nostro nomine.

Ac, ut hoc sit magis firmum et stabile, mandamus fieri istam cartam, nostris nominibus signatam, et sigillatam nostris veris magnis sigillis.

Dat' in Estremos, v. die Julii.

Rex mandavit Johannem in formam redigere.

Æra de mille CCCC.XVIII. annis.

Pro cardinali Nicholao, consanguineo Papæ, præbendario de Thame.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 42. in Turr. Lond.

REX, omnibus ballivis et fidelibus suis ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, ob bonam affectionem, quam erga personam reverendissimi in CHRISTO patris cardinalis Nicholai, consanguinei sanctissimi patris nostri Papæ, et propter magnam dilectionem, quam penes nos et regnum nostrum ostendit, et indies ostendere non desistit, sicut nobis est testificatum, concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, omnibus fidelibus ligeis nostris de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi procuratores dicti cardinalis in dicto regno nostro Angliæ, et firmarii et ministri præbendæ de Thame in ecclesia cathedrali Lincolniensi esse valeant, quæ quidem præbenda eidem cardinali, ut dicitur, est provisa;

Ac etiam eidem cardinali quod ipse proficua dictæ præbendæ, per manus dictorum procuratorum, firmariorum, et ministrorum suorum, recipere possit absque inquietatione nostri, vel hæredum, seu ministrorum nostrorum quorumcumque.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Julii.

Per breve de privato sigillo.

Super rebellione contra Papam, in Aquitania.

A.D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Vascon. 4 Ric. II. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, locum tenenti sive senescallo dominii nostri Aquitaniæ, ac constabulario, majori et juratis civitatis nostræ Burdegaliæ, et aliis quibuscumque officiariis et ministris nostris, in dominio nostro prædicto, et eorum loca tenentibus, salutem.

Cum nuper, ad minus veram suggestionem et sinistram procurationem quorumdam, dilectum nobis in CHRISTO, Rogerum, decanum Sancti Emiliani Burdegaliæ diœcesis, tam propter rebellionem suam multiplicem contra dominum nostrum Papam, quam propter literas quorumdam cardinalium, eidem domino Papæ similiter rebellantium, per ipsum in regnum nostrum Angliæ delatas, ut dicebatur, licet eas non præsentaverit, nec quicquam indè attemptaverit, custodiæ carcerali, veritatis inscii penitùs et ignari, fecerimus mancipari;

Quia tamen dictus decanus, qui diu progenitoribus nostris, in dictis partibus Aquitaniæ, laudabiliter deservivit, jam se coram concilio nostro, super sibi impositis in hac parte, sufficienter excusavit, in tantum ut ipsum indè innocentem reputamus penitus et immunem;

Factâ insuper nobis, super famâ et fidelitate ipsius decani, tam per magnates regni nostri Angliæ quam per nobiles et probos viros civitatis et patriæ Burdegaliensis, per literas suas, nobis in hac parte destinatas, relatione fidedignâ;

Eundem decanum à custodia hujusmodi, de avisamento concilii nostri, exigente justitiâ, deliberari fecimus, versus partes proprias, vel quo sibi placuerit, licitè transiturum;

Et ideò vobis, et cuilibet vestrûm, districtè præcipiendo, injungimus et mandamus quod omnia bona et catalla ipsius decani, et prioris Sancti Martini nepotis sui, ac familiarium suorum, per vos, aut aliquem vestrûm, occasione præmissâ, capta, arestata, seu detenta, sine dilatione et excusatione, dearestari et relaxari, et eisdem decano et priori, ac familiaribus suis, integrè restitui et deliberari faciatis;

Ipsumque decanum, ac priorem prædictum, necnon familiares suos prædictos, bonis suis hujusmodi, necnon beneficiis suis quibuscumque, in dominio nostro prædicto, non obstantibus quibuscumque literis seu mandatis nostris, vobis aut vestrûm alicui in contrarium directis, quantum ad nos pertinet, uti et gaudere permittatis pacificè et quietè.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, iv. die Augusti.

Per concilium.

De liberatione magni sigilli.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Claus. 4 Ric. II. m. 35. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM, quod bonæ memoriæ Simon nuper Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, et cancellarius Angliæ, in præsentiâ quorumdam magnatum, militum, et aliorum de familiâ regiâ, die Mercurii in vigiliâ Corporis CHRISTI anno regni Regis Ricardi secundi quarto, in quâdam camerâ infra Turrim London', magnum sigillum dicti domini Regis eidem domino Regi, quibusdam certis de causis, sursum reddidit et liberavit;

Postmodumque, die Veneris tunc proximò sequenti, præfatus dominus Rex, apud garderobam suam in civitate London', sigillum illud Ricardo comiti Arundell liberavit, pro quodam certo tempore custodiendum; qui quidem comes bursam in quâ sigillum prædictum continebatur, aperire, et litteras patentes, cartas, et brevia cum eodem sigillo consignari fecit; eodem sigillo in custodiâ prædicti comitis usque diem Dominicam tunc proximò sequentem, continuè remanente:

Dictusque comes, eâdem die Dominicâ, prædictum sigillum in bursâ prædictâ sigillo suo signatâ, contentum, præfato domino Regi apud garderobam prædictam reliberavit; quâ quidem die Dominicâ idem dominus Rex Hugonem Segrave, tunc senescallum hospitii sui, custodem sigilli prædicti constituit, et illud sibi tradidit, custodiendum quousque dictus dominus Rex posset sibi cancellarium commodius providere; qui quidem Hugo sigillum illud extunc custodivit, et cum eodem cartas, litteras patentes, et brevia, consignari fecit, usque ad diem Sabbati in festo Sancti Laurentii tunc proximò sequenti; quo die præfatus Hugo, in præsentiâ quorumdam prælatorum, magnatum et aliorum, in quâdam camerâ in abbatiâ de Redyng, sigillum prædictum, in bursâ prædictâ signeto ipsius Hugonis signatâ, inclusum, præfato domino Regi sursum reddidit et liberavit.

Memorandum etiam, quod die Sabbati post horam nonam dominus Rex in præsentiâ Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, certorum episcoporum, comitum, baronum et aliorum, in quâdam camerâ concilii infra abbatiam prædictam, præfecit et constituit venerabilem patrem Willielmum episcopum London' cancellarium Angliæ; et capto ibidem, in præsentiâ prædictorum, sacramento ipsius episcopi, de officio cancellarii benè et fideliter faciendo, sigillum prædictum, dictâ bursâ signeto prædicto signatâ, inclusum, eidem episcopo liberavit et tradidit; quodque prædictus episcopus die Dominicâ proximò sequenti, in domo capitulari abbatiæ prædictæ, circa horam primam bursam prædictam aperire, et cartas, litteras patentes et brevia, cum sigillo prædicto consignari fecit, ut est moris.

Pro cardinali Sanctæ Potentianæ, archidiacono Bathoniensi.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 27. in Turr. Lond.

REX, omnibus ballivis et fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Volentes, venerabili in CHRISTO patri, domino Ranulpho, DEI gratiâ tituli Sanctæ Potentianæ, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali, ob reverentiam sedis apostolicæ, gratiam facere specialem, concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, quibuscumque ligeis nostris, de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi procuratores dicti cardinalis, in dicto regno nostro Angliæ, ac firmarii et ministri de archidiaconatu Bathoniensi in ecclesia Wellensi esse valeant, *&c. prout in similibus de licentia literis.*

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Augusti.

De financiis et prisonario concessis.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 22. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, considerantes qualiter dilectus et fidelis noster Thomas de Felton, nuper senescallus Aquitaniæ, captus fuit de guerra, in obsequio nostro, per inimicos nostros Gallicos, et diu in prisona per dictos inimicos nostros detentus fuit, et magnam partem financiæ suæ adhuc debeat, quam ad festum Omnium Sanctorum, proximò futurum, ipsum solvere oportet, vel corpus suum ad prisonam prædictam reddere, et id, quod de financiâ suâ prædictâ solvit, amittere, et sic de vitâ suâ desperare, et de perpetuo nullatenus deliberari, prout ipse nobis *ostendebat;*

Considerantes etiam bonum servitium, quod prædictus Thomas, carissimis dominis nostris, Regi avo nostro, et patri nostro, defunctis, et nobis impendit, et quod nobis impendere poterit in futurum, et qualiter nuper concessimus et assignavimus, de assensu concilii nostri, eidem Thomæ triginta milia francorum, de redemptione et financiâ comitis de Sancto Paulo, in partem satisfactionis denariorum, dicto Thomæ per dictum avum nostrum et nos debitorum, pro servitio, per ipsum et retinentiam suam eidem avo nostro et nobis, in officio prædicto, in partibus dominii nostri Aquitaniæ facto, de quâ quidem summâ per præfatum comitem non est satisfactum, nec satisfieri potest præfato Thomæ, prout in auxilium deliberationis suæ prædictæ, indigeret;

Concessimus eidem Thomæ, de assensu concilii nostri, prisonarium nostrum Guillielmum de Bordes militem Gallicum, in manu nostrâ et in prisonâ nostrâ infra Turrim nostram Londoniæ existentem;

Dantes eidem Thomæ plenam potestatem ponendi præfatum Guillielmum ad magis altiorem redemptionem et financiam, quam poterit, in denariis vel alio modo, et ipsum indè deliberandi et plenariè acquietandi;

Volentes ulterius et concedentes prædicto Thomæ quod, de prædicta redemptione et financia, ad quam ipsum Guillielmum sic ponet, prædictus Thomas, in auxilium propriæ deliberationis suæ prædictæ, habeat et percipiat ad opus suum proprium triginta milia francorum, vel valorem eorumdem, in partem satisfactionis denariorum sibi per prædictum avum nostrum et nos debitorum, ut prædictum est;

Et quod de residuo dictæ redemptionis et financiæ, ad quam sic ponere poterit præfatum Guillielmum, ultra triginta milia francorum supradictorum, prædictus Thomas nobis respondeat ad scaccarium nostrum;

Qui quidem Thomas literas nostras acquietantiæ, quæ eidem Thomæ vel attornatis suis liberatæ fuerunt, de triginta milibus francorum, sibi per nos concessis et assignatis, de financia prædicti comitis de Sancto Paulo, ut prædictum est, in cancellaria nostra restituit cancellandas;

Et similiter idem Thomas ibidem sacramentum præstitit corporale, quod ipse ponet præfatum Guillielmum ad majorem redemptionem et financiam quam poterit, ad majorem utilitatem nostram et ipsius Thomæ, modo supradicto;

Nos verò, dilecto et fideli nostro, Johanni de Harleston et aliis, si qui jus vel partem habeant in prisonario prædicto, rationabilem satisfactionem, pro dicto jure, vel parte, ad eos sic pertinente, satisfaciemus, ut est justum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Augusti.

Per breve de privato sigillo.

De potestate tractandi cum Petro de Bare.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 25. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis, ad quorum notitiam præsentes literæ pervenerint, salutem.

Sciatis quod nos, de circumspecta fidelitate et industriâ dilectorum et fidelium nostrorum, Johannis Devereux capitanei villæ nostræ Calesii, et Roberti de Assheton capitanei castri nostri de Guynes, pleniùs confidentes;

De assensu et avisamento concilii nostri, ipsos capitaneos nostros, veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ad loquendum, tractandum, et concordandum cum nobili et potenti viro, Petro de Bare, seu ejus in hac parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso Petro habentibus, de quibuscumque bonis et firmis amicitiis, alligantiis, et confœderationibus, et mutuis auxiliis, inter nos, et hæredes nostros, pro nobis, regnis, terris, et dominiis, ac subditis et vassallis nostris quibuscumque, et ipsum Petrum, et hæredes suos, pro se, terris, et dominiis suis, ac eorum omnibus subditis et vassallis, pro perpetuo vel ad tempus duraturis, quæ et prout eisdem procuratoribus nostris, pro commodo et honore nostro, ac regnorum nostrorum magis videbitur expedire, ordinamus, facimus, et constituimus per præsentes;

Dantes et concedentes eisdem procuratoribus nostris potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis, et hæredibus, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris, præmissa omnia et singula loquendi, tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Et ea omnia, cum sic locuta, tractata, concordata, et expedita fuerint, firmandi et vallandi, et omnia alia in hac parte excercendi, quæ circa ea necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant magis speciale;

Promittentes nos ratum, gratum, et firmum habituros quicquid iidem procuratores nostri, nomine nostro, fecerint in præmissis, seu aliquo præmissorum.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', iv. die Septembris.

Per concilium.

De attemptatis, contra treugas Scotiæ, reformandis.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, carissimo avunculo suo Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lancastriæ, ac venerabili in CHRISTO patri A. eadem gratiâ archiepiscopo Eborum Angliæ primati, necnon dilectis et fidelibus suis Thomæ de Bello Campo comiti Warwicæ, Willielmo de Ufford comiti Suffolciæ, et Roberto de Hales, priori hospitalis Sancti Johannis Jerusalem in Anglia, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et providâ circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, quatuor, tres, et duos vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, ad corrigendum, reformandum, et in statum debitum reducendum omnia et singula attemptata seu facta per quoscumque incolas aut subditos regni nostri Angliæ, contra formam conventionum seu treugarum, nuper factarum et initarum inter dominum E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum, subditosque ejus, ex unâ, et David Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, defunctum, ejusque vassallos et subditos qualescumque, ex altera parte, et per illustrem principem, Robertum consanguineum nostrum de Scotia, confirmatarum;

Et specialiter ad querelas omnium et singulorum, qui de injuriis, eis contra formam dictarum treugarum in partibus marchiarum, videlicet, de la Estmarche et la Westmarche, regni nostri Angliæ, seu alibi, tam per terram quam per mare, ubi et prout vobis, quatuor, tribus, et duobus vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, expediens videbitur, factis seu perpetratis, conqueri voluerint, audiendum, et plenam et celerem justitiam inde faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ contra formam dictarum treugarum, per subditos nostros, attemptata fuerint, tam tempore prædicti David quam tempore prædicti Roberti consanguinei nostri, debitè reformandum;

Et ad omnes et singulos, in hac parte delinquentes, arestandum, capiendum, et incarcerandum, et juxta eorum demerita debitè puniendum;

Et ad consimilem reformationem et punitionem de dicto consanguineo nostro et hominibus suis de Scotia, super attemptatis, per eos et eis adhærentes, contra subditos nostros, petendum, prosequendum, et fieri faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ in hac parte necessaria fuerint vel oportuna, faciendum et exequendum;

Et ideò vobis mandamus quod vos, quatuor, tres, vel duo vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, ad certos dies et loca, super hoc præfigendos, et etiam elongandos, præmissa omnia et singula faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Super præmissis autem omnibus et singulis, faciendis et effectualiter adimplendis, damus et committimus vobis, quatuor, tribus, et duobus vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, ut præmittitur, plenam et liberam, tenore præsentium, potestatem;

Universis et singulis vicecomitibus, constabulariis castrorum et villarum, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, in dictis partibus, et dominiis nostris ibidem, tam infra libertates quam extra, dantes, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, quatuor, tribus, et duobus vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, respondentes, consulentes, et auxiliantes quotiens et prout eis, seu eorum alicui, scire feceritis ex parte nostrâ;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid vos, quatuor, tres, vel duo vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, nomine nostro feceritis in præmissis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro Rege Castellæ, de potestatibus in partibus marchiarum.

A.D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, custodibus marchiarum regni nostri Angliæ, marchiis Scotiæ adjacentium, militibus, capitaneis, castellanis, custodibus castrorum et fortalitiorum, majoribus, vicecomitibus, ballivis, ministris, ligeis subditis et fidelibus nostris quibuscumque, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum nos, de probitate, fidelitate, et industriâ carissimi avunculi nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, intimè confidentes, de assensu et avisamento concilii nostri, assignaverimus ipsum avunculum nostrum, ac certos alios fideles nostros, ad corrigendum, reformandum, et in statum debitum reducendum omnia et singula, attemptata seu facta, per quoscumque incolas aut subditos regni nostri Angliæ, contra formam conventionum seu treugarum, nuper factarum et initarum inter dominum E. nuper Regem Angliæ avum nostrum, subditosque ejus, ex unâ, et David de Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, defunctum, ejusque vassallos et subditos qualescumque, ex alterâ parte, et per illustrem principem Robertum consanguineum nostrum de Scotia confirmatarum;

Et ad quædam alia, in literis nostris patentibus, indè confectis, contenta, faciendum et explendum, prout in eisdem literis pleniùs continetur;

Nos, ut omnia et singula, in dictis literis contenta, meliorem ac celeriorem sortiantur effectum, committimus eidem avunculo nostro vices nostras, dantesque ei potestatem generalem faciendi et concedendi, quotiens, quando, et quomodo sibi videbitur expedire, omnibus et singulis, pro conservatione conventionum et treugarum prædictarum tractare, ac reformatione injuriarum, si quæ fuerint in hac parte, prosequi seu conqueri, volentibus, literas de salvo et securo conductu nostro veniendi in dictum regnum nostrum Angliæ, ac partes marchiarum prædictarum, et confinia ejusdem, ob causam prædictam, necnon ad propria redeundi:

Committimus etiam eidem avunculo nostro vices nostras, dantesque ei potestatem generalem, easdem treugas et conventiones, si in aliquo impeditæ, violatæ, seu interruptæ fuerint, corrigendi, reformandi, et in statum debitum et honestum reducendi, ac etiam, si sibi expediens videbitur, prorogandi, et eas, sic correctas, reformatas, et redactas, ac prorogatas, firmandi et nomine nostro roborandi:

Constituimus etiam ipsum avunculum nostrum locum nostrum tenentem in partibus marchiarum prædictarum, ad faciendum loco nostro, et nomine nostro exercendum omnia et singula, quæ pro salvâ et securâ custodiâ dictarum partium, contra omnes et singulos, si qui ipsas partes hostiliter ingredi præsumpserint, necessaria fuerint vel oportuna, et ad omnes et singulos homines defensabiles regni nostri Angliæ, in partibus illis, et alibi ubi eidem avunculo nostro videbitur expedire, ad proficiscendum secum, in obsequium nostrum, in defensionem regni nostri et marchiarum prædictarum, quotiens, quando, ubi, et prout sibi melius videbitur expedire, congregandi, et ipsos, si necesse fuerit, nomine nostro, viis et modis quibus convenit, ad proficiscendum in dictum obsequium nostrum compellendi;

Dantes insuper eidem avunculo nostro plenariam potestatem quod, si forsan, aliquo casu emergente, hujusmodi attemptata seu facta, ex utraque parte, modo debito corrigi, reformari, et in statum debitum reduci non valeant, per quod treugas seu conventiones prædictas, quod absit, violari contigerit et infringi, et de invasione dicti regni nostri per ipsos de Scotia aliqualiter timeatur, pro resistentia ipsorum inimicorum nostrorum ordinandi, prout pro defensione regni nostri prædicti melius et securius fore viderit faciendum;

Et ad omnia et singula castra, villas, et fortalitia partium prædictarum, tam nostra quam aliorum, supervidendi, et ea tam cum hominibus ad arma, armatis, et sagittariis, quam victualibus necessariis, sumptibus illorum quorum interest, ex causa prædicta muniri, et in hujusmodi munitione teneri faciendi, quousque pro salvatione et defensione castrorum, villarum, fortalitiorum, et partium prædictorum aliter duxerimus ordinandum; necnon pro reparatione defectuum castrorum et villarum nostrorum in dictis partibus ordinandi, prout eidem avunculo nostro pro honore et commodo nostris ac pro salvatione earumdem partium melius videbitur fore faciendum:

Constituimus etiam, facimus et ordinamus ipsum avunculum nostrum verum ac legitimum procuratorem et nuncium nostrum specialem ad loquendum, tractandum, et concordandum cum dicto consanguineo nostro de Scotia, seu ejus in hac parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso consanguineo nostro habentibus, tam de pace et concordiâ, quam de quibuscumque bonis ac firmis amicitiis et alligantiis, inter nos et hæredes nostros, pro terris, dominiis, ac subditis et vassallis nostris quibuscumque, et ipsum consanguineum nostrum et hæredes suos, pro se, terris, dominiis, et subditis suis, pro perpetuo vel ad tempus duraturis;

Dantes et concedentes eidem avunculo nostro, tenore præsentium, potestatem generalem ac mandatum speciale, pro nobis, hæredibus, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris quibuscumque, præmissa omnia et singula loquendi, tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Et ea omnia et singula, cum locuta, tractata, facta, et expedita fuerint, firmandi, vallandi;

Et omnia alia excercendi, faciendi, et explendi quæ circa præmissa, vel aliquod præmissorum, necessaria fuerint vel etiam oportuna, si mandatum exigant magis speciale;

Promittentes nos ratum, gratum, et firmum habituros quicquid idem avunculus noster, nomine nostro, in præmissis, sicut prædictum est, duxerit faciendum;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, in fide et ligeantiâ, quibus nobis tenemini, injungimus et mandamus, quod eidem avunculo nostro, in præmissis omnibus et singulis, et quolibet præmissorum, modo et formâ supradictis, faciendis et exequendis, intendentes sitis, respondentes, obedientes, consulentes et auxiliantes, prout decet.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De hominibus, pro salvatione partium Essexiæ ducendis.

A.D. 1380. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 21. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris et aliis fidelibus ligeis, et subditis nostris, in comitatu Essexiæ, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Quia pro certo intelleximus quod galeæ, et aliæ naves inimicorum nostrorum, cum magnâ multitudine armatorum, super costeram Essexiæ jam existunt, et super costeram illam applicare proponunt, ad populum et ligeos nostros ibidem destruendum, nisi eorum malitiæ viriliùs obsistatur:

Nos, eorum malitiæ, cum Dei adjutorio, volentes obviare, assignavimus dilectum et fidelem nostrum Albredum de Veer, ad ordinandum per se et deputatos suos, pro salvatione et defensione partium prædictarum; et ad omnes homines defensabiles partium illarum, tam infra libertates quam extra, congregandum et arraiandum, et eos contra dictos inimicos nostros, pro salvatione partium illarum, ducendum, seu duci faciendum, si partes illas ingredi præsumpserint; et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios invenerint seu rebelles, arestandum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, sub forisfacturâ vitæ et membrorum, et omnium aliorum quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus, quod eidem Albredo et deputatis suis in hâc parte, in omnibus et singulis præmissis, quæ pro salvatione dictæ patriæ, et repulsione ac resistentiâ dictorum inimicorum nostrorum fieri poterunt, intendentes sitis et respondentes, quotiens et prout per ipsum Albredum, aut deputatos suos, super hoc ex parte nostrâ fueritis præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ix. die Septembris.

Super financiâ Oliveri de Cleykyn.

A. D. 1380.—An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 25. in Turr. Lond.

GONSSALVUS DE SOTHO, et Guillielmus Nouell, haraut appelle la Rouche, habent literas Regis de conductu, usque ad festum Paschæ proximò futurum, duraturas, veniendo in regnum Angliæ et potestatem Regis, cum quatuor vallettis suis, ad solvendum redemptionem domini Oliveri de Cleykyn prisonarii, ibidem morando, et exindè, cum valletis suis prædictis, ad propria redeundo. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Septembris.

Acquietantia de monetâ Scotiæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux, qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Savoir vous faisons que nous avons en accompte et resceu de tresnoble et puissant prince Robert, nostre cher cosyn d'Escoce, et autres grantz de sa partie, dusze milles marcz d'esterlings, de nostre monoie d'Engleterre; c'estassavoir, pur le fest de Seint Johan le Baptistre, l'an de nostre regne second, quatre milles marcz, pur le fest de Seint Johan le Baptistre, l'an de nostre regne avantdite tierce, quatre milles marcs, et pur le fest de Seint Johan le Baptistre, darrein passe, quatre milles marcz d'esterlings, en deduction, rebat et partie de paiement de xxiv. milles marcz, les quelles nous sont clerement duez de la somme de cynquant et sys milles marcz d'esterlinges, les quielles nostre dit cosyn et autres prelatz, countes et nobles du roialme d'Escoce ont accordez et promys a paier, par leur lettres obligatoirs, a cause de la reste de la ranceon de David de Bruys, qi DIEU assoille;

De la quelle somme de dusze milles marcz nous nous tenons pur bien contentz et paiez, et enquitons, absolons, et delivrons nostre dit cosyn, et les autres issint obligez, et leur heirs, a touz jours, de mesme la somme de dusze milles marcz, issint a nous paiez come dit est;

Et, par le teneur de noz presentes lettres, nous faisons paction et covenante expresse, et en bone foye, de jammais demandre a eux, ne a leur heirs, en jugement, ne dehors, de la dite somme de dusze milles marcz, qui paiez nous sont par la cause, et come desus est dit.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le xii. jour de Septembre.

Per ipsum Regem.

De fructubus cardinalium rebellium applicandis.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 18. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis prælatis, viris religiosis, ac aliis personis ecclesiasticis, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum olim, in parliamento nostro generali, apud Gloucestriam celebrato, fructus, redditus, et proventus quorumcumque dignitatum personatuum, officiorum, ecclesiarum parochialium, canonicatuumque, et præbendarum, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quocumque nomine vel titulo censeantur, infra regnum et dominia nostra existentium, per Gallicos, seu aliter adversario nostro Franciæ quomodolibet adhærentes, quomodocumque occupatorum, de concilio et avisamento procerum regni nostri, et prout progenitores nostri, claræ memoriæ, durantibus guerris, facere consueverunt, ad manus nostras posuerimus, nostroque ærario fiscali jusserimus applicari;

Subsequenterque, per aliquos nuncios seu ambassiatores nostros, ad nos de præsentia sanctissimi patris et domini, domini Urbani, dignâ DEI providentiâ, sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ Summi Pontificis, veri CHRISTI vicarii, redeuntes, literas seu bullas apostolicas receperimus, continentes quod duas partes fructuum, reddituum, et proventuum beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales sibi rebelles occupatorum, cameræ suæ apostolicæ, propter ipsius indigentias, tertiam verò partem reparationibus eorumdem beneficiorum, reparatione indigentium, optavit et voluit applicari;

Nosque, ipsius sanctissimi patris indigentias et sumptus, quos propter defensionem fidei ac statûs sui ipsum indies oportebat impendere, in piæ considerationis examine revolventes;

Licet omnia bona ipsorum Gallicorum, seu aliàs adversario nostro Franciæ quomodolibet adhærentium, sicuti constat ipsos olim cardinales Gallicos et Limovicens' qui jam dicto sanctissimo patri de facto rebellant, eidem notoriè adhærere, et hactenus adhæsisse, infra regnum et dominia nostra existentia, nobis sint, de lege ipsius regni nostri, notoriè confiscata;

Volentes tamen eidem sanctissimo patri, etiam nostris agris sitientibus, in tanto necessitatis articulo subvenire;

Voluerimus, et de gratiâ nostrâ speciali concesserimus, ut collector, qui, pro parte ipsius sanctissimi patris, in regno nostro Angliæ foret, pro tempore, de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales, eidem sanctissimo patri rebelles, etiam si puri Gallici, vel alias dicto adversario nostro Franciæ adhærentes, extiterint, occupatorum, absque impedimento nostri, officialium vel ministrorum nostrorum quorumcumque, ad usum et utilitatem ipsius sanctissimi patris, et reparationum prædictarum, liberè disponere valeat in formâ, nobis in dictis literis apostolicis expressatâ, ad festum Sancti Michaelis, proximò jam futurum, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, plenius continetur;

Nos jam, ex testimonio discreti viri, Cosmati Gentilis, ipsius sanctissimi patris capellani et collectoris, per ipsum in dicto regno nostro deputati, intelligentes quamplures pecuniarum summas de fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum prædictorum, ad ipsum sanctissimum patrem, prætextu concessionis nostræ prædictæ, pertinentes, à retro existere, quæ citra dictum festum Sancti Michaelis commodè levari non possint;

Volentesque proindè, et maximè ob fidei zelum et piæ devotionis sinceritatem, quibus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ prædictæ, præfatoque sanctissimo patri, ardenti afficimur desiderio, eidem sanctissimo patri, circa fluctuantis Petri naviculæ regimen, hiis præsertim procellosis temporibus, insudanti, in prorogatione termini prædicti, amplioris favoris præsidia impartiri;

De gratiâ nostrâ speciali, et de avisamento et assensu concilii nostri;

Volumus et tenore præsentium, concedimus quod, elapso dicto termino Sancti Michaelis, præfatus collector de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales eidem sanctissimo patri rebelles, etiam si puri Gallici, vel alias dicto adversario nostro Franciæ adhærentes, extiterint, occupatorum, absque impedimento nostri, officialium vel ministrorum nostrorum quorumcumque, ad usum et utilitatem ipsius sanctissimi patris et reparationum prædictarum, liberè disponere valeat in formâ, nobis in dictis literis apostolicis expressatâ, usque ad festum Paschæ proximò futurum;

Reservatis nobis, seu deputandis per nos, supervisu et ordinatione ipsarum operationum, quas nullo modo volumus prætermitti;

Quocirca vobis omnibus et singulis, ac vestrûm cuilibet, præcipimus et mandamus quatinùs præfatum Cosmatum de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum quorumcumque, olim cardinalium rebellium, absque impedimento vestro, vel alicujus vestrûm, seu aliorum quorumcumque officialium vel ministrorum nostrorum, usque ad dictum festum Paschæ, adeò liberè, per se et alios, ad usum cameræ sanctissimi patris prædicti, disponere, ipsosque fructus, redditus, et proventus prædictos exigere et levare, in formâ superiùs limitatâ, absque contradictione qualibet permittatis, sicut dicti olim cardinales rebelles, tempore firmæ pacis inter nos et adversarium nostrum Franciæ, disponere consueverunt; mandato seu mandatis contrariis, per nos priùs factis, non obstantibus quibuscumque:

Volumus autem quod hæc nostra præsens gratiosa concessio, quam futuris temporibus ad consequentiam trahi nolumus, à dicto festo Sancti Michaelis, usque ad prædictum festum Paschæ, et non ultra, robur optineat firmitatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De custodiâ castri de Oye, Ricardo Holm commissâ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot Franc. 4 Ric. II. m. 19. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti nobis Ricardi Holm armigeri, plenùs confidentes, commisimus ei custodiam castri nostri de Oye, cum omnibus ad custodiam illam spectantibus; habendam quamdiu nobis placuerit: percipiendo pro custodiâ castri illius juxta formam cujusdam indenturæ, inter nos et præfatum Ricardum confectæ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est locum tenenti, sive executoribus testamenti Thomæ Goys, nuper custodis castri Regis de Oye, quod eidem Ricardo castrum prædictum, unà cum victualibus, armaturis et omnibus aliis rebus Regis in eodem castro existentibus, quæ in custodiâ suâ existunt, per indenturas inter ipsos et ipsum Ricardum modo debito conficiendum liberent, custodiendum juxta tenorem litterarum Regis prædictarum: vult enim Rex ipsos erga ipsum Regem exonerari.

Teste ut supra.

De tractando cum hominibus Quinque Portuum, super salvâ custodiâ maris.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II. Rot. Claus. 4 Ric. II. m. 35. in Turr. Lond.

REX, carissimo avunculo suo, Edmundo comiti Cantebrigiæ, constabulario castri sui Dovorr', et custodi Quinque Portuum suorum, vel ejus locum tenenti, salutem.

Affectantes intimè contra invasiones inimicorum nostrorum, qui supra mare jam noviter dampna et gravamina nobis et ligeis nostris plus solito intulerunt, et pro salvâ et securâ custodiâ maritimâ etiam necessitate exigente, in quantum poterimus, annuente DOMINO, salubri dispositione providere.

Vobis mandamus, firmiter injungentes, quod, omnibus aliis prætermissis, et excusatione quacumque cessante, cum omni festinatione quâ poteritis, convenire faciatis coram vobis, in aliquo certo loco infra libertatem Quinque Portuum prædictorum, de quâlibet villâ libertatis prædictæ, majorem et ballivos, ac tres de melioribus, discretioribus, et magis idoneis marinariis cujuslibet villarum prædictarum: et expositis eis, ex parte nostrâ, necessitate prædictâ, et periculis quæ indies nobis et ipsis, ac aliis ligeis nostris prædictis, quod absit, evenire possent, si mare salvò et securè non custodiatur et defendatur, cum eisdem majoribus, ballivis, et marinariis, colloquium habeatis et tractatum, qualiter, et quo modo per ipsorum consilium et avisamentum, mare contra hujusmodi invasiones inimicorum nostrorum prædictorum, et pro salvatione et defensione regni nostri Angliæ et subditorum nostrorum, securius custodiri valeat et defendi.

Inducentes ipsos, pro se et aliis hominibus portuum prædictorum, qui maximo periculo verisimiliter subjacent hiis diebus, ad contribuendum rationabiliter, juxta status suos, defensioni et custodiæ maris; seu ad naves, vel bargeas, supra mare ex causâ supradictâ inveniendum, prout melius videritis expedire.

Nos, de eo quod dicti major, ballivi et marinarii in hâc parte, juxta avisamentum suum melius fore viderint faciendum, et defensioni et custodiæ maris contribuere, seu, eâ de causâ, ut in navibus vel bargeis supra mare invenire voluerint, in cancellariâ nostrâ sub sigillo vestro citra Quindenam Sancti Michaelis proximò futuram ad ultimum, distinctè et apertè certificantes: remittentes nobis hoc breve.

Teste meipso apud Westm', xxvi. die Septembris.

De clero convocando.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II. Claus. 4 Ric. II. m. 35. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri, S. eàdem gratiâ, archiepiscopo Cantuariæ, totius Angliæ primati, salutem.

Qualiter inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, inter se alligati, et undique hostiliter congregati, regnum nostrum Angliæ per terram et per mare sæpius invaserunt, mala quamplurima et intolerabilia nobis et ligeis nostris inferendo; et non solum de hoc contenti, dictum regnum nostrum et ecclesiam sanctam, nosque et totam linguam Anglicanam subvertere et destruere, de die in diem totis viribus se conantur, nisi eorum malitiæ, adjuvante DEO, fortiùs resistatur, vos non credimus ignorare; undè in salvationem statûs ecclesiæ sanctæ, et regni ac populi nostrorum necessariam defensionem, sumptus, ac census, et expensas inestimabiles, effundere nos oportet: verum quia ad ipsorum onerum et sumptuum supportationem, absque juvamine fidelium nostrorum, non sufficimus, sicut scitis:

Vobis, in fide et dilectione quibus nobis tenemini, rogando mandamus, quatinùs, tam arduitate negotiorum prædictorum, quam grandibus periculis, quæ ecclesiæ et regno prædictis oculatâ fide imminere conspicitis, attentis et debitè consideratis, suffraganeos vestros, decanos et priores ecclesiarum cathedralium, abbates, et priores, et alios electivos, exemptos et non exemptos, necnon archidiaconos, capitula, conventus, et collegia, totumque clerum cujuslibet diœcesis vestræ provinciæ, ad comparendum coram vobis in ecclesiâ Omnium Sanctorum Norhampton', vel alibi prout expedire videritis, ad breviorem diem quem poteritis, more solito convocari faciatis:

Et eis dictis negotiis et periculis ibidem pleniùs expositis et declaratis, ipsos ad subsidium in hoc casu competens et necessarium, in supportationem dictorum onerum et sumptuum nobis concedendum, eo specialiùs et cum efficaciâ, quâ magis sciveritis vel poteritis, tantâ necessitate causante, inducatis, et partes vestras ad hoc effectualiter apponatis, nos in cancellariâ nostrâ de quantitate subsidii illius ac de terminis solutionis ejusdem certificantes.

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum, ac salvationem et defensionem ecclesiæ et regni prædictorum diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimile breve dirigitur A. archiepiscopo Ebor', Angliæ primati, ad convocandum clerum in ecclesiâ Beati Petri Ebor'.

Teste ut supra.

De victualibus, pro accessu hominum ad parliamentum Northamptoniæ, providendis.

A.D. 1380. An. 4 Ric. II. Rot. Claus. 4 Ric. II. m. 35. in Turr. Lond.

REX, ballivis et probis hominibus, ac vitellariis villæ de Barnet, salutem.

Volentes pro quiete et congruâ sustentatione fidelium nostrorum, qui versus villam nostram Norhampton', ubi parliamentum nostrum tenere ordinavimus, in proximò sunt venturi, ne ipsi, pro defectu victualium, aut excessivâ caristiâ eorumdem, in itinere suo versus parliamentum prædictum opprimantur seu graventur, salubri dispositione providere;

Vobis et cuilibet vestrûm, sub gravi forisfacturâ nostrâ, præcipimus, firmiter injungentes, quod omnimoda genera victualium, quæ pro adventu dictorum fidelium nostrorum fuerint necessaria, emi et provideri, et usque dictam villam de Barnet, cum omni festinatione quâ poteritis, duci et cariari:

Et vos, præfati ballivi, super victualibus hujusmodi, rationabile pretium poni et assideri faciatis: ita quod per defectum vestrum, seu alicujus vestrûm, aliqualis defectus hujusmodi victualium, aut excessiva caristia eorumdem, in dictâ villâ de Barnet non eveniat, per quod transitus seu adventus fidelium nostrorum prædictorum, usque prædictum parliamentum nostrum, poterit aliqualiter impediri.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Septembris.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis sub eâdem datâ; videlicet,

Ballivis, &c. villæ de Sancto Albano.
Ballivis, &c. villæ de Dunstaple.
Ballivis, &c. villæ de Woubourne.
Ballivis, &c. villæ de Neuport Paynell.
Ballivis, &c. villæ de Stony Stratford.

Instructiones pro commissariis in tractatu Scotiæ.

A.D. 1380. An. 4 Ric. II. Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

REMEMBRANCE des copies, envoiees a monsieur d'Espaigne et autres commissairs du Roy ordenez a estre, au jour de Marche, a tenir sur la marche d'Escoce, le primer jour d'Octobre, l'an du regne nostre seigneur le Roy quart.

Primerement, la copie de la lettre de David de Bruys, faite a Edynburgh, le xx. jour d'Octobre, l'an de Grace M.CCC.LVII. par la quele lettre, a cause de sa deliverance, il se obligea au paiement de cent mille marcz en x. anz; et a faire garder les trieues, contenues en la dite lettre, par meisme le temps; dont il y ad, en la tresorie, une autre lettre semblable faite par le dit David, faite d'une date precedente a Berewyk.

Item, la copie d'une lettre des seigneurs d'Escoce, faite a Berewyk sur Twede, le quint jour d'Octobre, l'an de Grace susdit; par le quele lettre ils se obligerent au paiement de la dite somme deinz les ditz dys anz, et a garder les dites trieues par meisme le temps.

Item, la copie d'une lettre du dit David, faite le xx. jour de Juyl, l'an de Grace M. CCC. LXIX. par la quele lettre il prist certeines trieues et les jura, a durer delors jusqes a la Purificacion de nostre Dame, adonqes prochein ensuant, et, de meisme la Purificacion, tanque a xiv. anz procheinement ensuantz et pleinement acompliez; et promist de paier lvi. mille marcz, durante le terme de mesmes les trieues, c'estassavoir, quatre milles marcs par an, a la dite feste de Purificacion.

Item, la copie d'une lettre des seigneurs d'Escoce sur meisme la matire.

Item, la copie d'une lettre du dit David; par la quele il se obligea de

paier, a la Nativite de Seint Johan, annuelement les dites quatre milles marcs, q'il devoit avoier paiez chescun an, a la Purificacion, par vertue de la dite seconde lettre du dit David.

Item, la copie d'une remembrauce, adtrouce ovesqe les dites lettres, touchante les bondes de certeines terres appartenantes a nostre seigneur le Roy et a sa partie, occupees ja par les Escotz, selonc ce que la dite remembrance fait mention.

Ceo sont les bondes de Golddynghamshire et de la Merth, queux nous demandoms pur notre seigneur le Roi d'Engleterre; c'estasavoir.

De Colbrondes path tanque au rivere de Bonne, et de Bonne sieuant le ewe de Ledre currante en Twede, oue les terres l'abbe de Menroes tanque al ewe de Galow.

Ceo sont les parceles des terres deinz le visconte de Rokesburgh purprises sur notre seigneur le Roi puis la grant triewe.

Primerement, les demeins de Kaures entiers, ove l'avouesoun de l'esglise illeque, quel avoveson appartient al' donesoun notre seigneur le Roi.

Item, les demeinz de Demun, ove les Cotiers, ove la Baliolhag et Deundeen et les demeinz de Zarles set ove le park, les demeinz de Conelyng, les terres de Blakpoul, ove l'office de serjante, Stonhoushop, Tilloly, Peucrix, Caldclues Oure et Nethere, Penangoshope, Fawehops Estree et Westree, les Neeses, les Langebyre, et Luneshope, Godwynesclu, le Morylawe, les terres de Homeleknolles, Beldmonddeschaws, la moite de Colyfordlend, les Welles que furent a William Rothereston.

Item, le est part de Grondieston, deinz la baronie de Chamberleir Neuton.

Item, les terres de Flex que furent a Alisaundre Flex, ove les terres en Hawyk que furent a dit Alisandre.

Item, les deux parties del baronie de Myntehowe, ove l'avouson de l'esglise q'estoit a Johan Turnebole.

Item, la baronie de Farnyndon entierement.

Item, les terres de Lutelneuton juxte Rokesburgh, que furent es meins Thomas Ridell.

Item, les terres de Naithanthurne, deinz la constablerie de Lauwer.

Item, un parcel de hospital de Rothurford, q'estoit en la mein Richard de Hyndmeres.

Item, le val de Lydel entierement.

Pro Rege Castellæ, de intendendo.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

Rex, universis et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, custodibus marchiarum regni nostri Angliæ, marchiis Scotiæ adjacentium, militibus, capitaneis, castellanis, custodibus castrorum et fortalitiorum, majoribus, vicecomitibus, ballivis, ministris, ligeis subditis et fidelibus nostris quibuscumque, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum nos, de probitate fidelitate et industriâ carissimi avunculi nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, intimè confidentes, de assensu et avisamento concilii nostri, assignaverimus ipsum avunculum nostrum, et certos alios fideles nostros, ad corrigendum, reformandum, et in statum debitum reducendum, omnia et singula, attemptata seu facta, per quoscumque incolas aut subditos regni nostri Angliæ, contra formam conventionum seu treugarum, nuper factarum et initarum inter dominum E. nuper Regem Angliæ avum nostrum, subditosque ejus ex una parte, et David Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, defunctum, ejusque vassallos et subditos qualescumque, ex altera parte, et per illustrem principem Robertum, consanguineum nostrum de Scotia, confirmatarum;

Et ad quædam alia, in literis nostris patentibus, indè confectis, contenta, faciendum et explendum, prout in eisdem literis pleniùs continetur;

Nos, pro salvatione et defensione regni nostri prædicti, ut tenemur, providere volentes, damus et committimus eidem avunculo nostro, tenore præsentium, plenariam potestatem quod, si forsan, aliquo casu emergente, hujusmodi attemptata seu facta, ex utraque parte, modo debito corrigi, et reformari, et in statum debitum reduci non valeant, per quod treugas prædictas, quod absit, violari contigerit et infringi, et de invasione dicti regni nostri per ipsos de Scotia aliqualiter timeatur, pro resistentiâ ipsorum inimicorum nostrorum ordinandi, prout pro defensione regni nostri prædicti melius et securius fore viderit faciendum;

Et ad omnia et singula castra, villas, et fortalitia partium prædictarum, tam nostra quam aliorum, supervidendum, et ea tam cum hominibus ad arma, armatis, quam victualibus necessariis, sumptibus illorum quorum interest, ex causa prædicta muniri, et in hujusmodi munitione teneri faciendum, quousque pro salvatione et defensione castrorum, villarum, fortalitiorum, et partium prædictorum, aliter duxerimus providendum, necnon pro reparatione defectuum castrorum et villarum nostrorum in dictis partibus ordinandi, prout eidem avunculo nostro, pro honore et commodo nostris, ac pro salvatione earumdem partium, melius videbitur fore faciendum;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, in fide et ligeancia quibus nobis tenemini, injungimus et mandamus quod eidem avunculo nostro, in præmissis omnibus et singulis, et quolibet præmissorum, modo et formâ supradictis, faciendis et exequendis, intendentes sitis, respondentes, obedientes, consulentes, et auxiliantes prout decet.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Octobris.

Per concilium.

De domo conversorum Londoniæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Claus. 4 Ric. II. m. 33. in Turr. Lond.

Rex, thesaurario et baronibus suis de scaccario, ac camerariis suis, salutem.

Cum dominus E. quondam Rex Angliæ, filius Regis Henrici, progenitoris nostri, per litteras suas patentes, intuitu caritatis, et ob reverentiam beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ, concesserit pro se et hæredibus suis, conversis suis London', ducentas et duas libras et quatuor denarios, singulis annis percipiendas ad scaccarium suum, ad sustentationem custodis domûs prædictæ, duorum capellanorum, unius clerici domorum, et aliarum rerum suarum, ad totam vitam conversorum prædictorum:

Ita tamen, quod post mortem cujuslibet eorumdem tantum decidat eis per annum de summâ prædictâ, quantum defunctus ille pro portione suâ per annum percipere consuevit, prout in litteris ipsius progenitoris nostri prædictis plenius continetur:

Vobis mandamus quod, cum dilecto clerico nostro Willielmo de Burstall, cui custodiam domûs prædictæ dominus E. nuper Rex Angliæ, avus noster, vicesimo secundo die Julii, anno regni sui Angliæ quadragesimo quinto, commisit, habendam, cum omnibus ad custodiam illam spectantibus, ad totam vitam ipsius Willielmi, cum feodis et vadiis, tam pro se ipso quam pro uno capellano, et uno clerico dictæ domui deservientibus;

Necnon pro Johanne de Sancta Maria, et Laurentio de Sancto Martino, conversis dictæ domûs jam viventibus, videlicet, à die quo ultimo computavit, ac pro Johanne de Kyngeston et Thoma de Acres, conversis ejusdem domûs, à vicesimo secundo die Martii ultimò præterito, quo die in dictam domum de mandato nostro recepti fuerunt, eodem modo quo supradicto Willielmo pro hujusmodi vadiis ante hæc tempora, juxta ratam temporis computari solebat, computetis;

Et eidem Willielmo de Burstall talia vadia pro se, et capellano, clerico, et conversis prædictis, qualia eidem Willielmo pro vadiis hujusmodi, ad dictum scaccarium allocata fuerint, allocetis; et ei id quod per compotum hujusmodi sibi deberi inveneritis, vos, præfati thesaurarie et camerarii, de thesauro nostro, solvatis.

Teste Rege, apud Westm', v. die Octobris.

Super financiâ comitis de Denia.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 18. in Turr. Lond.

Rex, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilectus nobis Johannes Shakel, propter interesse quod habemus in Alfonso filio comitis de Dene, qui obses pro prædicto comite patre suo, nuper apud bellum Nazarræ in Ispannia capto, in custodia dicti Johannis existit, nobis in magnis pecuniarum summis, juxta certam conventionem, inter nos et ipsum Johannem, super deliberatione dicti Alfonsi, factam, solvendis, teneatur;

Nos, volentes, eo prætextu, solutionem summarum prædictarum, juxta conventionem prædictam nobis faciendam, præ omnibus aliis debitis ejusdem Johannis, cuicumque alii solvendis, ratione prærogativæ nostræ regiæ, ut convenit, anteferri, et pro securitate ipsius Johannis, ne sibi aliqua violentia, arestum, districtio, seu imprisonamentum, occasione alicujus alterius debiti, inferatur, pro propria indempnitate nostra, pro-

spicere, ut tenemur, suscepimus ipsum Johannem, homines, terras, res, redditus, et omnes possessiones suas in protectionem, defensionem, et salvam gardiam nostras speciales;
Nolentes quod idem Johannes ad prosecutionem alicujus, occasione aliquarum summarum, per ipsum cuicumque alii debitarum, durante præsenti protectione nostrâ, per vos seu aliquem vestrûm capiatur, arestetur, vel inquietetur, aut per bona, res, seu catalla sua quæcumque interim aliqualiter distringatur;
Et ideò vobis mandamus quod ipsum Johannem, homines, terras, res, redditus, et omnes possessiones suas manuteneatis et protegatis;
Non inferentes eis, vel, quantum in vobis est, ab aliis inferri permittentes, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, arestum, districtionem, imprisonamentum, impedimentum aliquod, seu gravamen:
Et si quid eis. in personis aut rebus suis, contra tenorem præsentium, forisfactum, attemptatum, vel injuriatum fuerit, id eis, sine dilatione, debitè corrigi et emendari faciatis.
In cujus, &c. usque festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ proximò futurum, duraturas.
Teste Rege, apud Westm', x. die Octobris.
Per ipsum Regem et concilium.

De conductu, super duello vadiato.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis ducibus, comitibus, custodibus marchiarum regni nostri Angliæ, marchiis Scotiæ adjacentium, constabulariis, castellanis, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, ligeis subditis et fidelibus nostris, ad quos, &c. salutem.
Sciatis quod, cum quoddam duellum inter dilectum nobis Thomam del Strother, Anglicum, et Robertum Graunt, Scotum, die Lunæ, in crastino Sancti Martini proximò futuro, apud Liliattecrosse, vadiatum sit atque initum, partesque prædictæ, ad prosequendum alternatim literas de salvo conductu, videlicet, prædictus Thomas hujusmodi literas nostras de salvo conductu, pro parte suâ adversâ, penes nos, et prædictus Robertus hujusmodi literas de salvo conductu, pro parte suâ adversâ, de Roberto consanguineo nostro de Scotia, veniendo ad diem et locum prædictos, ibidem morando, et exindè redeundo, in quam magnis pecuniarum summis teneantur et obligentur, sicut dilectus et fidelis consanguineus noster, Henricus de Percy comes Northumbriæ, per suas literas, nobis in cancellariâ nostrâ est testificatus;
Nos, ex causâ prædictâ, suscepimus ipsum Robertum, ac quoscumque alios Scotos, cujuscumque conditionis fuerint, armatos sive non armatos, veniendo, ad diem et locum prædictos, ex causâ prædictâ, ibidem morando, et exindè ad propria redeundo, in protectionem et defensionem nostras speciales, ac in salvum et securum conductum nostrum;
Et ideò vobis mandamus quod eidem Roberto, aut aliis Scotis hujusmodi, ibidem ex causa prædicta veniendo, *&c. prout in literis de conductu.*
In cujus, &c. à die per carissimum avunculum nostrum Johannem Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, super hac, ex parte nostrâ, præfigendo et assignando, usque solis ortum crastini diei duelli supradicti duraturas.
Teste Rege, apud Westm', xviii. die Octobris.
Per ipsum Regem et concilium.

Pro Agapito de Columpna, cardinali, archidiacono Dunolmensi.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Pat. 4 Ric. II. p. 3. m. 15. in Turr. Lond.

REX, archiepiscopis, &c. salutem. Sciatis quod nos, volentes, venerabili in CHRISTO patri Agapito de Columpna, tituli Sanctæ Priscæ presbitero cardinali, ob reverentiam sedis apostolicæ, et ob affectionem quam idem cardinalis gerit erga nos et regnum nostrum, ut accepimus, gratiam facere specialem;
Concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, quibuscumque ligeis nostris de regno nostro Angliæ, et eorum cuilibet, quod ipsi procuratores dicti cardinalis, in dicto regno nostro Angliæ, ac firmarii et ministri sui de archidiaconatu Dunolmensi esse valeant: qui quidem archidiaconatus eidem cardinali, per dominum Summum Pontificem, ut dicitur, est provisus, *&c. prout in similibus de licentia literis.*
In cujus, &c.
Teste Rege, apud Westm', xix. die Octobris.
Per breve de privato sigillo.

De protectione.

A. D. 1380.—An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

THOMAS DE FELTON, nuper senescallus Aquitaniæ, qui nuper in partibus transmarinis, in obsequio Regis, per inimicos Regis Gallicos de guerrâ captus fuit, et qui jam ad dictas partes transmarinas, ad satisfaciendum de redemptione suâ, profecturus est, habet literas Regis de protectione, cum clausula ' Volumus,' per unum annum duraturas.
Pr. &c.
Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris. Per concilium.

Indentura treugarum Scotiæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

HÆC indentura, facta apud Berewycum, primo die mensis Novembris, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, inter inclitum principem Johannem, DEI gratiâ, Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, locum tenentem in partibus marchiarum Scotiæ, ac commissarium specialem serenissimi principis, domini Ricardi, DEI gratiâ, Regis Angliæ illustris, ex unâ, et venerabiles patres Walterum et Johannem, DEI gratiâ, Glasguensem et Dunkeldensem episcopos, ac nobiles viros, dominos Willielmum et Georgium de Douglas et Marchiæ comites, et Archibaldum de Douglas dominum Galwidiæ, commissarios magnifici principis Roberti, DEI gratiâ, Regis Scotiæ, ex parte alterâ, testatur quod, post multos et varios tractatus ac altercationes habitas apud Lyliotcrosse, Maxton, et Merchouslawe, xvii. die mensis Octobris, proximò præteriti, cum quatuor diebus sequentibus, super diversis articulis et punctis, indenturam treugarum concernentibus, inter commissarios Regis Scotiæ supradictos, et nobiles et potentes viros, dominos Thomam et Willielmum, Warwicæ et Suffolciæ comites, ac nonnullos alios ipsius domini Regis Castellæ deputatos;
Demùm commissariis et deputatis supradictis expediens videbatur quod, ad melius providendum pro quiete et securitate populi utriusque regni, et eis, quæ deducta erant in quæstionem, congruentiùs appunctuandis, præfati commissarii Regis Scotiæ ad præsentiam ipsius domini Regis Castellæ, apud Berewicum, sub securitate competenti, ultimo die dicti mensis Octobris, personaliter declinarent;
Quibus quidem die et loco, præfatis commissariis Regis Scotiæ ad præsentiam dicti Regis Castellæ venientibus, de consensu utriusque partis, prorogatus fuit dies ille ad diem sequentem, videlicet, primum diem mensis Novembris suprascriptum;
In quo quidem die inter partes prædictas extitit concordatum quod, pro quiete populi utriusque regni, à die datæ præsentium, usque ad festum Sancti Andreæ Apostoli, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, sit specialis securitas, habens vim et effectum quos habuerunt magnæ treugæ, aliàs initæ inter regna, et habent si non sint fractæ, tam per terram quam per mare, inter Reges et regna ac subditos utriusque Regis; ita quod, durante securitate prædictâ, nec castra, nec villæ, munitæ vel non munitæ, seu quævis loca, personæ, vel bona alia per partem unam vel alteram capiantur.
Quam quidem securitatem, tam præfatus dominus Rex Castellæ quam commissarii domini Regis Scotiæ supradicti promiserunt firmiter custodire, et sine dolo et fraude facere fideliter observari:
Et, si per subditos unius partis vel alterius, aliquid, contra securitatem hujusmodi, quod absit, fuerit attemptatum, custodes marchiarum de quorum parte fuerint hujusmodi attemptantes, infra mensem à tempore requisitionis, in eâ parte, in formâ quæ sequitur faciendæ, dampnum passis plenam satisfactionem impendi facient, vel personas delinquentes custodi marchiarum partis adversæ, loco satisfactionis, liberabunt;
Et nichilominus, loco pœnæ, capitaneum, seu aliam personam delinquentium, in electione dicti custodis partis adversæ, prout ei rationabile visum fuerit, puniendum, liberare et tradere teneantur.

In attemptatis autem, concernentibus bundos comitis Marchiæ, fiat requisitio, pro parte Anglicorum apud Duno, pro parte Scottorum apud Berewycum.

In concernentibus bundos comitis de Douglas, fiat requisitio, pro parte Anglorum apud Melros, pro parte Scottorum apud Rokesburgh;

Ubi verò bundi sui concernunt partes occidentales, fiat requisitio, Anglicorum ad domum Johannis filii Thomæ apud Ardkane; Scotorum verò requisitio fiat Anglicis ad prioratum de Canoniby;

In concernentibus bundos domini Archibaldi de Douglas, fiat requisitio, pro parte Anglicorum apud villam de Lochmabane, et pro parte illorum de Scotia apud castrum ibidem.

Item, concordatum est quod, ad majorem corroborationem et firmitatem præmissorum uterque Rex hujusmodi securitatem, in formâ qua suprascribitur, per eorum literas, sub eorum magnis sigillis, approbent et confirment; et Rex Angliæ literas suas hujusmodi ad monasterium de Melros, Rex verò Scotiæ suas ad monasterium de Kelshowe, citra festum Epiphaniæ Domini, proximò futurum, absque ampliori dilatione, transmittant.

Item, concordatum est quod non liceat uni parti vel alteri, durante securitate prædictâ, subditis partis adversæ aliquas taxationes vel redemptiones imponere, seu ab eis exigere, eâ occasione vel causâ ut se abstineant à gravaminibus et vexationibus hujusmodi subditis inferendis.

Item, partibus prædictis, pro quiete subditorum utriusque Regis, videatur expediens quod unus dies marchiæ, apud Ayton, absque multitudine et armis, per præfatum Regem Castellæ pro parte Regis Angliæ et magnificum virum dominum Johannem comitem de Carryk pro parte Regis Scotiæ, sufficienti potestate in ea parte suffultos, duodecimâ die mensis Junii, proximò futurâ, teneretur; set de materiâ, modo, et formâ, super et sub quibus dies illa teneri deberet, licet super hiis diutiùs inter partes prædictas altercatum extiterat, consentire nequibant;

Volebat namque pars Scotiæ quod dies illa appunctuaretur sub hac forma, videlicet, quod in illa die, ante omnia, haberetur cognitio an magnæ treugæ, alias initæ inter regna, sint fractæ seu violatæ, et culpâ cujus, vel non? et si, reperiantur non violatæ, quod tunc procedatur super observatione earumdem imposterùm et earum firmatione, ac reparatione attemptatorum contra easdem: et, si reperiantur fractæ, tunc procedatur super tractatu treugarum, noviter ineundarum, prout tunc inter partes poterit concordari:

Placuit autem præfato domino Regi Castellæ, et parti Anglorum, quod, in illa die, statim procederetur ad reparationem et debitam reformationem attemptatorum contra treugas, si pars adversa ad hoc vellet consentire, quia præfatus dominus Rex Castellæ ad reformandum quæcunque, attemptata contra ipsas treugas, pro parte illorum de Angliâ, paratum se obtulit; dumtamen consimiliter sibi fiat:

Et, si pars Scotiæ omninò vellet cognitionem, super treugarum violatione, præferri, placuit prædicto domino Regi Castellæ, pro bono pacis, quod procedatur primò ad cognitionem fractionis treugarum, honestam et debitam in hoc casu; ita tamen quod si, citra culpam partis Angliæ, treugæ non probentur per cognitionem hujusmodi violatæ, quod statim procedatur ad reformationem omnium et singulorum attemptatorum contra treugas, et ad alios articulos et puncta, indenturam treugarum concernentia: si verò, per cognitionem hujusmodi, treugæ reperiantur violatæ, quod tunc procedatur ad ea quæ fuerint rationis, et ad tractatum novarum treugarum, prout inter partes poterit concordari.

Et, quia partes prædictæ super materiâ, modo, et formâ tenendi dictam diem, prout suprascribitur, discordârunt, placuit utrique parti Regibus suis et eorum conciliis hujusmodi varietatem referri; ita quod dicti Reges, Angliæ, videlicet, apud Melros, et Scotiæ apud Kelshowe, voluntates suas in hac parte, per literas suas, mutuò certificent citra festum Purificationis Beatæ Mariæ, proximò futurum, ut sic de agendis ad dictum diem poterit comodiùs ordinari.

In quorum omnium testimonium atque fidem parti hujus *indenturæ*, penes partem Scotiæ remanenti, præfatus Rex Castellæ sigillum suum, alteri verò parti, penes partem Angliæ remanenti, Willielmus et Georgius, de Douglas et Marchiæ comites, ac dominus Archibaldus, supradicti sigilla sua alternatim apposuerunt.

Dat' apud Berewicum, anno, mense, et die supradictis.

Sub tribus sigillis cerâ rubeâ expressis, pendentibus a caudis pergamenæ.

De confirmatione, pro hominibus Westwalliæ et Suthwalliæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 1. m. 4. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus litteras patentes de confirmatione domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, in hæc verba.

EDWARDUS, DEI gratiâ, Rex Angliæ, dominus Hiberniæ et dux Aquitaniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Inspeximus litteras patentes domini Edwardi nuper Regis Angliæ, patris nostri, in hæc verba.

EDWARDUS DEI gratiâ, Rex Angliæ, dominus Hiberniæ et dux Aquitaniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Sciatis quod, cum in præsenti parliamento nostro apud Lincoln' convocato, ex parte dilectorum et fidelium nostrorum hominum de partibus Westwalliæ et Suthwalliæ, quædam petitiones nobis porrectæ fuissent, super quibusdam gravaminibus eis, ut asserunt, per ministros nostros partium illarum, præter conscientiam nostram, illatis, hactenus amovendis, et de quibusdam gratiis à nobis supplicandis:

Nos, affectantes gravamina indebita subducere, et præfatis fidelibus nostris, pro eo quod in terrâ Walliæ extiteramus oriundi, gratiam facere ampliorem, speramus etiam quod illi, quos solum natale regiis affectibus specialiter conjungit, ad nostra obsequia eo se proniores reddent et promptiores, quo ipsos fuerimus amplioribus favoribus prosecuti; infrascripta, pro eorum majori tranquillitate et commodo, eis, de nostrâ speciali gratiâ, duximus concedendum, videlicet;

Quod illa consuetudo, quæ vocatur Amobragium, decæterò non exigatur, nisi infra annum à tempore cognitionis delicti, pro quo dicta consuetudo solvi debeat. Ita tamen, quod, si infra hujusmodi annum exigatur, licet, durante anno illo, non solvatur, post annum illum finitum, nichilominus persolvatur; et, decæterò tantummodo levetur in casibus illis, in quibus, temporibus principum Walliæ levari consuevit;

Et quod bona liberorum hominum partium illarum per ministros nostros non capiantur, quatenus bona villanorum nostrorum propriorum, et bona spadonum et hominum de advocaria sufficiunt. Set primò bona villanorum nostrorum, et postmodum bona spadonum et hominum de advocaria, capi volumus; prout temporibus principum Walliæ, ut asseritur, fieri consuevit;

Et quod illa consuetudo, quæ vocatur Blodwite, decæterò non exigatur nec capiatur, nisi sanguinis effusio, per visum ballivorum nostrorum, vel aliàs per inquisitionem legitimam sit comperta; et quod in querelis de contractibus inter Wallenses et Wallenses initis, vel de transgressionibus Wallensium per Wallenses illatis, in Walecheriâ motis seu movendis, secundum legem Wallensium deducantur;

Et quod in hiis, quæ nos, vel Anglicum vel extraneum contingunt, seu contingent, per brevia nostra, vel alio modo, deducantur et tractentur, prout hactenus fieri consuevit;

Et si de hiis, quæ inter Anglicum et Wallensem, vel e contra, emerserunt, inquisitio fuerit capienda, tunc, una medietas illius inquisitionis sit de Anglicis, et altera medietas de Wallensibus, fidedignis;

Et quod in consuetudine, quæ vocatur Westua, recipiendâ, pro quâ vacca, vel quinque solidi solvuntur, sit in electione ballivorum *nostrorum* vaccam, quam tenentes optulerint, vel quinque solidos recipere; et quod ballivi nostri aliam vaccam quam oblatam, dumtamen quinque solidos valeat, non extorqueant, ullo modo:

Et quod de feloniis et transgressionibus, de quibus per ballivos nostros ex officio fuerint occasionati, seu etiam irretiti, possint à festo Paschæ proximò futuro, usque ad finem duorum annorum proximò sequentium, plenariè completorum, se in legalem inquisitionem duodecim juratorum, de partibus illis, ubi feloniæ illæ vel transgressiones factæ fuerint, ponere; et per veredictum eorum, subire judicium, prout decet;

Et quod superfluitas ballivorum nostrorum in partibus illis amoveatur; et numerus eorum decæterò admensuretur, juxta discretionem justiciarii nostri, qui pro tempore fuerit, prout pro nostro commodo et aisiamento hominum partium illarum, eidem justiciario nostro melius videbitur expedire:

Volentes et firmiter præcipientes quod præmissa omnia et singula, prout superius distinguntur, teneantur et inviolabiliter observentur; et quod ministri et ballivi nostri contravenientes, per justiciarium nostrum, vel, in ipsius defectum, per nos graviter puniantur. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso apud Lincoln', septimo die Februarii anno regni nostri nono.

Nos autem, litteras illas acceptantes, eas pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, præfatis hominibus concedimus et confirmamus, prout litteræ prædictæ rationabiliter testantur. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso apud Westm', sexto decimo die Octobris, anno regni nostri quinto.

Nos autem, concessionem et confirmationem supradictas, et omnia alia et singula in litteris supradictis contenta, rata habentes et grata, ea pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, dictis fidelibus nostris et eorum hæredibus et successoribus imperpetuum, tenore præsentium, concedimus et confirmamus, prout iidem fideles nostri et antecessores sui libertatibus et immunitatibus prædictis, virtute litterarum prædictarum, hactenus rationabiliter uti et gaudere consueverunt.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Norhampton, xvii. die Novembris.

Pro quadraginta solidis solutis in hanaperio.

De confirmatione treugarum Scotiæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Cùm nuper, inter carissimum avunculum nostrum Johannem Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, locum tenentem nostrum in partibus marchiarum Scotiæ, ex parte unâ, et quosdam commissarios carissimi consanguinei nostri de Scotia ex alterâ, pro securitate et quiete subditorum regnorum Angliæ et Scotiæ, quædam specialis securitas usque ad festum Sancti Andreæ proximum capta foret, prout per indenturas inter partes prædictas super hoc et aliis articulis confectas satis liquet, solempniter concordata, quarum quidem indenturarum, in quantum ad dictam securitatem attinet, tenor sequitur sub hac forma;

Hæc indentura, facta apud Berewycum, primo die mensis Novembris, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, inter inclitum principem Johannem, Dei gratiâ, Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, locum tenentem in partibus marchiarum Scotiæ, ac commissarium specialem serenissimi principis, domini Ricardi, Dei gratiâ, Regis Angliæ illustris, ex unâ, et venerabiles patres Walterum et Johannem, Dei gratiâ, Glasguensem et Dunkeldensem episcopos, ac nobiles viros, dominos Willielmum et Georgium de Douglas et Marchiæ comites, et Archibaldum de Douglas dominum Galawidiæ, commissarios magnifici principis Roberti, Dei gratiâ, Regis Scotiæ, ex parte alterâ, testatur quod post multos et varios tractatus ac altercationes habitas apud Lyliotcrosse, Maxton, et Merchouslawe, xvii. die mensis Octobris proximò præteriti, cum quatuor diebus sequentibus, super diversis articulis et punctis, *&c. prout supra de dat.* 1 *Nov.*

Nos verò, ut ipsa securitas per nostros subditos in omnibus inviolabiliter servaretur, statim, postquam nobis de ipsa constitit, ipsam per totum regnum nostrum fecimus proclamari, et per quoscumque subditos nostros, sub pœnis gravissimis, præcepimus ac volumus in omnibus firmiter observari;

Ipsamque nichilominus, ad majorem ipsius corroborationem et firmitatem, approbamus, ratificamus, et confirmamus, ac observare et observari facere promittimus bonâ fide;

Quod ad omnium et singulorum, quorum interest, tam Anglicorum quam Scotorum, notitiam deducimus per præsentes, magni sigilli nostri munimine roboratas.

Dat' apud Northampton', primo die Decembris.

De treugis proclamandis.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Northumbriæ, salutem. Cum nuper inter alia, inter nos et illos de Scotia, super attemptatis per subditos utriusque partis, contra magnas treugas, nuper initas per commissarios nostros ac alterius partis, ad hoc assignatos, tractata et ordinata, apud villam nostram Berewici super Twedam, concordatum existat, pro quiete populi utriusque regni, et ut securius et commodius interim tractari poterit super eisdem, quod, à primo die mensis Novembris proximò præterito, usque ad festum Sancti Andreæ Apostoli, proximò jam futurum, sit specialis securitas, habens vim et effectum quos habuerunt dictæ magnæ treugæ, et habent si non fuerint fractæ, tam per terram quam per mare, inter nos, regna, et subditos utriusque partis, ita quod, medio tempore, nec castra, nec villæ, munitæ vel non munitæ, seu quævis loca, personæ, vel alia bona, per partem unam vel aliam capiantur;

Quam quidem securitatem commissarii utriusque partis promiserunt hinc indè firmiter custodire, et sine dolo et fraude facere fideliter observari;

Ac insuper concordatum existat quod, si per subditos unius partis vel alterius aliquid contra securitatem hujusmodi, quod absit, fuerit attemptatum, custodes marchiarum, de quorum parte fuerint hujusmodi attemptantes, infra mensem à tempore requisitionis, in ea parte, faciendæ, dampnum passis plenam satisfactionem impendi facient, vel personas delinquentes custodi marchiarum partis adversæ, loco satisfactionis, liberabunt, et nichilominus, loco pœnæ, capitaneum, seu aliam personam delinquentium, in electione dicti custodis partis adversæ, prout ei rationabile visum fuerit, puniendum liberare et tradere teneantur;

Prout in literis dictorum commissariorum nostrorum, super hoc factis, quas de avisamento concilii nostri confirmavimus, pleniùs continetur;

Tibi præcipimus quod statim, visis præsentibus, securitatem seu treugas illas, ac pœnam in eisdem contentam, tam in portubus maris, villis mercatis, et aliis locis, ubi melius expedire videris, quam in ballivâ tuâ, tam infra libertates quam extra, publicè proclamari et firmiter teneri facias in formâ prædictâ; et hoc nullo modo omittas.

Teste Rege, apud Northampton', ii. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium in parliamento.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus, majoribus, et ballivis subscriptis, sub eadem datâ; videlicet,

Vicecomiti Cumbriæ, &c.

Ad comitem Flandriæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

REX, nobili et potenti viro, Lodewicò comiti Flandriæ, amico nostro carissimo, salutem cum dilectione sincerâ.

Cum nuper certæ naves subditorum vestrorum Flandriæ, in partibus occidentalis admiratûs regni nostri Angliæ, per ligeos nostros, credentes firmiter ac timentes, ut asseruerunt, ipsas naves, contra navigium nostrum supra mare, in auxilium inimicorum nostrorum hostiliter insurgere voluisse, arestatæ et captæ fuissent:

Nos verò statim, cum de hujusmodi captione navium prædictarum docti fuerimus et informati, eas, secundum vim et effectum tractatûs et concordiæ, inter nos et dictum regnum nostrum et vos et terram vestram existentium, de avisamento concilii nostri, subditis vestris prædictis, extra manus ligeorum nostrorum, plenè et integrè restitui fecimus et liberari, quod ad notitiam vestram, per præsens testimonium nostrum, volumus pervenire:

Vestram igitur amicitiam attentè rogantes quatinus, pro deliberatione et restitutione certorum navium et bonorum, diversorum mercatorum nostrorum, de regno nostro Angliæ, ac diversarum personarum, ipsis mercatoribus servientium, quæ infra dominium et potestatem vestra, per subditos vestros, occasione prædictâ, licet injustè, arestata et detenta existunt, sicut ex parte ipsorum mercatorum nostrorum jam accepimus, cum omni festinatione ministris vestris, quorum interest, velitis demandare; maximè cum nos, ex parte nostrâ, id quod justitia requirit, in hac parte, subditis vestris plenariè fecimus cum favore.

Dat' in palatio nostro Westm', xvi. die Decembris.

De Thoma Brokhull custode castri de Merk, constituto.

A. D. 1380.—An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 22. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti nobis Thomæ Brokhull' armigeri, pleniùs confidentes, constituimus ipsum custodem castri nostri de Merk per unum annum; percipiendo, pro custodiâ illâ, juxta formam cujusdam indenturæ indè inter nos et ipsum Thomam confectæ.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De navibus et marinariis arestandis, in auxilium exercitûs coram Nantes in Britannia jacentis.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Johanni Orwell, servienti nostro ad arma, et Willielmo Wille, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad arestandum pro obsequio nostro, naves, bargeas, balingeras, et alia vasa, usque ad numerum viginti, de admiratu occidentali, ac etiam marinarios et alias gentes defensabiles, tot et tales, quot vobis videbitur fore necessarios, ubicumque tam dictas naves, bargeas, balingeras, et alia vasa, quam marinarios et alias gentes prædictas, supra mare seu alibi, infra libertates vel extra, invenire poteritis;

Et ad eosdem marinarios, et alias gentes, pro denariis nostris, ipsis per te, præfate Johannes, solvendis, ponendum et proficisci faciendum in dictis navibus, bargeis, balingeris, et aliis vasis, in dictum obsequium nostrum in ripariâ de Leyre, ubi melius fuerit, in auxilium et afforciamentum carissimi avunculi nostri comitis Bukingamiæ, et excercitûs nostri, coram Nauntes in Britanniâ jacentium;

Et ad eadem naves, bargeas, balingeras et alia vasa, ibidem, in dicto obsequio nostro morari faciendum, quamdiu eidem comiti et dicto exercitui indiguerit.

Et ad omnes et singulos, quos in hâc parte contrarios inveneritis seu

rebelles, arestandum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque de eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis mandamus, firmiter injungentes, quod circa præmissa cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, marinariis navium, ac aliis fidelibus nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et cuilibet vestrûm in præmissis intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout ipsi, vel eorum aliquis, per vos vel alterum vestrûm, super hoc ex parte nostrâ fuerint præmuniti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Decembris.

Per concilium.

Pro passagio hominum ad arma, ad partes Britanniæ profecturorum.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Waltero Haule et Thomæ Credy, servientibus suis ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad arestandum quascumque naves et craieras, et alia vasa, ubicumque ea invenire poteritis in admiratu australi et occidentali, tam ea, quæ vocantur Picardes, quam alia, quæ ad ducendum equos ad partes Britanniæ, et alibi in partibus transmarinis, sunt habilia, pro passagio certorum hominum ad arma, et sagittariorum in obsequium nostrum, ad dictas partes in proximo profecturorum;

Ac etiam marinarios pro eisdem vasis necessarios, ubicumque eos invenire poteritis, infra libertates vel extra; et eadem naves, craieras et alia vasa, sic in aresto morari faciendum, ita quod sint promptæ et paratæ pro dicto servitio nostro, prout infra breve ex parte nostrâ fuerint oneratæ, absque elongatione seu recessu de dicto aresto, sub pœnâ forisfacturæ navium, craierarum, et aliorum vasorum prædictorum, et quicquid ultra in corporibus et bonis forisfacere poterunt.

Et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios vel rebelles inveneritis, arestandum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ad certificandum, cum omni festinatione quâ poteritis, concilio nostro apud London' de numero dictorum navium, craierarum, et aliorum vasorum, quæ sic arestaveritis, ac de nominibus eorumdem, et quot equos quodlibet eorumdem portare poterit et deferre.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa, cum omni diligentiâ intendatis, et ea faciatis et expleatis in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes, auxiliantes et respondentes, quotiens et prout eis, vel eorum alicui, scire feceritis ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Decembris.

Per concilium.

Eodem modo assignantur Walterus de Leicestre et Johannes Morwell, servientes Regis ad arma, conjunctim et divisim, ad arestandum quascumque naves, craieras, et alia vasa, quæ inveniri poterunt in portu Suthamptoniæ, et abindè super costeras maris et in aqua Thamisiæ usque London', et ibidem, tam ea quæ vocantur Pycardes, &c. ut supra.

Teste ut supra.

Per concilium.

Eodem modo assignatur Thomas Seynill serviens Regis ad arma, ad arestandum, &c. in portu de Kyngeston super Hull, et abinde in admiratu de North' usque os aquæ Thamis', tam ea, &c. ut supra.

Teste ut supra.

Per concilium.

De tractando de amicitiis inter Regem et imperatorem Alemanniæ.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inter gloriosas rei publicæ curas, et regalium solicitudinum fructus uberes, estimamus præcipuum aliorum principum et Regum sublimium sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum, affinitatum et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc inde, amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri.

Quod, dum intra mentis nostræ præcordia diligentius tractaremus cum serenissimo fratre nostro domino Wencelao, Dei gratiâ, Rege Romanorum et Bohœmiæ Rege illustrissimo, et, divinâ favente clementiâ, imperatore futuro; nedum hujusmodi amoris fœdera stringere, set affinitatem et perentelam contrahere, ligasque firmas, speciales et perpetuas, præ ceteris optabamus inire: undè cum super hoc certi ambassatores nostri celsitudini suæ per nos primitus mitterentur, quædam dieta tenendi in Flandriâ, in festo Epiphaniæ Domini proximè, nedum pro ligis et amicitiis hujusmodi appunctuandis, set per tractatum matrimonii inter nos et serenissimam dominam, dominam Annam ipsius fratris nostri sororem illustrem, prælocuti feliciter, Dei gratiâ, concludendum inter eos extitit mutuo concordata.

Et proindè, de legalitate, industriâ et circumspectione providis dilectorum et fidelium nostrorum Thomæ comitis Kantiæ fratris nostri, mareschalli Angliæ, venerabilis patris Johannis episcopi Herefordensis, Hugonis Segrave seneschalli hospitii nostri, Simonis Bureley camerarii nostri, Ricardi Adderbury militis cameræ nostræ, magistrorum, Roberti Braybrok, Walteri Skirlawe, clericorum nostrorum, et Bernardi van Sedles militis prædictæ cameræ nostræ, plenius confidentes, ad tractandum et concordandum cum ambassatoribus, procuratoribus, nunciis seu deputatis prædicti fratris nostri, sufficiens mandatum ad infrascripta habentibus, super ligis, confœderationibus, et amicitiis specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter eundem fratrem nostrum, subditos suos, regna et dominia sua quæcumque, ex unâ, ac nos, subditos nostros, ac regna et dominia nostra quæcumque, ex parte alterâ, ineundis.

Ac etiam de modo, formâ, quantitate et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc inde tempore necessitatis mutuò ministrandi, et de communicationibus inter subditos hincinde in mercimoniis et aliis licitis securè et fraternaliter faciendi; necnon super sponsalibus, seu matrimonio inter nos et serenissimam Annam supradictam, ipsius fratris nostri sororem inclitam, feliciter, per Dei gratiam, contrahendis, et de quantitate et qualitate dotis eidem assignandæ, seu arris in hâc parte constituendis.

Ac etiam quomodo, et quando prædicta domina per parentes et amicos suos nobis transmitti, et in domum nostram regiam traduci debeat, ordinandi et disponendi; necnon ea, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, tam super ligis quam super contractu matrimonii prædicti, cum omni securitate honestâ et debitâ, nomine nostro, firmandi; consimilemque securitatem pro nobis et nomine nostro, petendi, stipulandi et recipiendi.

Jurandique in animam nostram quod tractata, conventa et concordata ibidem rata habebimus et grata, nec aliquid procurabimus vel faciemus per quod tractata et concordata hujusmodi, effectum debitò frustrari poterunt seu quomodolibet impediri.

Cæteraque omnia et singula faciendi, excercendi, et expediendi, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura negotiorum hujusmodi exigunt et requirunt, et quæ nos faceremus, seu facere possemus, si personaliter ibidem præsentes essemus, etiam si talia sint, quæ mandatum exigunt quantumcumque speciale;

Prædictos, Thomam, Johannem, Hugonem, Simonem, Ricardum, Robertum, Walterum, et Bernardum, septem, sex, quinque, quatuor, tres et duos eorumdem, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos et nuncios speciales facimus, ordinamus et constituimus per præsentes, promittentes in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros, quicquid per procuratores nostros prædictos, septem, sex, quinque, quatuor, tres, aut duos eorumdem, actum, gestum, seu procuratum fuerit, in præmissis et singulis præmissorum, ipsosque procuratores et nuncios nostros, ac quemlibet eorumdem, ab omni onere satisdandi, expressè, tenore præsentium, relevamus: aliis mandatis, seu procuratoriis nostris, prius in hâc parte factis, in suo nichilominus robore duraturis.

Dat' in palatio nostro Westmonasterii, sub magni sigilli nostri testimonio, xxvi. die mensis Decembris.

Per ipsum Regem.

Eodem modo assignantur per alias litteras Regis patentes prædicti comes Kantiæ, episcopus, Hugo, Simon, Robertus, Walterus et Bernardus. ad præmissa in formâ prædictâ facienda.

Dat' ut supra.

De tractando, super matrimonio inter Regem et Annam sororem Imperatoris.

A. D. 1380. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inter cætera, quæ regnorum aliorumque principatuum, jure successorio sanguinis delatorum, feliciùs firmant regimina, est principantium hujusmodi prolis fœcunditas, ex matrimonio legitimo derivata, per quam, exclusis nedùm extraneis, set collateralibus suis et legitimis hæredibus, successiones hujusmodi directâ lineâ deferuntur.

Hæc itaque, dum, discursis annis puerilibus, in quibus jura regni suscepimus, ad annos pubertatis pervenimus, se nostræ considerationis examini præsentarent, de habendâ nobis conthorali condignâ, quæ foret divinæ et humanæ domûs socia, ac successionis hujusmodi propagativa, cepimus solicitè cogitare.

Et, dum ad serenissimam dominam, dominam Annam, natam quondam, celebris memoriæ, Karoli, nuper Romanorum Imperatoris et Regis Bohemiæ, oculos nostræ considerationis direximus, placuit nobis, nedùm propter ipsius nobilitatem, set propter famam celebrem bonitatis ipsius, nostris auribus instillatam, cum ipsâ præ cæteris, fœdus inire conjugii conjugalis.

Undè, cum, post aliquos tractatus, super hoc habitos, pro negotii hujusmodi conclusione, quædam diæta in Flandria fuerit assignata, pro cujus observatione ambassatores solempnes, tam pro parte ipsius dominæ Annæ et amicorum suorum quam nostrâ, debebant, juxta condicta ibidem, in festo Epiphaniæ Domini proximò convenire;

Et pro tanto, de legalitate, industriâ, et circumspectione providis dilectorum et fidelium nostrorum, Thomæ comitis Kantiæ, fratris nostri, marescalli Angliæ, Hugonis Segrave, senescalli hospitii nostri, et Simonis de Burley, camerarii nostri, et eorum cujuslibet, pleniùs confidentes;

Ad contrahendum sponsalia seu matrimonium cum dictâ dominâ Anna, si præsens fuerit, alioquin cum ipsius procuratore, sufficiens ad hoc mandatum habente, etiam per verba de præsenti, vel aliàs, prout meliùs et ordinatiùs de jure fieri poterit, et in eandem, nomine nostro, matrimonialiter consentiendum;

Necnon ad tractandum cum procuratoribus, parentibus, et amicis ipsius dominæ de dote, dotalitio, et donatione propter nuptias, ac arris in hac parte constituendis;

Et de qualitate ac quantitate, necnon de terminis et locis solutionis et satisfactionis eorumdem, ac etiam ad quem locum prædicta domina per parentes et amicos suos transmitti, ac quomodo, et quando, in domum nostram regiam traduci debeat, conveniendum et concordandum;

Et ea, quæ sic tractata, conventa et concordata fuerint, quatenus ad nos attinet, omnimodâ securitate, honestâ et debitâ, nomine nostro, firmandum;

Consimilemque securitatem, pro nobis et nomine nostro, petendi, stipulandi, et recipiendi, jurandique in animam nostram quod contractum hujusmodi ratum habebimus, nec potestatem præsentem eis datam revocabimus, aliquidve faciemus vel procurabimus per quod contractus hujusmodi, seu ejus debita consummatio, in casu quo per dictos procuratores nostros, vel ipsorum aliquem, sic contrahi contigerit, poterit quomodolibet impediri;

Cæteraque omnia et singula faciendi, excercendi, et expediendi, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint vel oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nos faceremus seu facere possemus, si personaliter ibidem præsentes essemus, etiam si mandatum exigant quantumcumque speciale;

Prædictos, Thomam, Hugonem, et Simonem, ac eorum quemlibet, per se et in solidum, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales, organumque vocis nostræ, in hac parte, facimus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes, in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid, per procuratores nostros prædictos, vel ipsorum aliquem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis et singulis præmissorum;

Ipsosque procuratores et nuncios nostros, et eorum quemlibet, ab omni onere satisdandi expressè, tenore præsentium, relevamus; aliis mandatis seu procuratoriis nostris, prius in hac parte factis, in suo nichilominus robore duraturis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xxvi. die mensis Decembris.

Per ipsum Regem.

De potestate concedendi salvos conductus.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m 18. in Turr. Lond.

REX, carissimo fratri suo Thomæ de Holand, comiti Kantiæ, marescallo Angliæ, ac venerabili in CHRISTO patri Johanni episcopo Herefordensi, salutem.

Sciatis quod, cum assignaverimus vos et quosdam alios fideles nostros, ad tractandum et concordandum cum ambassatoribus, procuratoribus, nunciis, seu deputatis, serenissimi fratris nostri, Wencelai, DEI gratiâ, Regis Romanorum et Bohemiæ illustrissimi, et, Divinâ favente Clementiâ, Imperatoris futuri, super ligis, confœderationibus et amicitiis specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter eundem Regem fratrem nostrum, subditos suos, regna, et dominia sua quæcumque, ex unâ, ac nos, subditos nostros, ac regna, et dominia nostra quæcumque, ex alterâ parte, ineundis;

Necnon ad contrahendum sponsalia seu matrimonium cum carissimâ dominâ, domina Anna, natâ quondam, celebris memoriæ, Karoli, nuper Romanorum Imperatoris et Regis Bohemiæ, si præsens fuerit, alioquin cum ipsius procuratore, etiam per verba de præsenti, vel aliàs, prout meliùs et ordinatiùs de jure fieri poterit;

Et ad quædam alia, in diversis literis nostris patentibus, vobis indè confectis, contenta, faciendum et exequendum, prout per easdem literas plenè poterit apparere;

Nos, ut prædicti ambassatores, procuratores, nuncii, et deputati ipsius fratris nostri, ab ipso, ex causis præmissis, transmissi, usque villam nostram Calesii, vel alibi, infra potestatem et districtus nostros, pro finali expeditione negotiorum prædictorum, libentiùs et securiùs accedant, volentes providere, ac de fidelitate, discretione, et industriâ vestris pleniùs confidentes, vobis, et utrique vestrûm, ut sufficientes literas, de salvo conductu sive de salvâ gardiâ nostris, prædictis ambassatoribus, procuratoribus, nunciis, et deputatis, pro se, ac gentibus, equis, hernesiis, bonis et rebus suis quibuscumque, veniendo, ex causâ prædictâ, usque Calesium, aut alibi, infra potestatem et dominium nostra, ibidem morando, et ad propria redeundo, in tali numero et per tantum tempus, prout fuerit oportunum, et discretionibus vestris melius videbitur expedire, concedere, et sub sigillis vestris, aut alterius vestrûm, facere poteritis, plenam, tenore præsentium, concedimus facultatem.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xii. die Januarii.

Per ipsum Regem.

Littera procuratoria Annæ filiæ Caroli Imperatoris et Regis Boemiæ, ad tractandum de matrimonio contrahendo.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

NOS Anna, DEI gratiâ, claræ memoriæ, serenissimi ac invictissimi principis et domini, domini Karoli, quondam Romanorum Imperatoris et Boemiæ Regis, patris nostri carissimi, filia, recognoscimus, tenore præsentium, universis quod, ad consilia, requisitiones, necnon inductiones, serenissimi principis, domini Wenceslai, Romanorum et Boemiæ Regis, domini et fratris nostri pertimendi, necnon, serenissimæ principis, dominæ Elizabethæ, Romanorum Imperatricis, et Reginæ Boemiæ, dominæ et matris nostræ carissimæ, necnon, animo deliberato, voluntate liberâ, et ex certâ scientiâ, constituendos duximus, et constituimus in hiis scriptis, nostros veros, certos, et legitimos procuratores, et nuncios speciales, præsentes, et onus procurationis in se spontè recipientes, illustrem principem dominum Przenislaum, ducem Teschinensem, consanguineum nostrum carissimum, et nobiles Conradum Kreyger ac Petrum de Wartenberg, dicti domini Regis et fratris nostri consiliarios, ad contrahendum matrimonium, nostro nomine atque vice, per verba de præsenti, cum serenissimo principe domino Richardo Rege Angliæ dumtaxat;

Et ad faciendum omnia et singula in hujusmodi contractu, quomodolibet oportuna, etiam si mandatum exigant speciale, et quæ nos facere possemus si personaliter adessemus;

Promittentes, bonâ fide et absque dolo, ratum et gratum tenere et inviolabiliter observare quodcunque, per dictos procuratores et speciales nuncios nostros, in contractu dicti matrimonii, actum, factum fuerit quomodolibet, sive gestum.

Et, quia proprio sigillo nondum uti consuevimus, præmissa sub majestatis sigillo prædicti domini et fratris nostri Romanorum et Boemiæ Regis, et in præsentiâ venerabilium patrum, dominorum, Johannis Pragensis archiepiscopi, et Conradi Lubicensis episcopi ecclesiarum; illustrium principum, domini Henrici ducis Slesiæ et domini Bregensis, domini Procopii marchionis Moraviæ, consanguineorum; dilectorum nostrorum, et nobilium, Andriæ et Henrici de Duba, Thymonis de Colditx, Bothonis de Czastolowitz, et Benessii de Duba, voluimus et rogavimus roborari.

Et nos, Wenceslaus Romanorum et Boemiæ Rex prædictus, publicè profitemur, nos, ad petitionis instantiam serenissimæ principis, dominæ Annæ prædictæ, sororis nostræ præcarissimæ, majestatis nostræ sigillum præsentibus appendisse.

Datum in castro Burgelehens, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quartâ, x. kalen. Februarii.

Procuratoria Elizabethæ, matris Annæ supradictæ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

ELIZABETH, Divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imperatrix semper Augusta, et Boemiæ Regina, recognoscimus, tenore præsentium, universis quod, de circumspectionis et legalitatis industriâ illustris principis domini Przimislai ducis Theschinensis, consanguinei nostri karissimi, ac nobilium, Conradi Cregar, serenissimi principis domini Wengeslai Regis Romanorum et Boemiæ filii nostri karissimi, curiæ magistri, et Petri de Wartemberk al. de Kost, dicti filii nostri camereingii, plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, animo deliberato, et de certa nostra scientia, in præsentia nobilium, Sdenkins de Waldensteyn magistri curiæ nostræ, Hermant de Kussuyk burgravii nostri Groten. et honorabilis Martini canonici Olomucensis, thesaurarii nostri, dicto domino duci et nobilibus præfatis plenam, liberam, et omnimodam dedimus, et damus præsentibus, facultatem, de et super parentelâ, inter serenissimum principem dominum Ricardum Regem Angliæ, et excellentem virginem, domicellam Annam natam nostram, nostro nomine, tractandi, ordinandi, disponendi, et in animam nostram jurandi;

Et quidquid per dictos, ducem et nobiles, in ipso parentelæ negotio, pro hac vice, tractatum, ordinatum, disponitum, et qualitercunque juratum in animam nostram fuit, hoc ipsum ratum, gratum, et firmum habere, tenere, et inviolabiliter observare volumus, promittimus, et debemus, præsentium, sub appenso nostro sigillo, testimonio literarum.

Datum Prage, die penultimâ mensis Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo.

Commissio Imperatoris ad tractandum de amicitiis, et de ligâ contra scismaticos. *

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

WENCESLAUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper Augustus et Boemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis quod de illustris Przemislai ducis Teschinensis, principis et sororii nostri carissimi, ac etiam nobilium, Conradi de Kreyger, magistri curiæ nostræ, et Petri de Wartenberg, conciliariorum et fidelium dilectorum nostrorum, legalitatis, virtutis, et probatæ circumspectionis industriis plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, ipsos, animo deliberato, de certa nostra scientia, et sano principum, baronum et procerum nostrorum accedente consilio, nostro nomine, creavimus, constituimus, fecimus, creamus, facimus, constituimus, et, meliori modo et formâ quibus fieri potest, præsentibus ordinamus, nostros ambaxiatores, procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales;

Dantes et concedentes eisdem plenam et omnimodam potestatem tractandi, contrahendi, iniendi, faciendi, et consummandi, pro nobis et hæredibus nostris Boemiæ Regibus, amicitias, uniones, et ligas fraternales, et etiam colligantias, statum et honorem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, et sanctissimi in Christo patris et domini, domini Urbani Papæ sexti, concernentes, ad exterminium scismaticorum, nunc vigentium et rebellium, præsentium et futurorum, ipsius domini Urbani Papæ prædicti, et successorum suorum canonicè intrantium, et per collegium cardinalium, dicto domino Urbano adhærens, eligendorum, cum serenissimo principe domino Richardo, Rege Angliæ illustri, fratre nostro carissimo, pro se, et suis hæredibus Angliæ Regibus;

Et easdem amicitias, uniones, et ligas fraternales, necnon colligantias pro sacrosancta Romana ecclesia, et domino nostro Urbano, Papâ prædicto, nostro nomine, et hæredum nostrorum, literis nostris firmandi, et in animam nostram jurandi;

Ac etiam, nostro nomine à dicto domino Rege Angliæ juramenta recipiendi, de et super præmissa servando et etiam adimplendo;

Ac omnia et singula faciendi, quæ pro consummatione seu factione amicitiarum, unionum, et fraternalium ligarum, necnon colligantiarum prædictarum, necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna; et quæ nos facere et concludere possemus si personaliter adessemus, etiam si mandatum exigant speciale:

Promittentes nichilominus, pro nobis, et dictis hæredibus nostris Boemiæ Regibus, ratum, gratum, atque firmum inviolabiliter observare, quidquid per præfatos sororium et conciliarios nostros, ducem Teschinensem, Conradum de Creyeger, et Petrum de Wartenberg, nostro nomine, in præmissis, actum, factum, seu consummatum fuerit, quomodolibet, sive gestum, præsentium, sub Regiæ nostræ Majestatis sigillo, testimonio literarum.

Datum Nuremberg, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quartâ, kalen' mensis Februarii, regnorum nostrorum anno Boemiæ decimo octavo, Romanorum verò quinto.

De mandato domini Regis,
Cacell' archiepiscopus Pragen'.

De inquirendo, de balingeris in statu ad deserviendum Regi.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 18. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Willielmo de Elmham, admirallo nostro flotæ navium versus partes boriales, et Johanni Staple servienti nostro ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad inquirendum per sacramentum proborum et legalium hominum, de admiratu prædicto, tam infra libertates quam extra, per quos rei veritas melius sciri poterit, quot bargeæ et balingeræ infra decem annos proximò præteritos, tam pro obsequio domini E. nuper Regis Angliæ, avi nostri, quam nostro, factæ fuerunt; et ubi, et ad quorum manus devenerunt; et quæ jam sunt habiles, et in statu ad deserviendum nobis in obsequio nostro supra mare; et quæ de reparatione indigent, et emendatione, et de quantâ summâ poterunt emendari et reparari; et de omnibus aliis articulis et circumstanciis, præmissa qualitercumque tangentibus, pleniùs veritatem.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ; et inquisitiones indè distinctè et apertè factas, nobis in cancellariam nostram sub sigillis vestris, seu alterius vestrûm, sine dilatione mittatis, et hoc breve:

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm, in *præmissis* faciendis et exequendis, intendentes *sint*, *consulentes*, auxiliantes, et respondentes, quotiens et prout eis, vel eorum alteri, scire feceritis ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Februarii.

De navibus arestandis, pro passagio hominum ad arma, ad partes Britanniæ profecturorum.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 18. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Willielmo de Elmham, admirallo nostro flotæ navium versus partes boriales, et Johanni Staple, servienti nostro ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad arestandum quascumque naves et craieras, et alia vasa, ubicumque ea invenire poteritis infra admiratum prædictum, tam infra libertates quam extra, quæ ad ducendum equos ad partes Britanniæ, et alibi ad partes transmarinas, ac pro passagio certorum hominum ad arma et sagittariorum, in obsequium nostrum, ad dictas partes in proximò profecturorum, apta sunt et habilia; vasis et naviculis piscatorum de Blakeneye, Cleye, et Crowemere, ac aliorum villarum et locorum adjacentium in comitatu Norffolciæ, pro piscatione deservientibus et ordinatis, duntaxat exceptis.

Ac etiam, ad marinarios pro eisdem navibus, craieris et vasis, necessarios, ubicumque eos invenire poteritis infra dictum admiratum, tam infra libertates quam extra, exceptis piscatoribus earumdem villarum de Blakeneye, Cleye et Crowemere, et aliarum villarum et locorum adjacentium in comitatu prædicto, arestandum et capiendum: et ad eadem naves, craieras et vasa, cum marinariis prædictis, usque portum Suthampton' duci faciendum; ita quod prompti sint ibidem et parati in festo Paschæ proximò futuro ad ultimum, sub pœnâ forisfacturæ omnium, quæ nobis forisfacere poterunt.

Et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios vel rebelles inveneritis, arestandum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque de eorum punitione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et expleatis in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, ac marinariis navium, et aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes, auxiliantes et respondentes, quotiens et prout eis, vel eorum alteri, scire feceritis ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Februarii.

De resistendo inimicis Regis in terrâ de Lybourt.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.
Rot. Vascon. 4 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Lupo de Sancto Juliano de Sant, ac dominis Durtybye de Lohet, Despelete de Garron, de Paganduru, de Hactisse, de Sorohete, de Hirigoyen', ac aliis universis et singulis nobilibus et plebanis terræ nostræ de Lybourt, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, salutem.

Quia intelleximus quod gentes de regno Castellæ, inimici nostri notorii, qui dilectos et fideles nostros, probos homines civitatis nostræ Baionæ et patriæ adjacentis, dampnificant et molestant, dictam terram nostram ingredi, et per eam transire indies permittuntur, quod nobis displicet in immensum; vobis et cuilibet vestrûm, super fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, et super forisfacturâ omnium, quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus, ac etiam inhibemus, ne inimicos nostros prædictos, seu eorum aliquem, terram nostram prædictam, pro aliquibus dampnis sive gravaminibus alicui ligeorum et subditorum civitatis nostræ prædictæ, vel dictæ patriæ adjacentis, quantum in vobis est, ingredi, vel per eam transire aliqualiter permittatis: set potius omnem vestram, et cujuslibet vestrûm, diligentiam et laborem, ad resistendum dictis inimicis nostris in hâc parte, cum totâ potentiâ vestrâ, super fide, ligeantiâ et forisfacturâ prædictis, efficaciter apponatis.

Damus autem vobis et cuilibet vestrûm, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod, vocatis coram vobis ligeis et subditis nostris terræ prædictæ, in curiâ publicâ et apertâ, prout moris est ibidem, præsens mandatum nostrum eis notificare et proclamare faciatis, ne quis materiam habeat se de præmissis per ignorantiam excusare.

In cujus, &c.

Dat' in palatio Regis Westm', xviii. die Februarii.

Per concilium.

De conductu pro certis mercatoribus Franciæ; et de financiâ Thomæ de Felton.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 17. in Turr. Lond.

LE Roy, as touz admiralx, capitains, chastelleins, conestables, gardeins des chasteulx et forteresses, et leur lieutenantz, gardeins des portz, estroiz et autres lieux de meer, viscontes, mairs, baillifs et quiconques autres noz ministres, liges et foialx, sibien par meer come par terre, et si bien de cea come dela la meer, as queux cestes noz lettres vendront, saluz.

Sachez que come a notre cher et foial Thomas de Felton, qui nadgairs estoit pris de guerre en notre service par noz ennemys Franceois, et mys a outrageouse ranceon, eons grantez et fait bailler souz certeine forme, en eide de mesme sa ranceon, et de la breive deliverance William de Bordes chivaler Franceois, li quel William le dit Thomas a mys a certeine finance, dont le dit William ad paiez un certeine quantite, en partie de quitance et descharge du dit Thomas, et du remenant ne li poet quipter et descharger, sicome il deveroit, a ce que le dit Thomas nous ad dit, si nous ne veullons granter de notre grace notre sauf conduyt a certeins marchantz Franceois, desqueux les nouns s'ensuent; cestassavoir,

Johan de Brest, Thomas Thesomer, Guyot de Quelmy, et David du Chastel, q'ils touz quatre ensemble, ou les trois, deux, ou l'un de eux, puissent ou puisse amesner par meer en niefs et vesseux de Flandres, ou autres q'ils purront trover, dys milles toneux de vyn de la Rochelle, Xenctonge, et Poytou, et des marches environ en celles parties, as parties de notre roialme d'Engleterre, de Flandres, de Picardie, de Normandie ou de Bretaigne, sauvement, sanz grief, ou empeschement d'aucuns de noz subgiz et obeissantz, pur les vendre au profit de eux, et du dit William, pour li en eider a paier le remanant, dont il doit quipter et descharger le dit Thomas par la cause susdite; la quele grace, a la supplication du dit Thomas, considerez la matire susdite, et le damage et grief que le dit Thomas a eu par sa longe demoere en prison, nous luy avons grantez en eide de luy, et de sa dite deliverance;

Nous, porce de notre grace, et par la fin de cynquant marcs paie a notre oeps par le dit William, par la dite cause, avons pris et preignons par cestes noz presentes lettres, en notre seure et sauf conduyt, et en notre especiale protection, au durere du darreine jour du mois de Septembre proschein venant, jusqes a la fine du mois de Juyn lors prochein ensuiant, mesmes les marchantz, quatre, trois, deux, ou un de eux, lour vadletz Franceois, ou autres, tanque a vingt persones, et les dites niefs et vesseux, queux q'ils soient, et auxi les mestres et mariners diceux, venantz ovesque les dites vins, q'ils ensi amesneront, alantz sur la mere, demurantz es ditz parties d'Engleterre, Flandres, Picardie et Normandie, par tout notre seignurie et poair, pour le dite cause, et retournantz franchement la, ou ils ount abusoigner parensi toutefoiz que des ditz vins ils amesnent, ou facent amesner, deux milles toneux au meins en notre dit roialme, et les vendent illoeqes.

Par qoi vous mandons, et comandons a vous et a chescun de vous, estroitement et fermement enjoignantz, que les susditz marchantz, quatre, trois, deux, ou un de eux, et lour vadletz Franceois, ou autres, tanque a vingt persones, et les dit niefs et vessealx, queux q'ils soient, et les mestres et mariners diceux, suffrez franchement, peisiblement, et quietement venir par totes voz destroitz et poaire, ovesque les ditz vins q'ils amesneront, et aler sur la meer, et demurer es ditz parties d'Engleterre, Flandres, Picardie et Normandie, par tout notre seignurie et poair, et les ditz vins vendre, et ent leur profit faire, pour la dit cause, et retournir franchement la ou ils ont abusoigner, en la manere et forme avantdite, sanz faire, ou suffrir estre fait a eux, ou a aucun de eux, grief ne damage, male, molest, arest, ne empeschement aucune, par nulle voie, sur grief forfaiture devers nous.

En tesmoignance de quele chose nous avons fait faire cestes noz lettres patentes, adurere du darrein jour du mois de Septembre prochein venant, jusques a la fine du mois de Juyn lors prochein ensuiant, come dessus est dit.

Don' souz notre grant seal a Westm', le xx. jour de Feverer.

Per breve de privato sigillo.

De protectione pro comitivâ Thomæ domini de Berkele.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 17. in Turr. Lond.

THOMAS BYNGHAM de comitatu Somersetiæ, qui in obsequium Regis, in comitivâ dilecti et fidelis Regis Thomæ domini de Berkele, ad partes Britanniæ profecturus est, habet litteras Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Februarii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras de protectione habent subscripti, qui in comitivâ præfati Thomæ ad partes prædictas profecturi sunt, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Ricardus Upton, nuper hostelarius et bruer' London, armiger. Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Martii. Per billam, &c.

Robertus Baudry armiger. Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Martii. Per billam, &c.

Thomas Mareschall miles, de comitatu Somersetiæ, Johannes Brys armiger, de comitatu Somersetiæ, Adam Preston de comitatu Somersetiæ, Walterus Blaumpayn de comitatu Somersetiæ. } *Teste Rege, apud Westm', ii. die Aprilis. Per billam, &c.*

Johannes Mordon de comitatu Cantebr', Walterus Hulton de comitatu Hunt'. } *Teste Rege, apud Westm', iv. die Aprilis. Per billam, &c.*

Johannes Cornwaill miles. Teste Rege, apud Westm', vii. die Maii. Per billam, &c.

Johannes Trie de comitatu Glouc', Laurentius Dyne de Herleston armiger, Robertus Flete. } *Teste Rege, apud Westm', ii. die Aprilis. Per billam, &c.*

Adam Basyng de comitatu Buk', armiger. Teste Rege, apud Westm', v. die Aprilis. Per billam, &c.

Johannes Venour, Johannes Horsyngdon. } *Teste Rege, apud Westm', xviii. die Aprilis.*

De custodiâ castri de Guynes Briano de Stapelton commissâ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.
Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Briani de Stapelton, plenius confidentes, commisimus ei custodiam castri nostri de Guynes, habendam per unum annum, juxta formam cujusdam indenturæ indè inter nos et ipsum Brianum confectæ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xi. die Marcii.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est Roberto de Assheton, nuper custodi castri prædicti, quod eidem Briano castrum prædictum, unà cum victualibus, armaturis et omnibus aliis rebus Regis in castro prædicto existentibus, quæ in custodiâ suâ existunt, per indenturam indè inter eos modo debito conficiendam, liberet, habendum juxta tenorem litterarum Regis prædictarum: vult enim Rex ipsum indè erga Regem exonerari.

Teste ut supra.

De Willielmo de Hoo, capitaneo de Hammes constituto.

A. D. 1381.—An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Willielmi de Hoo, pleniùs confidentes, commisimus ei custodiam castri nostri de Hammes, cum omnibus ad custodiam illam spectantibus, habendam quamdiu nobis placuerit; percipiendo pro custodiâ castri illius juxta formam cujusdam indenturæ, inter nos et præfatum Willielmum confectæ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxi. die Marcii.

Per concilium.

De tractando cum ambassatoribus Regis Alemanniæ.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, omnibus, ad quos, &c. salutem. Inter gloriosas rei publicæ curas, et regalium solicitudinum fructus uberes estimamus præcipuum aliorum principum et Regum sublimium sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum, affinitatum, et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus hinc inde amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri.

Quod, dum intra mentis nostræ præcordia diligentius tractaremus, cum serenissimo fratre nostro domino Wencelao, Dei gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Rege illustrissimo, et Divinâ favente Clementiâ, Imperatore futuro; nedum hujusmodi amoris fœdera stringere, set affinitatem et parentelam contrahere, ligasque firmas, speciales et perpetuas, præcæteris optabamus inire: undè, cum certi super hoc ambassatores nostri celsitudini suæ per nos primitus mitterentur, placuit modò eidem serenissimo fratri nostro, pro voluntate et desiderio nostris, ad implendum solempnes ambassatores et consiliarios suos, illustrem Prezennium ducem Teschinen', Conradum Kreyger, magistrum curiæ, et Petrum de Vortenburg, magistrum cameræ, et Burgramum Prag, dicti fratris nostri;

Nedum pro ligis et amicitiis hujusmodi appunctuandis, set pro tractatu matrimonii inter nos et serenissimam dominam, dominam Annam ipsius fratris nostri sororem inclitam, prælocuti feliciter, Dei gratiâ, concludendo, in regnum nostrum ad nostram præsentiam destinare.

Nos volentes ulterius procedere in præmissis, ac de circumspectione et legalitate dilectorum et fidelium nostrorum, Edmundi comitis Cantebrigiæ, patrui nostri carissimi, Hugonis Segrave, senescalli hospitii nostri, et Albredi de Veer, camerarii nostri, militum, plenius confidentes, ad tractandum, ordinandum et concordandum, cum ambassatoribus, procuratoribus, nunciis, seu deputatis prædicti fratris nostri, potestatem ad infrascripta habentibus, super ligis, confœderationibus, et amicitiis fraternalibus et specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter eundem fratrem nostrum, subditos suos, regna et dominia sua quæcumque, ex unâ, et nos, subditos nostros, ac regna et dominia nostra quæcumque, ex parte alterâ, ineundis.

Ac etiam de modo, formâ, quantitate et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hincinde tempore necessitatis mutuò ministrandi, et de communicationibus inter subditos, hincinde in mercimoniis et aliis licitis securè et fraternaliter faciendi; necnon super sponsalibus, seu matrimonio inter nos et serenissimam Annam supradictam, feliciter, per Dei gratiam, contrahendis, et de quantitate et qualitate dotis eidem assignandæ, seu arris in hâc parte constituendis.

Ac etiam quomodò, et quandò prædicta domina per parentes et amicos suos nobis transmitti, et in domum nostram regiam traduci debeat, ordinandi et disponendi: necnon ea, quæ sic tractata, conventa et concordata fuerint, tam super ligis quam super contractu matrimonii prædicti, cum securitate honestâ et debitâ, nomine nostro, firmandi; consimilemque securitatem pro nobis et nomine nostro, petendi, stipulandi et recipiendi.

Jurandique in animam nostram quod tractata, conventa et concordata hujusmodi, rata habebimus atque grata, cæteraque omnia et singula faciendi, exercendi, et expediendi, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura negotiorum hujusmodi exigunt et requirunt, et quæ nos faceremus seu facere possemus, si personaliter præsentes essemus; etiam si talia sint, quæ mandatum exigunt quantumcumque speciale;

Prædictos, Edmundum, Hugonem, et Albredum, et duos eorumdem, nostros veros, legitimos et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos et nuncios speciales facimus, ordinamus, et constituimus per præsentes; promittentes in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros, quicquid per procuratores nostros prædictos, aut duos eorumdem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis et singulis præmissorum.

Dat' in palacio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xxix. die mensis Martii.

Per ipsum Regem.

Pro cardinali Bononiæ, præbendario in ecclesiâ Lincolniæ.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 2. m. 2. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, pro bonâ affectione quam erga personam reverendissimi in Christo patris, cardinalis Bononiæ, cui dominus Summus Pontifex de præbendâ, quam Petrus, olim cardinalis Beatæ Mariæ Inviolatæ, in ecclesia cathedrali Lincolniæ, optinuit, per privationem dicti olim cardinalis, providit, ut asseritur, gerimus, et pro bona dilectione quam idem cardinalis Bononiæ nobis et regno nostro hactenus monstravit, et indiès monstrat, prout nobis est testificatum:

Concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, tam dicto cardinali Bononiæ, quod ipse, per procuratores suos, possessionem dictæ præbendæ legitimè assequi et continuare possit, et proficua ejusdem præbendæ ac membrorum et pertinentiarum suorum quorumcumque, per manus procuratorum, firmariorum, et aliorum ministrorum suorum, percipere, quam quibuscumque fidelibus ligeis et subditis nostris de regno nostro Angliæ, quod ipsi possint esse procuratores ejusdem cardinalis Bononiæ, in regno nostro prædicto, ac firmarii et ministri sui præbendæ prædictæ, cum omnibus membris et pertinentiis suis prædictis, absque impetitione nostri, vel hæredum, seu ministrorum nostrorum quorumcumque.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Aprilis.

Per breve de privato sigillo.

De supervidendo castra et fortalitia in partibus Calesii.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis capitaneis, castellanis, custodibus castrorum et fortalitiorum, necnon majoribus, ballivis, aldermannis et aliis fidelibus et subditis nostris, in partibus Calesii et Guynes, et alibi in partibus prædictis, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et providâ circumspectione dilecti et fidelis nostri Johannis Devereux, capitanei villæ nostræ Calesii, plenius confidentes, assignavimus ipsum ad supervidendum omnia castra et fortalitia nostra in partibus illis, et munitionem eorumdem, tam hominum armatorum, sagittariorum, quam aliorum quorumcumque, pro munitione hujusmodi ibidem ordinatorum; et ad injungendum ex parte nostrâ vobis, præfati capitanei, et aliis habentibus regimen et superioritatem omnium soldariorum ibidem, tam hominum armatorum et sagittariorum quam aliorum, quos idem Johannes pro hujusmodi munitione minus sufficientes assignare poterit, ut eosdem soldarios insufficientes abindè ammoveri, et alios sufficientes et idoneos, loco eorum, poni faciatis, sub periculo quod incumbit.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm mandamus, firmiter injungentes, quod eidem Johanni in omnibus, quæ pro honore nostro et salvâ custodiâ partium prædictarum fuerint facienda, intendatis, obediatis et pareatis, quotiens et prout per præfatum Johannem ex parte nostrâ fueritis requisiti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Aprilis.

Per concilium.

Pro cardinali Perusinensi, cancellario Herefordensi.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II. — Pat. 4 Ric. II. p. 2. m. 9. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, pro bonâ affectione quam erga personam reverendissimi in CHRISTO patris, cardinalis Perusinensis, cui dominus Summus Pontifex de cancellariâ ecclesiæ cathedralis Herefordensis, per privationem olim cardinalis Glandacensis, qui cancellarius ejusdem ecclesiæ fuerat, providit, ut asseritur, gerimus, et pro bonâ dilectione quam idem cardinalis nobis et regno nostro hactenus monstravit et indiès monstrat, prout nobis est testificatum, concessimus et licentiam dedimus, quantum in nobis est, tam dicto cardinali, quod ipse, per procuratores suos, *&c. prout in similibus de licentia literis.*

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Aprilis.

Per breve de privato sigillo.

Pro cardinale Ravennas, contra cardinalem Albanensem.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II. — Pat. 4 Ric. II. p. 2. m. 9. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Considerantes affectionem quam reverendus in CHRISTO pater, cardinalis Ravennensis, erga nos et regnum nostrum Angliæ gerit, et quod ipse nuper de bonis suis, jocalibus, et aliis, usque ad valorem quatuor millium florenorum, cardinali Albanensi antequam præsens scisma in ecclesiâ oriebatur, ex confidentiâ speciali, Avinione tradidit, ad opus ipsius cardinalis Ravennas custodiendis;

Quodque prædictus cardinalis Albanensis, postmodum antipapæ adhærens, bona prædicta eidem antipapæ liberavit, in ipsius cardinalis Ravennas grave dampnum, ut concepimus;

De gratiâ nostrâ speciali concessimus eidem cardinali Ravennas, quantum in nobis est, quod ipse, ex hac causa, de fructubus beneficiorum dicti cardinalis Albanensis, in regno nostro Angliæ, seu de pecuniis, de eisdem fructibus provenientibus, præfato cardinali Albanensi debitis et debendis, in quorumcumque manibus fuerint, habeat et recuperet summam quatuor milium florenorum antedictam.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Aprilis.

Per breve de privato sigillo.

Confœderationes renovatæ inter Regem Franciæ et procuratores Castellæ.

A. D. 1381 An. 4 Ric. II. — Bibl. Cotton. Titus. A. III. 2.

PETRUS LUPI de Ayala miles et vexillarius illustrissimi principis et domini mei, domini Johannis Regis Castellæ et Legionis, præsesque suus in Guipusca, et Fernandus Alfonsi de Algana, decretorum doctor, et Burgensis ecclesiæ decanus, procuratores et procuratorio nomine dicti domini nostri Regis, habentes ad infrascripta speciale mandatum, prout constat per literas dicti domini nostri Regis, super hoc confectas, quarum tenor scribitur inferius, notum facimus universis, præsentibus et futuris, quod cum dudùm, inter illustrissimum principem et dominum fœlicis recordationis, dominum Henricum, quondam Regem Castellæ et Legionis, pro se, et pro dicto domino Rege, qui tunc erat suus primogenitus, ex parte unâ, claræ memoriæ, dominum Karolum, tunc Regem Franciæ, pro se, et pro illustrissimo principe domino Karolo, nunc Rege Franciæ, suo primogenito et hærede, ex alterâ, certæ ligæ et confœderationes conceptæ et habitæ fuerint sub certis conditionibus, exceptionibus, atque modis, prout in literis, super hoc ex utraque parte confectis, latiùs continetur;

Nos ligas, confœderationes, et amicitias prædictas, sub modis, conditionibus, et exceptionibus contentis in literis, confectis super hoc, cæteraque universa et singula, in eisdem litteris contenta, nomine procuratorio dicti domini nostri Regis Castellæ et Legionis, pro eodem domino nostro Rege Castellæ moderno, et pro primogenito hærede et successore, nato seu nascituro, regnis, terris, et subditis suis, cum dicto domino Karolo Rege Franciæ moderno, pro se, et pro primogenito hærede et successore, nato seu nascituro, regno, terris, et subditis suis, ad quos primogenitos, hæredes, et successores, hinc indè, ligas et confœderationes hujusmodi extendi volumus, et extendimus, quo supra nomine, ratas et gratas habentes, eas et ea, tenore præsentium, confirmamus: excipientes tamen ab hujusmodi fœdere, cum cæteris aliàs exceptis, Wincelaum, nunc Romanorum Regem, loco defuncti Karoli, Romanorum, dum viveret, Imperatoris, patris sui, qui exceptus fuerat in confœderationibus memoratis.

Sanè, quia in eisdem confœderationibus cavetur expressè defunctum Petrum, qui dum viveret, se Regem Castellæ dicebat, si quomodocunque captus fuisset in guerra, dicti domini Regis Henrici aut sui primogeniti captivum debuisse teneri, nostræ intentionis existit, hocque dominus Karolus Rex Franciæ voluit et consentiit, quod, si contingat ducem Lancastriæ, qui nunc se Regem Castellæ nominat, in guerra quomodocunque capi, idem dux Lancastriæ efficiatur dicti domini Regis Castellæ et Legionis, suive prædicti primogeniti et hæredis, captivus, possitque dictus dominus noster Rex, vel suus prædictus primogenitus et hæres, de eodem duce, prout de dicto defuncto Petro, virtute dictarum confœderationum, potuisset, ordinare suæ voluntatis beneplacitum;

Prædictis confœderationibus, quoad alios, de sanguine regali Angliæ, qui, in casu suæ captionis, debent esse dicti domini Regis Francorum, suive primogeniti et successoris captivi, insuper et quoad alios universos et singulos articulos in eis comprehensos in suo robore duraturis.

Quæ omnia et singula prædicta nos, Petrus et Fernandus, procuratores prædicti, quo supra nomine, pro dicto domino nostro Rege, et pro primogenito hærede et successore, nato seu nascituro, regnis, terris, et subditis suis, juramus in animam dicti domini nostri Regis, super ymaginem Sanctæ Crucis, tactis per nos sacrosanctis Euangeliis, promittimusque bonâ fide tenere et teneri, ac, omni fraude et malo ingenio cessantibus, adimpleri et inviolabiliter observari, sub obligatione et pœnis in prædictis literis expressatis.

Tenor verò procuratorii et potestatis nostræ sequitur in hæc verba.

In DEI nomine, amen. Noverint universi, præsentes literas seu præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno à nativitate ejusdem Domini millesimo trecentesimo octogesimo, indictione quartâ, die verò decimâ octavâ mensis Decembris, constitutus personaliter, serenissimus princeps et dominus, dominus Johannes, DEI *gratiâ*, Castellæ et Legionis Rex, me Petro Fernandi publico notario et testibus infrascriptis coram sui præsentiâ existentibus, et ad infrascripta specialiter convocatis, fecit, constituit, ac etiam ordinavit, facit, constituit, et ordinat, omnibus melioribus modo, viâ et formâ quibus de jure potuit et debuit, suos veros, certos, legitimos, et indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorum suorum gestores, et nuncios speciales, et ambaxiatores, videlicet, nobilem virum Petrum Lupy de Ayala militem et vexillarium dicti domini Regis constituentis ac suum præsidem in Guipusca, et venerabilem ac circumspectum virum, dominum Fernandum Alfonsi del Algana, decretorum doctorem et ecclesiæ Burgensis decanum, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi mediare valeat et finire:

Quibus concessit plenam et liberam potestatem, ac mandatum, ratificandi, innovandi, et firmandi omnes et singulos tractatus, conventiones, ligas, pacta, et compositiones, qui et quæ positi, concordati et firmati fuerunt aliàs, et sunt inter illustrissimos principes et dominos, videlicet, dominum Karolum, bonæ memoriæ, olim Francorum Regem ex unâ parte, et dominum Henricum, ejusdem memoriæ, quondam Regem Castellæ et Legionis, patrem dicti domini Regis constituentis, ex alterâ, pro se, suisque filiis primogenitis, natis vel nasciturìs, contra quascunque personas quæ possunt vivere et mori, cujuscunque statûs, præeminentiæ, sive dignitatis existant, etiamsi regalis fuerit aut alia, sub declarationibus, conditionibus, ac modo, et formâ quibus dictæ ligæ et confœderationes inter dictos principes, pro se, et suis prædictis primogenitis, aliàs factæ fuerint, et prout in literis, super hoc confectis, pleniùs continetur;

Firmandique dictas ligas et confœderationes per sacramentum, in animam dicti domini Regis constituentis, et præstandi quodcumque aliud juramentum circa præmissa et quodlibet præmissorum necessarium seu etiam opportunum;

Et obligandi omnia bona regalia præfati domini Regis constituentis, cum pœnâ seu pœnarum adjectione, vel alterius cujuscunque compositionis;

Et solvendi sumptus et expensas, dampna, et interesse, si defecerit in hiis, quæ per præfatos procuratores suos ratificata et innovata fuerint ac firmata:

Dansque etiam, insuper, sæpedictus dominus Rex constituens prædictis suis procuratoribus plenam et liberam potestatem, et speciale mandatum, generaliter omnia alia et singula tractandi, concordandi, et firmandi quæ in præmissis, et circa præmissa, et quodlibet præmissorum, fuerint necessaria seu etiam quomodolibet opportuna, etiam si talia sint vel majora quæ mandatum exigant speciale, et quæ idem dominus Rex constituens faceret, et facere posset, si præmissis, et eorum cuilibet, personaliter interesset;

Promisitque michi, publico notario infrascripto, stipulanti et recipienti vice et nomine quorum interest, vel intererit quomodolibet in futurum,

se ratum, gratum, et firmum perpetuò habiturum totum et quicquid, super præmissis, et eorum quolibet, per supradictos procuratores suos, vel eorum alterum, fuerit factum, ratificatum, innovatum, et firmatum, sub ypothecâ et obligatione omnium bonorum suorum.

In quorum omnium testimonium idem dominus Rex constituens mandavit et petiit indè fieri seu confici præsentes literas, redactas in formam publici instrumenti, ipsius domini Regis constituentis propriâ manu subscriptas, ejusque proprii sigilli appendentiâ munitas.

Acta fuerunt hæc, apud Metmam del Campo, in camerâ dicti domini Regis constituentis, anno, indictione, die, mense, quibus supra, regnante dicto domino Rege constituente, anno secundo.

Præsentibus, nobilibus viris, domino Petro Fernandi de Bellasco dicti domini Regis primo camerario, ac Fernando Sancii de Tonar admirallo Castellæ, et Dioto Lupi de Astimega milite, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Petrus Fernandi clericus Vingen. publicus auctoritate notarius, qui præmissis omnibus et singulis supradictis, dum sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, unà cum prænominatis testibus, præsens interfui, et de mandato et requisitione dicti domini Regis constituentis hanc literam procuratoriam manu meâ propriâ scripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito et consueto, unà cum appensione sigilli, et roboratione nominis dicti domini Regis constituentis, signavi rogatus, in testimonium præmissorum, pariter et requisitus.

Nos, &c. de mandato Regis, in suo concilio, Petrus Fernandi secratarius.

In quorum testimonium præsentes literas nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri.

Datum apud Wyncestre prope Parisius, die xxii. Aprilis, post Pascham, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo.

Pro collectore Urbani VI. Papæ, in Aquitania.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Vascon. 4 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis dominis, magnatibus, et proceribus, tam clericis quam laicis, in ducatu nostro Aquitaniæ, ac quibuscumque officiariis et ministris, necnon subditis et ligeis nostris ejusdem ducatûs, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem.

Sciatis quod, cum sanctissimus in CHRISTO pater, dominus Urbanus sextus, Divinâ Providentiâ, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Summus Pontifex, dilectum nobis, magistrum Johannem de Vergier, decanum Sancti Severi et canonicum ecclesiæ Sancti Andreæ Burdegalæ, generalem receptorem et collectorem cameræ sedis apostolicæ in dictis partibus Aquitanniæ fecerit et constituerit, ut accepimus:

Nos, volentes, ob reverentiam dictæ sedis ac personæ ipsius domini Urbani, pro quiete et securitate præfati Johannis in excercitio dicti officii, gratiosè providere, vobis, et cuilibet vestrûm, injungimus et mandamus quod ipsum Johannem, postquam literas sufficientes ipsius domini Urbani, potestatem legitimam continentes, vobis ostendet, ad officium illud, in partibus prædictis, nomine dicti domini Urbani Papæ, admittere curetis;

Ipsumque Johannem idem officium ibidem facere et excercere permittatis, prout ante hæc tempora, temporibus aliorum sanctorum patrum, ibidem fieri et usitari consuevit;

Et ipsum, in excercitio prædicti officii, nullatenus perturbetis, set ei indè, quatenus justitiam et rationabilem *consuetudinem usitatam concernit*, intendentes sitis et obedientes.

In cujus, &c.

Dat. apud Westm', xxviii. die Aprilis.

Per concilium ad instantiam episcopi Aquensis.

Pro hostagio comitis de Denia.

A. D. 1381. — An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, usque festum Sancti Michaelis, proximò futurum, duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suas speciales, Petrum March chivaler de regno Arragoniæ, cum sex hominibus in comitivâ suâ, veniendo in regnum Angliæ, ac dominium et potestatem Regis, pro solutione financiæ filii sive hostagii comitis de Dene, ibidem morando, et ad partes proprias redeundo.

Teste Rege, apud Westm', xxix. die Aprilis. Per concilium.

Pro Przimislao duce Teschinensi, et aliis de Alemannia, de retinentiâ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 3. m. 17. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de gratiâ nostrâ speciali, et pro eo quod magnificum virum, Przimislaum ducem Teschinensem penes nos et de concilio nostro retinuimus, ad terminum vitæ suæ moraturum, ac etiam pro bono servitio suo nobis impenso et in futurum impendendo, concessimus eidem duci quingentas marcas sterlingorum, pro termino vitæ suæ prædictæ, annuatim percipiendas, ad scaccarium nostrum, ad terminos Sancti Michaelis et Paschæ, per æquales portiones; faciendo nobis homagium et fidelitatem ex hac causâ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per breve de privato sigillo.

Consimiles literas Regis habet nobilis vir Petrus de Wartemberg miles, magister cameræ serenissimi principis, Regis Romanorum et Bohemiæ, fratris Regis carissimi, de ducentis et quinquaginta marcis.

Teste ut supra. *Per idem breve.*

Consimiles literas Regis habet nobilis vir Conradus Crayer miles, magister hospitii serenissimi principis, &c. de ducentis et quinquaginta marcis sterlingorum.

Teste ut supra. *Per idem breve.*

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de gratiâ nostrâ speciali, et pro bono servitio quod dilectus nobis, Borzewey de Swyner miles, nobis impendit, et impendet in futurum, concessimus eidem Borzewey quingentos florenos auri, vel valorem eorumdem, percipiendos singulis annis, ad scaccarium nostrum, ad totam vitam suam, ad festa Sancti Michaelis et Paschæ, per æquales portiones, faciendo nobis homagium et fidelitatem ex hac causâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per breve de privato sigillo.

Consimiles literas Regis habent subscripti, de summis subscriptis, sub eadem data; videlicet,

Sifridus Foster scutifer, de ducentis florenis auri.

Conradus de Ridburg miles, de ducentis florenis auri.

Lupoldus de Crayer, filius Conradi de Crayer militis, de quinquaginta marcis sterlingorum.

Per idem breve.

De attemptatis, contra treugas Scotiæ, reformandis.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot Scot. 4 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, carissimo patruo suo, Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lancastriæ, ac venerabili in CHRISTO patri J. eadem gratiâ, episcopo Herefordensi, necnon dilecto et fideli suo Hugoni comiti Staffordiæ, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et providâ circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, et duos vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, ad corrigendum, reformandum, et in statum debitum reducendum omnia et singula, attemptata seu facta per quoscumque incolas aut subditos regni nostri Angliæ, contra formam conventionum seu treugarum, nuper factarum et initarum inter dominum E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum,

subditosque ejus, ex unâ, et David Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, defunctum, ejusque vassallos et subditos qualescumque, ex alterâ parte, et per illustrem principem Robertum, consanguineum nostrum de Scotia, confirmatarum;

Et specialiter ad querelas omnium et singulorum, qui de injuriis eis, contra formam dictarum treugarum in partibus marchiarum, videlicet, de la Estmarche et la Westmarche, regni nostri Angliæ, seu alibi, tam per terram quam per mare, ubi et prout vobis, vel duobus vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, expediens videbitur, factis seu perpetratis, conqueri voluerint, audiendum, et plenam et celerem justitiam indè faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ contra formam dictarum treugarum, per subditos nostros, attemptata fuerint, tam tempore prædicti David quam tempore prædicti Roberti consanguinei nostri, debitè reformandum;

Et ad omnes et singulos, in hac parte delinquentes, arestandum, capiendum, et incarcerandum, et juxta eorum demerita debitè puniendum;

Et ad consimilem reformationem et punitionem de dicto consanguineo nostro et hominibus suis de Scotia, super attemptatis, per eos et eis adhærentes, contra subditos nostros, petendum, prosequendum, et fieri faciendum;

Et ad omnia et singula, quæ in hac parte necessaria fuerint vel oportuna, faciendum et exequendum;

Et ideò vobis mandamus quod vos, et duo vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, ad certos dies et loca, super hoc præfigenda, et etiam elonganda, præmissa omnia et singula faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Super præmissis autem omnibus et singulis, faciendis et effectualiter adimplendis, damus et committimus vobis, et duobus vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, ut præmittitur, plenam et liberam, tenore præsentium, potestatem;

Universis et singulis vicecomitibus, constabulariis castrorum et villarum, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, in dictis partibus, et dominiis nostris ibidem, tam infra libertates quam extra, dantes, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, et duobus vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, respondentes, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout eis, seu eorum alicui, scire feceritis ex parte nostrâ;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid vos vel duo vestrûm, quorum vos, præfate Rex, unum esse volumus, nomine nostro feceritis in præmissis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

De fructubus decanatûs Eborum, in manum Regis capiendis.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Claus. 4 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Eborum, salutem. Cum nuper, de consensu et avisamento procerum et magnatum regni nostri, nobis in parliamento nostro apud Gloucestriam tento assistentium, omnes fructus, redditus, et proventus quorumcumque beneficiorum, per olim cardinales, sanctissimo in CHRISTO patri et domino nostro domino Urbano, Divinâ Providentiâ, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Summo Pontifici, rebelles, occupatorum, capi fecerimus in manum nostram;

Et licet postmodùm concesserimus quod collector, qui pro parte ipsius sanctissimi patris in regno nostro Angliæ foret pro tempore, de fructubus, redditibus, et proventubus prædictis absque impedimento nostri vel ministrorum nostrorum, ad usum et utilitatem prædicti sanctissimi patris, et pro reparatione dictorum beneficiorum, liberè disponere valeret, sub certâ formâ, in literis nostris, indè confectis, pleniùs expressatâ, amoventes taliter manum nostram de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus supradictis;

Volumus tamen, quibusdam certis de causis, nos et concilium nostrum specialiter moventibus, quod fructus, redditus, et proventus decanatûs Eborum, per cardinalem Albanensem, unum, ut dicitur, rebellium prædictorum, nuper occupati, de eodem decanatu, à festo Paschæ, proximò præterito, provenientes, et de cætero proventuri, resumantur in manum nostram;

Et ideò tibi præcipimus quod dictos fructus, redditus, et proventus de decanatu prædicto, à prædicto festo Paschæ, ut præmittitur, provenientes, et proventuri, in manum nostram capias et seisiri facias, ut ulteriùs indè respondeas prout tibi injungetur ex parte nostrâ.

Teste Rege, apud Westm', primo die Maii.

Per concilium.

Tractatus de matrimonio Regis, cum Anna sorore Imperatoris.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 6. 5. in Turr. Lond.

UNIVERSIS sanctæ matris ecclesiæ filiis, præsentes literas inspecturis, nos, Przimislaus dux Teschinensis, Conradus Kreyer, magister curiæ, et Petrus Wartemberg, magister cameræ, serenissimi principis et domini, domini Wencelaii, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regis, necnon Edmundus comes Cantebrigiæ, Hugo de Segrave, senescallus hospitii, et Albredus de Veer, camerarius, illustrissimi principis et domini, domini Richardi, DEI gratiâ, Regis Angliæ et Franciæ, milites, ambassatores, commissarii, seu procuratores ad quasdam amicitias, ligas, seu confœderationes inter serenissimos principes, Reges prædictos, dominos nostros metuendissimos, tractandas, ineundas, et concordandas, cum potestate sufficienti, prout ex insertione mandatorum nostrorum, inferiùs discribendorum, clariùs patebit, specialiter deputati, salutem, et perpetuam memoriam rei gestæ.

Illa consuetudo rectè regnantium, ille mos justè principantium, semper fuit bonum commune subditorum quibuscumque privatis præferre commodis, talibusque rem publicam munire præsidiis, per quæ posset continuè, exclusis cæcis, inquietationum turbinibus, quieta persistere, et sub optatæ pacis votivâ fœlicitate lætari, quod tunc satis utiliter creditur promoveri, cum principes Christiani et potentes, in unam fidei catholicæ unitatem et veram amicitiam conjuncti, in unam mentis consonantiam affectuosè conveniunt, et insimul indissolubilis amoris fœdere copulantur.

Hoc siquidem, serenissimi principes et domini nostri, Reges metuendissimi supradicti, in discretæ considerationis examine laudabili concilio revolventes, per nos, ambassatores, commissarios, seu procuratores suos prædictos, quædam ligarum et amicitiarum capitula examinari, tractari, expediri, et concordari voluerunt eo, qui sequitur, sub tenore;

IN PRIMIS, tractatum est et finaliter concordatum quod serenissima domina Anna, præfati Romanorum et Bohemiæ Regis soror inclita, prædicto domino Richardo Regi Angliæ et Franciæ in uxorem legitimam, per parentes et amicos ipsius dominæ et de ejusdem spontaneâ voluntate, detur, assignetur, et matrimonialiter copuletur; et quod ad regnum Angliæ, seu villam Calesii, circa festum Sancti Michaelis proximò futurum, prædicta domina, expensis præfati domini Regis Romanorum et Bohemiæ, et aliorum amicorum suorum, traducatur, et eidem domino Regi Angliæ sana et incolumis, quantum in DEO fuerit, effectualiter liberetur.

Item, quod dictus Romanorum et Bohemiæ Rex mittat prædictam sororem suam, competenter dotatam et apparatam, habito respectu ad contrahentium status et personas, et secundum quod eidem Regi Romanorum pro honore suo et dictæ sororis suæ videbitur faciendum.

Item, quod dicta domina Anna, postquam dictum matrimonium fuerit consummatum, tempore debito coronabitur, et in aliis tractabitur prout aliæ Reginæ Angliæ tractari consueverunt.

Item, cum dictus dominus Rex Angliæ et Franciæ parentelam contraxerit cum dicto domino Romanorum et Bohemiæ Rege, recipiendo in uxorem legitimam prædictam dominam Annam sororem suam, propter fraternum amorem et puram amicitiam, inter ipsos Reges et hæredes suos mutuò conservandos, inter partes est expressè concordatum quod idem Rex Angliæ et Franciæ, hæredesque sui, omnem amicitiam, benevolentiam, et amorem fraternalem eidem Romanorum et Bohemiæ Regi, hæredibusque suis, futuris temporibus, continuè exhibebunt, et quilibet suo tempore exhibebit, nec unquam aliquis eorum erit inimicus eidem Romanorum et Bohemiæ Regi aut hæredibus suis, nec contra eos, regna, terras, dominia, vassallos, aut subditos suos stabunt quovis modo, nec etiam gravabunt, nec, quantum in eis est, per se, vel per suos, gravari permittent prædictum Romanorum et Bohemiæ Regem, hæredes suos, regna, terras, dominia, vassallos, aut subditos eorumdem quocumque colore:

Et, e converso, dictus dominus Romanorum et Bohemiæ Rex, hæredesque sui, omnem amicitiam, benevolentiam, et amorem fraternalem eidem Regi Angliæ et Franciæ, hæredibusque suis, futuris temporibus, continuè exhibebunt, et quilibet suo tempore exhibebit, nec unquam aliquis eorum erit inimicus dicto domino Regi Angliæ et Franciæ, vel hæredibus suis, nec contra eos, regna, terras, dominia, vassallos, aut subditos suos stabunt quovis modo, nec etiam gravabunt, nec, quantum in eis est, per se vel per suos gravari permittent prædictum Regem Angliæ et Franciæ, hæredes suos, regna, terras, dominia, vassallos, et subditos eorumdem quocumque colore;

Et eandem amicitiam et fraternitatem inter se, de cætero, conservabunt: dolo et fraude cessantibus quibuscumque.

Item, quod exnunc, sint inter dictum dominum Regem Romanorum et Bohemiæ, et dominum Richardum Regem Angliæ et Franciæ prædictum, unio et liga, contra omnes et quoscumque scismaticos, et rebelles Romanæ ecclesiæ, et domini Urbani Papæ sexti, et successorum suorum canonicè intrantium, et per collegium cardinalium, dicto domino Urbano adhærens, eligendorum, tam ecclesiasticos quam seculares, cujuscumque statûs, gradûs, dignitatis, seu conditionis existant, præsentes et futuros:

Non est tamen intentio dicti domini Regis Angliæ et Franciæ se, vel

hæredes suos, ex hoc, quovis modo, astringere, quin super quibuscumque aliis quæstionibus, controversiis, et debatis, cum quibuscumque inimicis, seu adversariis suis, etiam scismaticis, possit licitè et liberè transigere, pacisci, concordare, ac pacem seu treugas cum eisdem facere et inire, prout et quando et quotiens sibi videbitur expedire; supradicta tamen et sinceritatem fidei conservando.

Item, quod nec dictus Rex Romanorum et Bohemiæ, nec hæredes sui, aliquas confœderationes, amicitias, pacta, seu alligantias cum quocumque Rege, principe, aut personâ mundanâ aut ecclesiasticâ, cujuscumque statûs, dignitatis, aut conditionis existant, de cætero contrahent, aut inient in præjudicium præfati Regis Angliæ et Franciæ, ac ligarum præsentium:

Et similiter nec prædictus Angliæ et Franciæ Rex, nec hæredes sui, aliquas confœderationes, amicitias, pacta, seu aliquas alligantias cum quocumque Rege, principe, aut personâ mundanâ aut ecclesiasticâ, cujuscumque statûs, dignitatis, aut conditionis existat, de cætero contrahent, aut inient in præjudicium præfati Romanorum et Bohemiæ Regis, ac ligarum præsentium.

Item, quod vassalli et subditi præfati Regis Angliæ et Franciæ possint liberè, securè, et absque impedimento seu perturbatione quacumque, intrare, transire, morari, conversari, et mercari, tam per terram quam per mare, in omnibus terris imperii, et in quibuscumque terris, regnis et dominiis ipsius Romanorum et Bohemiæ Regis, et abinde liberè recedere et ire, quocumque voluerint, cum rebus et mercandisis suis, absque impetitione, aresto, seu molestatione quacumque, salvis tamen juribus dominorum et principum quorumcumque, et sic fiet subditis ipsius Romanorum et Bohemiæ Regis, vice versâ.

Item, quod non liceat eidem Romanorum et Bohemiæ Regi, nec alicui de ipsius subditis aut vassallis, quemcumque subditum seu vassallum dicti Regis Angliæ et Franciæ, quocumque modo, detinere, capere, seu arestare, vel incarcerare, aut ipsius bona quomodolibet sub aresto impedire, etiam ratione reprisaliæ seu contraprisiæ, nisi ratione delicti vel contractûs, commissi seu initi infra districtum suum, et hoc juris ordine observato; nec etiam liceat dicto domino Regi Angliæ et Franciæ, quoad subditos præfati Romanorum et Bohemiæ Regis, vice versâ.

Item, quod dictus Romanorum et Bohemiæ Rex præsentes ligas literis suis propriis firmare, et etiam, postquam infulas imperiales receperit et coronæ suæ solempnia compleverit, innovare et, ut Imperator, de novo facere teneatur.

Quas quidem amicitias, confœderationes, seu ligas nos, Przimislaus dux Teschinensis, Conradus Kreyer, magister curiæ, et Petrus Wartemberg, magister cameræ, dicti principis et domini, domini Wencelaii, Dei gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regis ambassatores prædicti, post plenam et exactissimam examinationem omnium et singulorum, in præmissis articulis conventorum, nomine domini nostri Romanorum et Bohemiæ Regis supradicti et nostro, ex nostrâ certâ scientiâ, inivimus, fecimus, et contraximus, inimus, facimus, et contrahimus, eisdemque consensimus ac etiam consentimus, promisimusque, et adhuc promittimus, bonâ fide, quod idem dominus noster Rex omnia et singula, per nos in hac parte facta, gesta, et concordata, sub majestatis suæ sigillo ratificabit et approbabit; defectumque, si quis in mandatis seu procuratoriis nostris habeatur, ac omnem alium defectum in præmissis, supplebit et emendabit, prout fuerit oportunum;

Et nichilominus, ad majorem præmissorum firmitatem, in prædicti Regis Angliæ et Franciæ, reverendissimi in Christo patris domini et domini Pilei, Dei gratiâ, tituli Sanctæ Praxedis presbiteri cardinalis, ac, reverendorum patrum, dominorum, Simonis Cantuariæ archiepiscopi totius Angliæ primatis et sedis apostolicæ legati, Willielmi Londoniæ, Willielmi Wyntoniæ, Johannis Herefordensis, Radulphi Sarum, episcoporum, illustris principis domini Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, Richardi Arundellæ et Surriæ, Hugonis Staffordiæ, Gullielmi Sarum, et Willielmi Suffolciæ, comitum, ac plurium baronum et aliorum nobilium præsentiâ, ad sancta Dei Evangelia, per nos corporaliter tacta, in animam domini nostri Regis supradicti juravimus, et juramus, amicitias, ligas, et confœderationes prædictas, ac omnia et singula, contenta in eisdem, inviolabiliter observare et tenere, dolo et fraude cessantibus quibuscumque:

Et, ex habundanti, renunciavimus, et renunciamus nomine quo supra, omnibus et singulis exceptionibus, cavillationibus, et defensionibus, tam juris quam facti, per quas contra præmissa, vel præmissorum aliqua, possemus, vel posset idem dominus noster quomodolibet se tueri.

Nosque, Edmundus comes Cantebrigiæ, Hugo, et Albredus, ambassatores, commissarii, seu procuratores supradicti prædictas amicitias, confœderationes, seu ligas, nomine domini nostri Regis supradicti, una cum eisdem, Przimislao, Conrado, et Petro, ambassatoribus, commissariis, seu procuratoribus Romanorum et Bohemiæ Regis supradictis, inivimus, fecimus, et contraximus, inimus, facimus, et contrahimus, eisdemque consensimus, ac etiam consentimus, promisimusque, et adhuc promittimus, bonâ fide, quod idem dominus noster Rex, omnia et singula, per nos in hac parte facta, gesta, et concordata sub majestatis suæ sigillo, ratificabit et approbabit, ac defectum, si quis intervenerit in præmissis, supplebit prout fuerit oportunum;

Et nichilominus in, metuendissimi domini nostri, Regis prædicti, ac aliorum prælatorum et procerum prædictorum præsentiâ, juravimus, et juramus, amicitias, ligas, et confœderationes prædictas, ac omnia et singula, contenta in eisdem, inviolabiliter observare et tenere, dolo et fraude cessantibus quibuscumque:

Et, ex habundanti, renunciavimus et renunciamus, nomine quo supra, omnibus et singulis exceptionibus, cavillationibus, ac defensionibus, tam juris quam facti, per quas contra præmissa, vel præmissorum aliqua, possemus, vel posset idem dominus noster quomodolibet se tueri.

Tenores verò procuratoriorum, de quibus superius fit mentio, sequuntur sub hac forma;

WENCESLAUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper augustus, et Bohemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis quod de illustris Przimislai ducis Teschinensis principis et sororii nostri carissimi, ac etiam nobilium, Conradi de Kreyger, magistri curiæ nostræ, et Petri de Wartenberg, consiliariorum et fidelium dilectorum nostrorum, legalitatis, virtutis, et probatæ circumspectionis industriis plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, ipsos animo deliberato, de certa nostra scientia, et sano principum baronum et procerum nostrorum accedente concilio, nostro nomine creavimus, constituimus, fecimus, creamus, facimus, constituimus, et, meliori modo et formâ quibus fieri potest, præsentibus ordinamus nostros ambaxiatores, procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales;

Dantes et concedentes eisdem plenam et omnimodam potestatem tractandi, contrahendi, iniendi, faciendi, et consummandi, pro nobis et hæredibus nostris Boemiæ Regibus, amicitias, uniones, et ligas fraternales, *&c. prout supra de dat' 1 die Februarii usque hæc verba; viz.*

NOS Anna, Dei gratiâ, claræ memoriæ, serenissimi ac invictissimi principis et domini, domini Karoli, quondam Romanorum Imperatoris et Bohemiæ Regis, patris nostri carissimi, filia, recognoscimus, tenore præsentium, universis quod, ad consilia, requisitiones, necnon inductiones, serenissimi principis, domini Wenceslai, Romanorum et Bohemiæ Regis, domini et fratris nostri pertimendi, necnon, serenissimæ principis, dominæ Elizabethæ, Romanorum Imperatricis et Reginæ Bohemiæ, dominæ et matris nostræ carissimæ, necnon, animo deliberato, voluntate liberâ, et ex certâ scientiâ, constituendos duximus, et constituimus in hiis scriptis, nostros veros, certos, et legitimos procuratores, et nuncios speciales, præsentes, et onus procurationis in se spontè recipientes, illustrem principem dominum Przemislaum ducem Teschinensem, consanguineum nostrum carissimum, et nobiles Conradum Kreyger ac Petrum de Wartenberg, dicti domini Regis et fratris nostri consiliarios, ad contrahendum matrimonium, nostro nomine atque vice, per verba de præsenti, cum serenissimo principe domino Richardo Rege Angliæ dumtaxat, *&c. prout in literis dat' supra 23 Jan. usque hæc verba; viz.*

WENCESLAUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex, semper augustus, et Bohemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis quod de, illustris Przimislai ducis Teschinensis, principis et sororii nostri carissimi, ac etiam nobilium, Chunradi de Kreiger, magistri curiæ nostræ, et Petri de Wartemberg, consiliariorum et fidelium nostrorum dilectorum, legalitatis, virtutis, et probatæ circumspectionis industriis plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, ipsos, animo deliberato, de certâ nostrâ scientiâ, et sano principum baronum et procerum nostrorum accedente concilio, nostro et illustris Annæ sororis nostræ carissimæ nominibus, creavimus, constituimus, fecimus, creamus, facimus, constituimus, et meliori modo et formâ quibus fieri potest, præsentibus ordinamus nostros et ejusdem sororis nostræ ambaxiatores, procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales;

Dantes et concedentes eisdem plenam, liberam, et omnimodam potestatem tractandi, nostro et ejusdem sororis nostræ nominibus, cum serenissimo principe domino Richardo Angliæ Rege, fratre nostro carissimo, ipsius ambaxiatoribus et concilio, suo nomine, plenum ab eo mandatum habentibus, in, de, et super sponsaliorum ac parentelæ contractibus, inter præfatam sororem nostram et prædictum dominum Regem Angliæ, ad requisitiones sanctissimi in Christo patris, domini nostri Urbani Papæ sexti, conceptis aliàs, et nomine sororis ejusdem nostræ cum eodem domino Anglorum Rege contrahendi matrimonium per verba de præsenti;

Nosque pro dotalitiis ejusdem nostræ sororis et aliis obligandi, et in animam nostram jurandi;

Ac etiam nostris nominibus à dicto domino Rege Angliæ juramenta recipiendi de et super servando præmissa;

Et nominibus nostris eundem dominum Regem Angliæ, super receptis quibuslibet forsitan ab eodem, quittandi, liberandi, ac etiam absolvendi;

Necnon de concilio et in præsentiâ reverendissimi in Christo patris, domini P. cardinalis Ravennas, à prædicto domino nostro Summo Pontifice et ipsius nomine ad hoc specialiter deputati, pro præmissorum et eorum quolibet, consummatione et conservatione universa et singula tractandi, faciendi, ordinandi, et disponendi, et concludendi quæ in eis necessaria fuerint seu quolibet oportuna, et quæ nos ipsi tractare, ordinare, disponere possemus et concludere, si personaliter adessemus, etiam si mandatum exigant speciale;

Promittentes nichilominus, nostro et præfatæ nostræ sororis nominibus, ratum, gratum, atque firmum observare perpetuo quicquid per præfatos, sororium et consiliarios nostros, ducem Teschinensem, Chunradum de Kreyger et Petrum de Wartenberg, actum, factum, ordinatum, dispositum, conclusum, sive gestum fuerit in præmissis præsentium, sub Regiæ Majestatis nostræ sigillo, testimonio literarum.

Datum Nuremberg, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quartâ, kalen' Februarii, regnorum nostrorum anno Bohemiæ decimo octavo, Romanorum verò quinto.

ELIZABETHA, Divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imperatrix semper augusta, et Bohemiæ Regina, recognoscimus, tenore præsentium, universis quod, de circumspectionis et legalitatis industriâ illustris principis, domini Przimislai ducis Teschinensis, consanguinei nostri karissimi, ac nobilium Conradi Creyar, serenissimi principis domini Wenzeslai Regis Romanorum et Boemiæ, filii nostri karissimi, curiæ magistri, et Petri de Wartemberk aliàs de Kost, dicti filii nostri cameræ magistri, plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, animo deliberato, et de certa nostra scientia, in præsentiâ nobilium, Sdenkoms

de Waldensteyn, magistri curiæ nostræ, Hermani de Kussuyk, burgravii nostri Groten', et honorabilis Martini canonici Olomacensis, thesaurarii nostri;

Dicto domino duci et nobilibus præfatis plenam, liberam, et omnimodam dedimus et damus præsentibus, facultatem, de et super parentelâ inter serenissimum principem, dominum Ricardum Regem Angliæ, et excellentem virginem, domicellam Annam natam nostram, nostro nomine, tractandi, *&c. prout supra in literis datis* 30 *Jan., usque hæc verba; videlicet,*

Ricardus, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem.

Inter gloriosas reipublicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, æstimamus præcipuum aliorum principum et Regum sublimium sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum affinitatum et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc inde amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt se tueri.

Quod, dùm intra mentis nostræ præcordia diligentiùs tractaremus, cum serenissimo fratre nostro domino Wencelao, Dei gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Rege illustrissimo, et, Divinâ favente Clementiâ, Imperatore futuro, nedùm hujusmodi amoris fœdera stringere, set affinitatem et parentelam contrahere, ligasque firmas, speciales, et perpetuas, præ cæteris, optabamus inire.

Undè, cùm certi, super hoc, ambassatores nostri celsitudini suæ per nos primitùs mitterentur, placuit modo eidem serenissimo fratri nostro, pro voluntate et desiderio nostris adimplendis, solempnes ambassatores et consiliarios suos, illustrem Prezmilaum ducem Teschinensem, Conradum Kreyger, magistrum curiæ, et Petrum de Vortenberg, magistrum cameræ, et burgravium Prag', dicti fratris nostri, nedùm pro ligis et amicitiis hujusmodi appunctuandis, set pro tractatu matrimonii, inter nos et serenissimam dominam, dominam Annam ipsius fratris nostri sororem inclitam prælocuti, feliciter, Dei gratiâ, concludendo, in regnum nostrum, ad nostram præsentiam destinare:

Nos, volentes ulterius procedere in præmissis, ac de circumspectione et legalitate dilectorum et fidelium nostrorum, Edmundi comitis Cantebrigiæ patrui nostri carissimi, Hugonis Segrave, senescalli hospitii nostri, et Albredi de Veer, camerarii nostri, militum, pleniùs confidentes;

Ad tractandum, ordinandum, et concordandum cum ambassatoribus, procuratoribus, nunciis, seu deputatis prædicti fratris nostri, potestatem ad infrascripta habentibus, super ligis, confœderationibus, et amicitiis fraternalibus et specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter eundem fratrem nostrum, subditos suos, regna et dominia sua quæcumque ex unâ, et nos, subditos nostros, ac regna et dominia nostra quæcumque, ex parte alterâ, ineundis; ac etiam de modo, formâ, quantitate, et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc inde, tempore necessitatis, mutuò ministrandi, et communicationibus, inter subditos, hinc inde, in mercimoniis et aliis licitis, securè et fraternaliter faciendis, necnon super sponsalibus seu matrimoniis, inter nos et serenissimam Annam supradictam feliciter, per Dei gratiam, contrahendis, et de quantitate et qualitate dotis eidem assignandæ, seu arris in hac parte constituendis, ac etiam quomodo et quando prædicta domina, per parentes et amicos suos, nobis transmitti, et in domum nostram regiam traduci debeat, ordinandum et disponendum;

Necnon ea, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, tam super ligis quam super contractu matrimonii prædictis, omni securitate honestâ et debitâ, nomine nostro, firmandi;

Consimilemque securitatem pro nobis, et nomine nostro, petendi, stipulandi, et recipiendi;

Jurandique in animam nostram quod tractata, conventa, et concordata hujusmodi rata habebimus atque grata;

Cæteraque omnia et singula faciendi, excercendi, et expediendi quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura negotiorum hujusmodi exigunt et requirunt, et quæ nos faceremus seu facere possemus si personaliter præsentes essemus, etiam si talia sint quæ mandatum exigunt quantumcumque speciale;

Prædictos, Edmundum, Hugonem, et Albredum, et duos eorumdem, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales, facimus, ordinamus, et constituimus;

Per præsentes promittentes, in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid per procuratores nostros prædictos, ac duos eorumdem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xxix. die mensis Martii, anno regni nostri quarto.

IN quorum omnium et singulorum testimonium atque fidem nos, Przimislaus, Conradus, et Petrus, prædicti Romanorum et Bohemiæ Regis, ac Edmundus, Hugo, et Albredus, præfati Angliæ et Franciæ Regis, commissarii seu procuratores supradicti, præsentes literas duplicatas, quarum una penes ipsum Romanorum et Boemiæ Regem, altera verò penes Regem Angliæ et Franciæ supradictum remanebit, scribi et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri.

Dat' Londoniæ, in palatio regio Westm', ii. die Maii, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo.

Obligatio Imperatoris pro 20 millibus florenorum.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

WENCESLAUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper augustus, et Boemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis quod cum, pro quibusdam arduis et urgentibus negotiis, nos et serenissimum fratrem nostrum Richardum, eadem gratiâ, Regem Angliæ illustrem, regna, terras, et dominia nostra, ac statum ecclesiæ Romanæ concernentibus, illustrem Przemislaum ducem Teschinensem, sororium nostrum carissimum, ac nobiles, Conradum Kreyger, magistrum curiæ nostræ, et Petrum de Wartenberg, magistrum cameræ nostræ, consiliarios et fideles nostros dilectos, ad prædictum fratrem nostrum in Angliâ aliàs transmiserimus;

Idem frater noster prædictus, Przemislao duci Teschinensi, sororio nostro, Conrado Kreyger et Petro de Wartenberg, ambassiatoribus nostris, ad opus nostrum, pro nostris peragendis negotiis, et necessitatibus subportandis, novem milia nobilium auri, et cunei Anglicani, quæ ad summam viginti milia florenorum se extendunt, ex causa veri, legittimi, et puri mutui, ex suâ liberalitate concessit, et fecit eisdem realiter tradi et numerari, certasque literas obligatorias ab eisdem ambassiatoribus nostris ibidem recepit;

Ad finem quod prædicta summa sibi, hæredibus, executoribus, aut deputatis suis, seu causam habentibus ab eisdem, à festo Sancti Michaelis, proximò futuro, ad unum annum continuum, absque dilationibus seu diffugiis ulterioribus, in Calesio resolvatur;

Nos, ipsius fratris nostri liberalitatem et humanitatem, nobis et eisdem ambassiatoribus nostris exhibitas, quamplurimum commendantes, ac volentes propterea eidem fratri nostro de securitate pleniori providere, nos et omnia bona nostra, mobilia et immobilia, præsentia et futura, pro dictâ summâ, eidem fratri nostro, hæredibus seu executoribus suis, loco et tempore prænotatis, realiter et fideliter solvendâ, ex certâ nostrâ scientiâ, ut debitor principalis, tenore præsentium, obligamus, promittimusque, bonâ fide, dictam summam eidem fratri nostro, hæredibus, executoribus, seu deputatis suis, termino et loco prædictis, dare, resolvere, et restituere, nec aliquid contra hujusmodi solutionem opponere, seu procurare, per nos, vel per submissam personam, tacitè vel expressè, per quod resolutio ipsa impediri possit quomodolibet vel differri.

Tenore etiam præsentium renunciamus omnibus et singulis exceptionibus, cavillationibus, defensionibus, cæterisque juris et facti remediis, per quæ contra solutionem prædictam, prædictis loco et termino faciendam, possemus quomodolibet nos tueri, et specialiter juri, dicenti generalem renunciationem non valere, nisi casus in specie exprimantur.

Præsentium, sub regiæ nostræ Majestatis sigillo, testimonio literarum.

Dat' Nuremberg, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, ii. die mensis Maii, regnorum nostrorum anno Bohemiæ xviii. Romanorum verò quinto.

De mandato domini Regis, consilio referente,
Conrado.

De protectione, pro comitivâ Edmundi comitis Cantebrigiæ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

JOHANNES PRESSEFEN, qui in obsequium Regis, in comitivâ carissimi avunculi nostri Edmundi comitis Cantebrigiæ, ad partes transmarinas profecturus est, habet litteras Regis de protectione cum clausulâ 'Volumus,' per unum annum duraturas.

Præsentibus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Maii.

Per billam de privato sigillo.

Consimiles litteras Regis de protectione habent subscripti, qui in idem obsequium in comitivâ præfati comitis ad partes prædictas, per idem tempus duraturas, sub datâ subscriptâ; videlicet,

Johannes de Boynton armiger, de comitatu Ebor', Henricus Leddred.	*Teste Rege, apud Westm', ii. die Maii. Per billam, &c.*
Johannes Hanislape de comitatu de Cork in Hibernia, Thomas Beauchamp de Ryme.	*Teste Rege, apud Westm', xxx. die Martii. Per billam.*

Hugo Steffan,
Robertus de Srausceby armiger, de comitatu Ebor',
Willielmus de Estby, baker, London',
Robertus Alloxton,
Johannes Barton.
} *Teste Rege, apud Westm', iii. die Maii. Per billam, &c.*

Johannes Mersshe de comitatu North't',
Edmundus filius Edmundi de Lenham,
Johannes Hone armiger, de comitatu Somers',
Willielmus White, de comitatu Lincoln',
Thomas Swecop,
Robertus White, de comitatu Lincoln'.
} *Teste Rege, apud Westm', ii. die Maii. Per billam, &c.*

Radulphus Martyn,
Willielmus Grene, de Novo Castro under Lyne, commorans in Magnâ Jernemuth,
Johannes Landawarnek.
} *Teste Rege, apud Westm', iv. die Maii. Per billam.*

Rogerus Fakenham,
Willielmus de Carleton clericus.
} *Teste Rege, apud Westm', viii. die Aprilis. Per billam, &c.*

Robertus Pounteney,
Johannes Huwelot.
} *Teste Rege, apud Westm', v. die Maii. Per billam, &c.*

Robertus Palton,
Johannes Scardeburgh armiger,
Robertus Morwod, persona ecclesiæ de Quadrynge, in comitatu Lincoln',
Johannes de Tulo.
} *Teste Rege, apud Westm', viii. die Aprilis. Per billam.*

Cum multis aliis.

De fructubus decanatûs Eborum, cardinali Ravennas liberandis.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Claus. 4 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Eborum, salutem. Cum nuper, considerantes affectionem, quam reverendus in CHRISTO pater, cardinalis Ravennas, erga nos et regnum nostrum Angliæ gerit, et quod ipse nuper de bonis suis, jocalibus, et aliis, usque ad valorem quatuor milium florenorum, cardinali Albanensi, antequam præsens scisma in ecclesia oriebatur, ex confidentiâ speciali, Avinione tradidit, ad opus ipsius cardinalis Ravennas custodiendis;

Quodque prædictus cardinalis Albanensis, postmodùm antipapæ adhærens, bona prædicta eidem antipapæ liberavit, in ipsius cardinalis Ravennas grave dampnum, ut concepimus;

De gratiâ nostrâ speciali concesserimus eidem cardinali Ravennas, quantum in nobis est, quod ipse, ex hac causâ, de fructubus beneficiorum dicti cardinalis Albanensis, in regno nostro Angliæ, seu de pecuniis, de eisdem fructubus provenientibus, præfato cardinali Albanensi debitis et debendis, in quorumcumque manibus fuerint, habeat et recuperet summam quatuor milium florenorum antedictam, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, pleniùs continetur;

Nos, licet postmodùm, certis de causis, nos et concilium nostrum moventibus, fructus, redditus, et proventus decanatûs Eborum, per præfatum cardinalem Albanensem nuper occupati, de eodem decanatu, à festo Paschæ proximò præterito, provenientes, et de cætero proventuros, per te capi præceperimus in manum nostram, volentes tamen concessionem nostram, præfato cardinali Ravennas, ut præmittitur, factam, executioni debitæ demandari, tibi præcipimus quod omnes fructus, redditus, et proventus decanatûs prædicti, per te sic captos in manum nostram, eidem cardinali Ravennas, aut procuratoribus suis, integrè liberes;

Et ipsum cardinalem Ravennas per se, vel procuratores suos prædictos, hujusmodi fructus, redditus, et proventus decanatûs prædicti percipere et habere permittas, quousque dictam summam quatuor milium florenorum indè levaverit, juxta vim et effectum concessionis nostræ supradictæ; volumus enim te indè erga nos exonerari.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Maii.

Per concilium.

Obligatio ambassiatorum de summâ Regi Romanorum mutuatâ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

UNIVERSIS sanctæ matris ecclesiæ filiis, præsentes literas inspecturis, nos, Przemislaus, DEI gratiâ, dux Theschinensis, Conradus de Kreyger, magister curiæ, et Petrus de Wartenberg, magister cameræ, serenissimi principis et domini, domini Wenceslai, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regis illustrissimi, salutem in omnium SALVATORE.

Noveritis nos, per metuendissimum dominum nostrum supradictum, pro magnis et urgentibus negotiis, nedùm statum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, sed statum Romani imperii ac domini nostri supradicti tangentibus, ad regnum Angliæ, ac ad præsentiam illustrissimi principis et domini, domini Richardi, DEI gratiâ, Regis Angliæ, fuisse destinatos nuperimè, ubi prædictus Rex Angliæ, pro dicti domini nostri Regis peragendis negotiis, ac necessitatibus supportandis, novem milia nobilium auri, et cunei Anglicani, quæ ad summam viginti milium florenorum se extendunt, ex causa veri, legittimi, et puri mutui, nobis, ex sua liberalitate, ad opus dicti domini nostri Regis concessit, et fecit realiter et effectualiter numerari;

Propter quam summam, eidem domino Regi Angliæ, à festo Sancti Michaelis proximò futuro, ad unum annum continuum, absque dilationibus seu diffugiis quibuscunque ulterioribus, effectualiter resolvendam, certas literas obligatorias ipsius serenissimi domini nostri, Romanorum et Boemiæ Regis, per quas, ad resolvendam dictam summam, in Calesio, in termino prædicto, effectualiter obligatus existit, eidem domino Regi et suo concilio liberavimus, tradidimus, et assignavimus, sigillo Majestatis ejusdem domini nostri Regis debitè consignatas;

De quibus, licet satis fuisset contentus, volentes, tamen ejusdem Regis securitati et indempnitati, quantum est nobis possibile, providere, prædictam summam novem milium nobilium, quæ ad summam prædictam se extendunt, eidem domino Regi Angliæ, hæredibus, executoribus, et deputatis suis, seu causam habentibus ab eisdem, Calesio, et in termino prædicto, resolvendam, realiter numerare promittimus, et quilibet nostrûm promittit bonâ fide, nosque, et quemlibet nostrûm, per se et in solidum, ac hæredes et executores nostros, necnon omnia bona nostra, mobilia et immobilia, ubicumque fuerint inventa, præsentia et futura, eidem domino Regi Angliæ, hæredibus, aut executoribus, aut deputatis suis, seu causam habentibus ab eisdem, pro ipsius summæ resolutione, ut principales debitores, omnibus viis et modis quibus effectualiùs possumus, prædictæ summæ novem milium nobilium verâ et efficaci, in prædictis loco et termino, resolutione, obligamus et astringimus, et quilibet nostrûm, per se et in solidum, ad dictam summam eidem domino Regi Angliæ, ut præmittitur, fideliter resolvendam, ex certâ nostrâ, et cujuslibet nostrûm, scientiâ, efficaciter se obligat et astringit.

Renunciamusque, et quilibet nostrûm per se, et ex certâ scientiâ, non decepti in jure aut facto, expressè renunciat omni exceptioni deceptionis, doli mali, metûs, non receptæ et non numeratæ pecuniæ, ac spei futuræ numerationis, in futurum actioni, conditioni indebiti, sine causâ, vel ex injustâ causâ, errori calculi, circumventioni, fraudi, læsioni, restitutioni in integrum, foro clericatûs, ac exceptioni aliter fore scriptum quam dictum, seu alibi fore scriptum quam sigillatum, et e contra, necnon omnibus aliis gratiis, privilegiis, statutis, dispensationibus apostolicis, imperialibus et regalibus, impetratis et impetrandis, concessis vel concedendis, et generaliter omni consuetudini et statuto generali vel particulari, ac aliis tam juris canonici et civilis quam facti cujuscumque exceptionibus et remediis, per quæ seu per quas contra solutionem prædictam, loco et termino prænotatis, ut præmittitur, fiendam, defendere nos poterimus, seu aliquis nostrûm se defendere poterit aut tueri, et specialiter juri, dicenti generalem renunciationem non valere nisi casus in specie exprimantur.

Proviso quod postquam serenissima domina Anna, soror serenissimi principis et domini, domini Wenceslai, Romanorum et Bohemiæ Regis, domini nostri prædicti, ad regnum Angliæ seu Cales' traducta fuerit, et Regi Angliæ effectualiter liberata, præsens obligatio nullius sit roboris vel momenti.

In cujus rei testimonium præsentes literas nostras sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri.

Datum Londoniæ, anno Domini millesimo tricentesimo octuagesimo primo, v. die mensis Maii.

De procedendo contra scismaticos.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

NOS Ricardus, DEI gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, tenore præsentium, notum facimus universis, quod nos, tribulationes et scismata, quas diù sustinuit et adhuc sustinet sacrosancta Romana ecclesia mater nostra, flebili cernentes intuitu, ad reprimendos ipsius et nostros hostes publicos, et prædicti scismatis præcipuos defensores, totis desideriis anhlamus.

Et pro tanto, de legalitate, probitate, industriâ, et circumspectione providis dilectorum et fidelium nostrorum, nobilium, Johannis Haukewode et Nicholai Dagworth, militum, ac Walteri Skyrlawe, decretorum doctoris, decani Sancti Martini Londoniæ clerici, et consiliarii nostri carissimi, plenissimè confidentes;

Ad tractandum et petendum à sanctissimo in CHRISTO patre, et domino nostro, domino Urbano, dignâ DEI providentiâ, sacrosanctæ

Romanæ ac universalis ecclesiæ Summo Pontifice, ut contra quoscumque, dictæ Romanæ ecclesiæ, ac nostros publicos inimicos, legitimè procedatur, ad finem quod nedùm scismatici, set præsentis scismatis auctores et fautores, ecclesiæque Romanæ rebelles, pronuncientur ac etiam declarentur, ulteriusque pœnis debitis puniantur, prout jura tanti sceleris auctores punire voluerunt;

Quodque aliàs tractata et concordata inter, fœlicis recordationis, Gregorium Papam undecimum, nomine prædictæ Romanæ ecclesiæ, et, claræ memoriæ, E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum, in omnibus suis articulis teneantur et inviolabiliter observentur;

Necnon ad consentiendum et concordandum super omnibus articulis, qui amicitias, confœderationes, et amores perpetuos ac inviolabiles inter ecclesiam Romanam et nos, regna, terras, dominia, subditos, et vassallos nostra quæcumque, quomodolibet concernere poterunt seu firmare, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis;

Ac ad ea, quæ sic tractata et petita fuerint, omni securitate, honestâ et debita, nomine nostro, firmandum, consimilemque securitatem, pro nobis, et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum, jurandumque in animam nostram quod tractata et petita hujusmodi rata habebimus et accepta, nec aliquid procurabimus vel faciemus per quod id, quod tractatum et petitum fuerit in præmissis effectu debito frustrari poterit, seu quomodolibet impediri;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura negotiorum hujusmodi exigunt et requirunt, et quæ nosmet faceremus, seu facere possemus, si personaliter præsentes essemus, etiam si talia sint quæ mandatum exigant quantumcumque speciale;

Prædictos, Johannem, Nicholaum, et Walterum, vel duos eorum, nostros ambassatores, ac veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, et nuncios speciales facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes nos ratum et gratum habituros quicquid per procuratores nostros prædictos, seu duos eorum, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis et singulis præmissorum.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, v. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

De potestate tractandi cum Papa, de ligis.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

Nos Richardus, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, tenore præsentium, notum facimus universis, quod nos, tribulationes et scismata, quas diu sustinuit et adhuc sustinet sacrosancta Romana ecclesia, mater nostra, flebili cernentes intuitu, ad reprimendos ipsius et nostros hostes publicos et prædicti scismatis præcipuos defensores, totis desideriis anelamus.

Et pro tanto, de legalitate, probitate, industriâ, et circumspectione providis dilectorum et fidelium nostrorum, nobilium, Johannis Haukewode et Nicholai Dagworth, militum, ac Walteri Skirlawe, decretorum doctoris, decani Sancti Martini Londoniæ, clerici et consiliarii nostri carissimi, plenissimè confidentes;

Ad tractandum cum sanctissimo patre et domino nostro, domino Urbano, dignâ Dei providentiâ, sacrosanctæ Romanæ et universalis ecclesiæ Summo Pontifice, seu deputatis ab eodem, super quibuscumque ligis, confœderationibus, et amicitiis, specialibus, temporalibus, vel perpetuis, inter ipsum sanctissimum patrem et sacrosanctam Romanam ecclesiam ex unâ, ac nos, et subditos nostros, regna, terras, et dominia nostra quæcumque, ex parte alterâ ineundis;

Ac quod quædam gravamina, regno Angliæ per Romanam curiam et sedem apostolicam, ante hæc tempora, illata et adhuc in parte continuata, revocentur seu effectualiter moderentur;

Quodque aliàs tractata et concordata inter ipsam sedem et, claræ memoriæ, dominum E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum, teneantur et inviolabiliter observentur;

Necnon ad consentiendum et concordandum super omnibus et singulis articulis, qui ligas, amicitias, confœderationes, et amores perpetuos et inviolabiles, inter ecclesiam Romanam et nos, regna, terras, dominia, subditos, et vassallos nostra quæcumque, quomodolibet concernere poterunt seu firmare, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis;

Ac ea, quæ sic tractata fuerint, omni securitate, honestâ et debitâ, nomine nostro, firmandum, consimilemque securitatem, pro nobis et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum, jurandumque in animam nostram quod tractata hujusmodi rata habebimus et accepta, nec aliquid procurabimus vel faciemus, per quod id, quod tractatum et concordatum fuerit in præmissis, effectu debito frustrari poterit seu quomodolibet impediri;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura negotiorum hujusmodi exigunt et requirunt, et quæ nosmet faceremus, seu facere possemus, si personaliter præsentes essemus, etiam si talia sint quæ mandatum exigant quantumcumque speciale;

Prædictos, Johannem, Nicholaum, et Walterum, vel duos eorum, nostros ambassatores, ac veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, et nuncios speciales, facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes nos ratum et gratum habituros quicquid per procuratores nostros prædictos, seu duos eorumdem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis, et singulis præmissorum.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, v. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

Exemplificatio bullarum, de concordatis inter Regem Edwardum III. et Gregorium XI. Papam, super eadem materiâ Regi nunc, per Urbanum Papam, transmissarum.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 3. m. 3. in Turr. Lond.

Nos Richardus, Dei gratiâ, &c. tenore præsentium, notum facimus universis, quod, cum nuper, pro sedandis diversis quæstionibus, scandalis, et brigis, quæ inter ecclesiam Romanam et, celebris memoriæ, dominum Edwardum, nuper Regem Angliæ et Franciæ, avum nostrum, conniciebantur verisimiliter exoriri, quidam tractatus apud villam de Bruges in Flandria, Tornacensi diœcese, inter, sanctæ memoriæ, domini Gregorii Papæ undecimi et ipsius avi nostri ambassiatores, institutus et per tempora diutina continuatus fuisset;

Tandem, tam sanctissimus pater quam avus noster supradicti ad certas conclusiones devenerunt, et super bullas et literas suas, ac de certis articulis aliis, absque literis et bullis, concordârunt, et illos fieri fecerunt sub hac forma;

Gregorius, &c. *ut in bullis de concordatis, datis 1 Sept' 49 E. III. tunc sic,*

Item, Forma duarum bullarum, nobis, per dominum nostrum Papam modernum, super eadem materia, transmissarum, sequitur in hæc verba,

" URBANUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio, Ricardo Regi Angliæ illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

" In annis adolescentiæ prædicata celebris fama tua mentem nostram lætificat, spe firmâ fiduciâque conceptis quod devotionis affectus, quem habere cœpit excellentia tua ad Romanam ecclesiam et personam nostram, continuum recipiet incrementum.

" Nam, non expectatis nunciis nostris, ad regalem magnificentiam, de nostræ promotionis auspiciis, ex more mittendis, ardens in corde regio devotionis integritas, nunciis regalibus ad Romanam curiam destinatis, nosque de tuâ consistentiâ consolantibus, nostros ad te missos nuncios prævenisti.

" Gaudemus, inquam, in Domino, fili carissime et Rex inclite, quem sic gratiæ benedictione perfudit virtus Altissimi, sicque hac ætate tenerâ grandem animam præbuit, quod, tanquam princeps Christianissimus, eximiæ devotionis illustrium meritorum titulis insignitus, ad Deum præcipuè et sanctam sedem apostolicam, cui Divinâ favente Clementiâ, præsidemus, personamque nostram geris reverentiam filialem.

" Super hiis igitur condignas gratiarum actiones regiæ celsitudini referentes, ipsam in visceribus caritatis gerimus, loco dato præcipuo inter cæteros catholicos principes orbis terræ.

" Cæterùm de fructubus beneficiorum, quæ cardinales rebelles olim in regno tuo obtinebant, sic disposuimus, quod duæ partes eorumdem fructuum pro camerâ nostrâ apostolicâ, tertia verò pars pro reparationibus necessariis et aliis eis incumbentibus oneribus, reserventur.

" Porrò de tractatu regaliæ, nuper, sicut accepimus, habito et concluso inter, fœlicis recordationis, Gregorium Papam xi. prædecessorem nostrum, et, recolendæ memoriæ, Edwardum, olim Regem Angliæ, avum tuum, nequivimus plenè respondere de præsenti; quia registra dicti prædecessoris præ manibus non habemus; set placet quod interim, donec registra ipsa viderimus, nichil penitùs innovetur: si verò, ex inadvertentiâ, secus factum fuerit, non valeat nec robur habeat firmitatis.

" Præterea pro clericis regalibus gratias petitas concessimus; offerentes nos, in quibus honestè poterimus, votis regiis complacere.

" Rogamus autem quod, pro incremento majoris tui meriti, et pro

conservanda sanctæ Romanæ ecclesiæ unitate, dignetur excellentia tua nobis adhærere, et cum potentiâ regiâ, prout expedit, assistere et favere.

"Data Romæ, apud Sanctam Mariam in Transtiberim, vi. id' Novembris, pontificatûs nostri anno primo."

"URBANUS episcopus, servus servorum DEI, carissimo in CHRISTO filio, Ricardo Regi Angliæ illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

"Serenitatis tuæ literas, nobis nuperimè præsentatas, gratiosè recepimus; et ad id, quod nobis de quadam concordia, dudùm inter, fœlicis recordationis, Gregorium Papam xi. prædecessorem nostrum, et, claræ memoriæ, Edwardum Regem Angliæ, avum tuum, facta, scripsisti, et ejus observatione per nos faciendâ, respondemus quod, cum dudum, per quosdam ambaxiatores tuos, ex parte tuâ, nobis fuisset supplicatum ut dictam concordiam servare vellemus, eisdem ambaxiatoribus duximus respondendum quod concordiam ipsam, si et prout rationabiliter facta fuerit, intendebamus et intendimus observare, dùm tamen de illa fieret nobis fides, cum eam nunquam viderimus, nec sciamus quid ipsa contineat.

"Quocirca, fili carissime, placeat mittere nobis eam, ut possimus videre quæ per nos circa illam servanda sint; volumus enim tuam magnificentiam pro certo tenere, quod nostræ intentionis est, in quibuscumque casibus, tuæ celsitudini, quantum cum DEO et salvâ conscientiâ poterimus, complacere.

"Data Romæ, apud Sanctum Petrum, xv. cal' Aprilis, pontificatûs nostri anno secundo."

In quorum omnium testimonium atque fidem præsentes literas sub magno sigillo nostro fecimus consignari.

Dat' in palatio nostro Westm', vi. die Maii.

De obligatione factâ Regi Romanorum.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, tenore præsentium, notum facimus universis, quod, cum certæ ligæ et amicitiæ, necnon parentelæ, inter serenissimum principem, dominum Wencelaum, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regem, fratrem nostrum illustrissimum, per illustres et egregios viros, dominos Przimislaum ducem Teschinensem, Conradum Creyer, magistrum curiæ, et Petrum de Wartemberg, magistrum cameræ, ipsius fratris nostri ambassatores, pro parte suâ, ad nostram præsentiam destinatos, ac, dilectos et fideles nostros, Edmundum comitem Cantebrigiæ patruum nostrum, Hugonem de Segrave, senescallum hospitii nostri, et Albredum de Veer, camerarium nostrum, procuratores nostros, pro parte nostrâ, tractatæ sint et concordatæ;

Sitque inter ambassatores seu deputatos prædictos, inter cætera, concordatum specialiter et conclusum quod serenissima domina, domina Anna, ipsius fratris nostri soror inclita, nobis matrimonialiter copuletur, et in uxorem legitimam, divinæ et humanæ domûs sociam, nobis, per ipsum Romanorum et Bohemiæ Regem, ac alios parentes et amicos ipsius dominæ, unà cum dote competenti, et in statu convenienti, et secundum quod eidem Regi Romanorum, pro honore suo et dictæ sororis suæ, videbitur faciendum, et de ipsius spontaneâ voluntate, detur, et in regnum nostrum Angliæ, vel saltem ad villam nostram Calesii, per prædictos amicos et parentes ipsius, et eorum expensis, traducatur circa festum Sancti Michaelis proximò futurum, ac nobis effectualiter, ut convenit, liberetur, prout in certis articulis, inter prædictos ambassatores et procuratores concordatis, et literis suis firmatis, pleniùs continetur;

Tractatumque sit ulterius et concordatum quod, infra quindenam dicti festi, nos eidem serenissimo fratri nostro octoginta milia florenorum, vel eorum verum valorem in moneta aurea Anglicana, pro suis expensis et necessitatibus supportandis, ex causâ veri, legitimi, et puri mutui, mutuare, ac dictam summam deputatis dicti fratris nostri in villa de Brugges, cessantibus periculis evidentibus, sine fraude et dolo, alioquin in villâ nostrâ Calesii, realiter numerare et tradere, ac per totum nostrum districtum salvò conducere debeamus;

Pro quâ quidem summâ, nobis, hæredibus, vel executoribus nostris, resolvendâ, prædictus frater noster, juxta formam et tenorem quarumdam literarum obligatoriarum, jam inter nos et prædictos Przimislaum, Conradum, et Petrum, concordatos, et eisdem in scriptis traditos, debet effectualiter obligari;

Nos igitur, volentes omnia et singula, per prædictos procuratores nostros, ut præmittitur, tractata et concordata, effectui debito mancipari, prædictam summam octoginta milium florenorum eidem fratri nostro mutuare, ac infra quindenam prædictam deputatis ejusdem fratris nostri, in dictâ villâ de Brugges, cessantibus periculis evidentibus prædictis, alioquin in dictâ villâ nostrâ Calesii, ut præmittitur, realiter tradere ac numerare;

Dumtamen præfata domina Anna libera et sana, ut de jure convenit, et quantum in DEO est, unà cum dictis literis obligatoriis prædicti fratris nostri, sigillo suo sufficienter sigillatis, nobis, seu ad hoc per nos deputatis, circa festum prædictum, ut præmittitur, liberetur, ac alia, inter nos et ambassatores prædictos hic tractata, concordata, et prælocuta, per ipsum fratrem nostrum compleantur, ratificentur, et approbentur;

Ex nostrâ certâ scientiâ concedimus et promittimus bonâ fide, nosque, et omnia bona nostra, mobilia et immobilia, ad hoc, tenore præsentium, astringimus ac etiam obligamus;

Alioquin præsens obligatorium nostrum nullius sit roboris vel momenti;

Proviso semper quod, si præfata domina Anna, post dictum festum Sancti Michaelis, ad dictum regnum Angliæ, seu ad dictam villam Calesii ducatur, tunc, infra quindecim dies post adventum ipsius dominæ Annæ ibidem, nos dictam summam octoginta milium florenorum prædictorum deputatis dicti fratris nostri solvere teneamur.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, vi. die mensis Maii, anno regni nostri quarto.

Per ipsum Regem.

De quietantiâ certarum summarum, super traductione Annæ, sororis Imperatoris.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, notum facimus, tenore præsentium, universis, quod licet serenissimus princeps, dominus Wencelaus, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Rex illustrissimus, frater noster præcarissimus, ac illustres et egregii viri, dominus Przimislaus dux Teschinensis, Conradus Creyer, magister curiæ, et Petrus de Wartemberg, magister cameræ, ipsius fratris nostri serenissimi, ambassatores et consiliarii ejusdem, in regnum nostrum Angliæ, ad nostram præsentiam, nuperrimè ab ipsius fratris nostri celsitudine, pro quibusdam arduis negotiis, nedùm ipsum fratrem nostrum et nos, set statum Romanæ ecclesiæ concernentibus, destinati, in novem milibus nobilium auri et cunei Anglicani, quæ ad summam viginti milium florenorum ascendunt, quam summam iidem, Przimislaus, Conradus, et Petrus, ad opus fratris nostri prædicti, à nobis, ex causâ veri, legitimi, et puri mutui, Londoniæ receperunt, sint nobis, per literas suas obligatorias, sub certis formis, effectualiter obligati, resolvendis nobis, hæredibus, executoribus, seu deputatis nostris in Calesio, à festo Sancti Michaelis, proximò futuro, ad annum continuum, sine diffugio seu dilatione ulteriori;

Volumus tamen et concedimus, ac, per præsentes literas nostras, ex nostrâ certâ scientiâ, consentimus, quod si serenissimus frater noster prædictus inclitam Annam, sororem suam, sanam et incolumem, quantum in DEO fuerit, nobis ad regnum nostrum Angliæ, vel aliàs ad villam nostram Calesii, circa festum Sancti Michaelis, proximò futurum, traduci faciat et nobis effectualiter liberari, quod extunc prædictæ literæ obligatoriæ, tam prædicti serenissimi fratris nostri, quam Przimislai, Conradi, et Petri prædictorum, cassæ sint et irritæ nulliusque roboris vel momenti, set nos, hæredes, et executores nostri à quacumque exactione summæ prædictæ, in vigorem obligationum prædictarum, seu alias quovis modo, in judicio vel extra, per has literas nostras, perpetuò simus exclusi;

Ulteriusque eidem fratri nostro serenissimo, ac Przimislao, Conrado, et Petro, nobilibus supradictis, in verbo regio, promittimus, bonâ fide, quod si prædicta domina Anna, modo quo præmittitur, ad regnum nostrum Angliæ, vel aliàs, ad villam nostram Calesii, circa prædictum terminum, traducatur, et nobis effectualiter liberetur, quod, nedùm de summa prædicta novem milium nobilium, quæ ad summam viginti milium florenorum, ut præmittitur, ascendunt, set etiam de viginti milibus florenorum, infra summam octoginta milium florenorum, quam eidem fratri nostro, pro suis necessitatibus, extunc mutuare promisimus, comprehensis, plenam quietantiam et pactum de ulterius non petendo, absque difficultate qualibet, faciemus, literasque obligatorias præfati fratris nostri, ac prædictorum, Przimislai, Conradi, et Petri, ambassatorum suorum, eis restitui faciemus.

Alioquin, si traductionem ipsius dominæ Annæ, ut superiùs præmittitur faciendam, aliquo modo seu casu, quod absit, impediri contigerit, literæ obligatoriæ prædictæ, præsentibus literis non obstantibus, in suò pleno remaneant robore et effectu;

Proviso semper quod, uno prædictorum obligatorum solvente, alii perpetuò exonerentur.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, vi. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

De fructubus archidiaconatuum et præbendarum, per cardinales rebelles occupatorum, Papæ concessis.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Pat. 4 Ric. II. p. 3. m. 6. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis prælatis, viris religiosis, ac aliis personis ecclesiasticis, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod cum olim, in parliamento nostro generali, apud Gloucestriam celebrato, fructus, redditus, et proventus quorumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, ecclesiarum parochialium, canonicatuum, et præbendarum, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quocumque nomine vel titulo censeantur, infra regnum et dominia nostra existentium, per Gallicos, seu aliàs adversario nostro Franciæ adhærentes, quomodocumque occupatorum, de consilio et avisamento procerum regni nostri, et prout progenitores nostri, claræ memoriæ, durantibus guerris, facere consueverunt, ad manus nostras posuerimus, nostroque ærario fiscali jusserimus applicari;

Subsequenterque literas seu bullas sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Urbani, Divinâ Providentiâ, Papæ sexti, receperimus, continentes quod duas partes fructuum, redditnum, et proventuum beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales sibi rebelles occupatorum, cameræ suæ apostolicæ, propter ipsius indigentias, tertiam verò partem reparationibus eorumdem beneficiorum, reparatione indigentium, optavit et voluit applicari;

Nosque, ipsius sanctissimi patris indigentias et sumptus, quos propter defensionem fidei ac statûs sui ipsum indies oportebat impendere, in piæ considerationis examine revolventes;

Licet omnia bona ipsorum Gallicorum, seu aliàs adversario nostro Franciæ adhærentium, sicuti constat ipsos olim cardinales Gallicos et Limovicens', qui jam dicto sanctissimo patri de facto rebellant, eidem notoriè adhærere, et hactenus adhæsisse, infra regnum et dominia nostra existentia, nobis sint, de lege regni nostri, confiscata;

Volentes tamen eidem sanctissimo patri, in tanto necessitatis articulo, subvenire:

Voluerimus et de gratiâ nostrâ speciali concesserimus ut collector, qui, pro parte ipsius sanctissimi patris, in regno nostro Angliæ foret, pro tempore, de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales, eidem sanctissimo patri rebelles, etiam si puri Gallici, vel aliàs adversario nostro Franciæ adhærentes extiterint, occupatorum, absque impedimento nostri, officiariorum seu ministrorum nostrorum quorumcumque, ad usum et utilitatem ipsius sanctissimi patris, et reparationum prædictarum, liberè disponere valeat in formâ, nobis in dictis literis apostolicis expressatâ, usque ad festum Paschæ, proximò præteritum, prout in diversis literis nostris patentibus, indè confectis, pleniùs continetur;

Jamque, dilectus nobis, Cosmatus Gentilis, ipsius sanctissimi patris capellanus et collector, per ipsum in regno nostro prædicto deputatus, nobis, pro parte ejusdem sanctissimi patris, supplicaverit ut, cum archidiaconatus Wellensis, archidiaconatus Tauntoniensis, cum præbendâ de Milverton eidem archidiaconatui annexâ, in ecclesiâ Wellensi, archidiaconatus Suffolciæ in ecclesiâ Norwicensi, archidiaconatus Berks, cum ecclesiâ de Northmorton, eidem archidiaconatui annexâ, præbenda de Wodeford, præbenda de Heyword in ecclesiâ Sarum, præbenda de Aylesbury, præbenda de Brampton, et præbenda de Sutton et Bukyngham, in ecclesiâ Lincolniensi, fuissent nuper per dictos cardinales rebelles pacificè occupati, velimus administrationem et occupationem fructuum, redditnum, et proventuum dictorum archidiaconatuum et præbendarum, ad terminum nobis placabilem, eidem collectori, ad usum prædictæ cameræ apostolicæ, concedere gratiosè;

Nos, supplicationi prædictæ favorabiliter inclinati, volumus, et de avisamento et assensu concilii nostri concedimus, per præsentes, quod præfatus collector de fructubus, redditibus, et proventubus omnium et singulorum beneficiorum, superiùs specificatorum, in formâ prædictâ, liberè disponere valeat, à tempore rebellionis cardinalium prædictorum, usque ad festum Omnium Sanctorum, proximò futurum, absque impedimento nostri, officiariorum, ministrorum, aut aliorum quorumcumque;

Reservato tamen nobis, seu deputandis per nos, supervisu et ordinatione ipsarum reparationum, quas nullo modo volumus prætermitti;

Quocirca vobis omnibus et singulis, ac vestrûm cuilibet, præcipimus et mandamus quatinus præfatum Cosmatum de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus dictorum beneficiorum, absque impedimento aliquo, usque ad dictum festum Omnium Sanctorum, adeò liberè et pacificè per se, et alios deputatos suos, ad usum cameræ sanctissimi patris prædicti, disponere, ipsosque fructus, redditus, et proventus prædictos exigere, levare, et percipere, in formâ superiùs limitatâ, absque contradictione qualibet, permittatis, sicut dicti olim cardinales, jam rebelles, tempore firmæ pacis inter nos et adversarium nostrum Franciæ, et ante rebellionem suam, disponere consueverunt;

Et ipsum collectorem, ac deputatos suos prædictos, in præmissis faciendis, manuteneatis, protegatis, et defendatis, mandato seu mandatis contrariis, per nos priùs factis, non obstantibus quibuscumque;

Volumus autem quod hæc præsens nostra gratiosa concessio, quam futuris temporibus ad consequentiam trahi nolumus, usque ad prædictum festum Omnium Sanctorum, et non ultra, robur optineat firmitatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Maii.

Per concilium.

De potestate tractandi cum principibus Alemanniæ, super ligis.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Simoni de Burley camerario, magistris, Roberto Braybrok licentiato in legibus, Waltero de Skirlawe decretorum doctori, consiliariis suis, Nicholao Dagworth, et Bernardo Van Sedles, militibus cameræ suæ carissimis, salutem.

Cum, inter gloriosas reipublicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, habeatur præcipuum sublimium et potentum principum sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc indè, amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri;

Nos, præmissa considerantes, ac de vestris legalitate, probitate, industriâ, et circumspectione providis plenissimè confidentes;

Ad tractandum, conveniendum, et concordandum cum quibuscumque principibus Alemanniæ, etiam sacri imperii electoribus, super quibuscumque ligis, confœderationibus, et amicitiis, specialibus, temporalibus, vel perpetuis, inter nos, subditos nostros, regna, et dominia nostra quæcumque, ex unâ, ac ipsos principes, et eorum quemlibet, subditos, terras, et dominia sua quæcumque, et eorum cujuslibet, ex parte alterâ, ineundis;

Ac etiam de modo, formâ, quantitate, et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc indè, tempore necessitatis, mutuò ministrandorum;

Et de comunicationibus, inter subditos, hinc indè, in mercimoniis et aliis licitis, securè et fraternaliter faciendis;

Necnon super omnibus et singulis articulis, quantumcumque specialibus, qui ligas, confœderationes, seu amicitias, inter nos et prædictos principes, ac eorum quemlibet, firmandas, concernere poterunt quovismodo, cum eorum incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis;

Ac omnia, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, cum omni securitate, debitâ et honestâ, in hoc casu, nomine nostro firmandum, consimilemque securitatem, pro nobis, et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum;

Jurandumque in animam nostram quod tractata, conventa, et concordata ibidem rata habebimus et grata, nec aliquid procurabimus vel faciemus per quod tractata et concordata hujusmodi effectu debito frustrari poterunt, seu quomodolibet impediri;

Ac juramentum consimile ab eisdem principibus, et eorum quolibet, seu deputatis eorumdem, petendum, exigendum, et recipiendum;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nosmet facere possemus si personaliter interessemus, etiam si talia forent quæ mandatum exigerent quantumcumque speciale;

Vos, quatuor, tres, et duos vestrûm, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales, facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes, in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid per vos, quatuor, tres, et duos vestrûm, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis, et singulis præmissorum; aliis mandatis seu procuratoriis nostris in suo nichilominus robore duraturis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, x. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

De potestate tractandi cum Rege Romanorum et Bohemiæ, super ligis et amicitiis.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inter gloriosas rei publicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, æstimamus præcipuum aliorum principum et Regum sublimium sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum, affinitatum, et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc indè, amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri.

Quod dum intra mentis nostræ præcordia diligentiùs tractaremus, cum serenissimo fratre nostro, domino Wencelao, Dei gratiâ, Rege Romanorum et Bohemiæ illustrissimo, et Divinâ favente Clementiâ, Imperatore futuro, nedùm hujusmodi amoris fœdera stringere, set

affinitatem et parentelam contrahere, ligasque firmas, speciales, et perpetuas præ cæteris optabamus inire.

Unde cum post varios tractatus super hoc habitos, certi ambassatores ipsius fratris nostri ad nostram præsenciam mitterentur, super parentelâ contrahendâ, et aliis certis articulis, extitit in nostrâ præsenciâ concordatum.

Set cum, nedum super facto parentelæ prædictæ quam super ligis, confœderationibus, et amicitiis specialibus inter prædictum fratrem nostrum et nos, DEI gratiâ firmandis, aliqua adhuc restant facienda residua, quæ pro tunc appunctuari non poterant seu concludi, certos ambassatores nostros, pro finali omnium restantium conclusione, ad ipsius fratris nostri præsenciam duximus destinandos;

Et proindè de legalitate, probitate, industriâ et circumspectione providis dilectorum et fidelium nostrorum, Simonis Burley militis, camerarii, magistrorum, Roberti Braybroke, licenciati in legibus, Walteri de Skirlawe, decretorum doctoris, consiliariorum nostrorum, Nicholai Dagworth et Bernardi Van Sedles, militum cameræ nostræ, pleniùs confidentes;

Ad tractandum, conveniendum, et concordandum, cum eodem serenissimo fratre nostro, seu ad hoc deputatis per eundem, sufficiens mandatum habentibus, super ligis, confœderationibus, et amicitiis specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter eundem fratrem nostrum, subditos suos, regna et dominia sua quæcumque, ex unâ, ac nos, subditos nostros, ac regna et dominia nostra quæcumque, ex alterâ parte, ineundis;

Ac etiam de modo, formâ, quantitate, et qualitate auxilii, subventionis seu subsidii hinc indè, tempore necessitatis, mutuò ministrandi;

Et de communicationibus, inter subditos, hinc indè, in mercimoniis et aliis licitis, securè et fraternaliter faciendi;

Necnon super omnibus et singulis articulis quantumcumque specialibus qui ligas, confœderationes, seu amicitias, inter prædictum fratrem nostrum et nos firmandas, concernere poterunt quovismodo, cum eorum incidentibus, emergentibus, dependentibus et connexis;

Ac omnia quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint cum omni securitate debitâ et honestâ in hoc casu nomine nostro firmandi, consimilemque securitatem pro nobis et nomine nostro petendi, stipulandi et recipiendi;

Jurandique in animam nostram, quod tractata, conventa et concordata ibidem rata habebimus et grata, nec aliquid procurabimus vel faciemus, per quod tractata et concordata hujusmodi effectu debito frustrari poterunt, seu quomodolibet impediri;

Ac juramentum consimile ab eodem fratre nostro, seu deputatis ipsius, petendi, exigendi et recipiendi, cæteraque omnia et singula faciendi, excercendi et expediendi, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nosmet facere possemus si personaliter interessemus; etiam si talia forent quæ mandatum exigerent quantumcumque speciale;

Prædictos Simonem, Robertum, Walterum, Nicholaum, et Bernardum, quatuor, tres, et duos eorumdem, nostros veros, legitimos et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid per procuratores nostros prædictos, quatuor, tres, aut duos eorumdem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis, et singulis præmissorum; aliis mandatis seu procuratoriis nostris in suo nichilominus robore duraturis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, x. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

De monstro hominum ad arma, pro viagio Portugaliæ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Johanni Kentwode, Johanni de la Haye, Martino de Ferrers, Roberto Crull clerico, et Willielmo de Lokyngton clerico, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, quatuor, tres, et duos vestrûm, ad monstrum hominum ad arma, armatorum, et sagittariorum existentium de retinentiâ carissimi avunculi nostri, Edmundi comitis Cantebrigiæ, ac aliorum dominorum et fidelium nostrorum, in obsequium nostrum ad partes Portugaliæ profecturorum, supervidendum, et ad omnia alia, in hac parte pro nobis necessaria, faciendum et explendum;

Et ad nomina hujusmodi hominum ad arma, armatorum, et sagittariorum, unà cum defectibus, si qui fuerint, in scriptis ponendum et redigendum, et thesaurarium et barones scaccarii nostri indè sine dilatione certificandum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ;

Damus autem universis et singulis capitaneis, hominibus ad arma, armatis, et sagittariis, et omnibus aliis fidelibus et subditis nostris, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis, et cuilibet vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint et obedientes, quotiens et quando per vos, vel per aliquem vestrûm, super hoc requisiti fuerint ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Maii.

Per concilium.

De potestate contrahendi sponsalia et matrimonium cum sorore Regis Romanorum.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m 9. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inter cætera, quæ regnorum aliorumque principatuum, jure successorio sanguinis delatorum, fœliciùs firmant regimina, est principantium hujusmodi prolis fœcunditas, ex matrimonio legitimo derivata, per quam, exclusis nedùm extraneis, set collateralibus suis et legitimis hæredibus, successiones hujusmodi directâ lineâ deferuntur.

Hæc itaque dum, discursis annis puerilibus, in quibus jura regni suscepimus, et ad annos pubertatis pervenimus, se nostræ considerationis examini præsentarent, de habendâ nobis conthorali condignâ, quæ foret divinæ et humanæ domûs socia, ac successionis hujusmodi propagativa, cepimus solicitè cogitare.

Et, dum ad serenissimam dominam, dominam Annam, illustrissimi principis et fratris nostri carissimi, domini Wencelai, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regis sororem inclitam, oculos nostræ considerationis direximus, placuit nobis, nedùm propter ipsius nobilitatem, set propter famam celebrem bonitatis ipsius, nostris auribus instillatam, cum ipsâ, præ cæteris, fœdus inire conjugii conjugale;

Undè, cùm, post aliquos tractatus, super hoc habitos, nobiles et illustres viri, domini, Przimislaus dux Teschinensis, Conradus Creyer, magister curiæ, et Petrus de Wartemberg, magister cameræ, ipsius serenissimi fratris nostri, ad nostram præsentiam Londoniæ declinarent, de dictâ parentelâ contrahendâ, ac de certis aliis ligarum, amicitiarum, seu confœderationum articulis extitit ibidem mutuò concordatum;

Nosque, volentes omnia, ibidem prælocuta, condicta, et concordata effectualiter exequi, ut debemus;

Ac de legalitate, industriâ, et circumspectione providis dilectorum et fidelium nostrorum, Simonis Burley camerarii, Roberti Braybrok secretarii, et Walteri Skirlawe, legum doctoris, consiliariorum nostrorum, et Bernardi Van Sedles, militis cameræ nostræ, et eorum cujuslibet, pleniùs confidentes;

Ad contrahendum sponsalia seu matrimonium cum dictâ dominâ Annâ, etiam per verba de præsenti, vel aliàs, prout melius et ordinatius de jure fieri poterit, et in eandem nomine nostro matrimonialiter consentiendum;

Necnon ad tractandum cum procuratoribus, parentibus, et amicis ipsius dominæ de dote, dotalitio, vel donatione propter nuptias, ac arris in hac parte constituendis, et de qualitate ac quantitate necnon de terminis et locis solutionis et satisfactionis eorumdem;

Ac etiam ad quem locum prædicta domina per parentes et amicos suos transmitti, ac quo modo, et quando, in domum nostram regiam traduci debeat, conveniendum et concordandum;

Et ea, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, quatenus ad nos attinet, omnimodâ securitate, honestâ et debitâ, nomine nostro, firmandum, consimilemque securitatem, pro nobis et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum;

Jurandumque in animam nostram quod contractum hujusmodi ratum habebimus, nec potestatem præsentem, eis datam, revocabimus, aliquidve faciemus vel procurabimus per quod contractus hujusmodi, seu ejus debita consummatio, in casu quo per dictos procuratores nostros seu eorum aliquem, sic contrahi contigerit, poterit quomodolibet impediri;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint vel oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nos faceremus seu facere possemus si personaliter ibidem præsentes essemus, etiam si mandatum exigant quantumcumque speciale;

Prædictos, Simonem, Robertum, Walterum, et Bernardum, ac quemlibet eorum, per se et in solidum, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales, organumque vocis nostræ, in hâc parte, facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes, in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid, per procuratores nostros prædictos, vel ipsorum aliquem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis et singulis præmissorum;

Ipsosque procuratores et nuncios nostros, et eorum quemlibet, ab omni onere satisdandi expressè, tenore præsentium, relevamus;

Aliis mandatis seu procuratoriis nostris, prius in hâc parte factis, in suo nichilominus robore duraturis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xii. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

De conductubus, super deliberatione vicecomitis de Rochechoart.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Vascon. 4 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. salutem. Sciatis quod, cum Ludovicus vicecomes de Rochechoart, prisonarius Johannis de Nevill domini de Raby, locum nostrum tenentis in partibus Aquitanniæ, in regnum nostrum Angliæ ductus existat, ac Isabella uxor ipsius Lodewici, et Johannes Rochechoart filius ejus, chivaler, videlicet, uterque eorumdem, Isabellæ et Johannis Rochechoart, cum viginti militibus, duobus scutiferis, et domicellis, ac aliis valettis suis, equitibus et peditibus de comitivâ suâ, in dominia, potestates, et districtus nostra, tam per terram quam per mare, ad deliberationem ipsius Lodevici prosequendam et habendam, venire proponant;

Nos, pro securitate suâ providere volentes, suscepimus eosdem Isabellam et Johannem, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. usque ad festum Nativitatis Beatæ Mariæ, proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xiii. die Maii.

Consimiles literas habet Moto Macart, scutifer ipsius Lodewici, cum duobus aliis scutiferis ejusdem Lodewici.

Alligantiarum cum Rege et Reginâ Portugalliæ confirmatio.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

RICHARD, par la grace de DIEU, Roy d'Engleterre et de France, et seignour d'Irlande, a touz ceux qi cestes lettres verront ou orront, saluz.

Come certeins alliances fuissent n'adgairs faites et affermez entre seignur Edward de bone memoire, n'adgairs Roi d'Engleterre et de France, nostre aiel, et luy noble et puissant prince, nostre trescher cosin, don Fernande, Roi de Portugale et de Algrave, et nostre treshonure cosine, dame Leonore, Roigne de Portugale et d'Algarbe, sa femme, par noz chers et foialx, William seignur de Latymer, et mestre Thomas Yonge, official de la court de Canterbirs, procureurs et messages especials de nostre dit aiel a ce assignez;

Savoir faisons a touz que, pur ce que le dit Roy de Portugale nous a, par ses lettres patentes, acordez, ottroiez, et promys de tenir, et garder, et acomplir, devers nous les dites alliances, sanz jammes faire ne venir a l'encontre; nous, veullantz auxi que mesmes les alliances droitement, et en manere come ils feurent faitz et affermez, entre nostre dit aiel et le dit Roy de Portugale, par les susditz procurours de mesme nostre aiel, soient gardez, tenuz et affermez entre nous, et touz noz successours, et le dit Roy du Portugale et la dite Roigne, et toutz lour successours, mesmes les alliances acceptons, ratifions, et confermons pàr le tenour de noz presentes lettres;

Et jurons et promettons loiaument, en bon foy, de garder, tenir, et acomplir au dit Roy du Portugale les dites alliances, solonc ce que, par les ditz seigneur de Latymer et mestre Thomas, procurours de nostre dit aiel, furent fermez et acordez, selonc que en ycelles est contenuz, et de non aler contre elles, en nulle gise, a nul temps.

En tesmoignance de quele chose a ycestes noz presentes lettres patentes avons fait mettre nostre grant seal.

Don' a nostre paleys de Westm', le xiv. jour. de moys de May l'an de Grace mille troiscentz oitaunt primer, et de nostre regne quart.

De potestate tractandi, cum ducibus et dominis de partibus Italiæ, super ligis et amicitiis.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Johanni Haukewod et Nicholao Dagworth, militibus, ac magistro Waltero Skirlawe, decretorum doctori, decano Sancti Martini Magni Londoniæ, consiliario nostro familiari, salutem.

Cum, inter gloriosas reipublicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, habeatur præcipuum sublimium et potentum principum sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc indè, amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri;

Nos, præmissa considerantes, ac de vestris legalitate, probitate, industriâ, et circumspectione providis plenissimè confidentes;

Ad tractandum, conveniendum, et concordandum cum quibuscumque ducibus, comitibus, dominis, seu comunitatibus Italiæ, non scismaticis, super quibuscumque ligis, confœderationibus, et amicitiis, specialibus, temporalibus, vel perpetuis, inter nos, subditos nostros, regna, et dominia nostra quæcumque, ex unâ, ac ipsos duces, comites, dominos, seu comunitates, non scismaticos, et eorum quemlibet, subditos, terras, et dominia sua quæcumque, et eorum cujuslibet, ex parte alterâ, ineundis;

Ac etiam de modo, formâ, quantitate, et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc indè, tempore necessitatis, mutuò ministrandi, et de comunicationibus, inter subditos, hinc indè, in mercimoniis et aliis licitis, securè et amicabiliter faciendis;

Necnon super omnibus et singulis articulis, quantumcumque specialibus, qui ligas, confœderationes, seu amicitias, inter nos et prædictos duces, comites, dominos, seu comunitates, non scismaticos, ac eorum quemlibet, firmandas, concernere poterunt quovis modo, cum eorum incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis;

Ac omnia, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, cum omni securitate, debitâ et honestâ, in hoc casu, nomine nostro firmandum, consimilemque securitatem, pro nobis, et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum;

Jurandumque in animam nostram quod tractata, conventa, et concordata ibidem rata habebimus et grata, nec aliquid procurabimus vel faciemus per quod tractata et concordata hujusmodi effectu debito frustrari poterunt, seu quomodolibet impediri;

Ac juramentum consimile ab eisdem ducibus, comitibus, dominis, seu comunitatibus, non scismaticis, et eorum quolibet, seu deputatis eorumdem, petendum, exigendum, et recipiendum;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nosmet facere possemus si personaliter interessemus, etiam si talia forent quæ mandatum exigerent quantumcumque speciale;

Vos, aut duos vestrûm, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales, facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes:

Promittentes nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid per vos, aut duos vestrûm, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis, et singulis præmissorum.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xvi. die mensis Maii.

Per ipsum Regem.

De confirmatione ligarum et amicitiarum inter Regem Angliæ et Regem Romanorum et Bohemiæ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus litteras quarumdam ligarum, amicitiarum et confœderationum, inter serenissimum principem et dominum, dominum Wenceslaum, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regem, per Przimislaum ducem Teschinen', Conradum Kreyger, magistrum curiæ, et Petrum de Wartemberg', magistrum cameræ, ipsius Regis Bohemiæ ambassatores, et procuratores suos, ex unâ parte, et nos, per Edmundum comitem Cantebrigiæ, Hugonem de Segrave, senescallum hospitii, et Albredum de Veer camerarium nostrum, ambassatores seu procuratores nostros, ex alterâ, sigillis eorumdem ambassatorum et procuratorum munitas, quarum tenor sequitur in hæc verba:

UNIVERSIS sanctæ matris ecclesiæ filiis, præsentes litteras inspecturis, nos, Przimislaus dux Teschinen', Conradus Kreyer, magister curiæ, et Petrus Wartemberg, magister cameræ, serenissimi principis et domini, domini Wencelaii, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regis, necnon Edmundus comes Cantebrigiæ, Hugo de Segrave, senescallus hospitii, et Albredus de Veer, camerarius, illustrissimi principis et domini, domini Ricardi, DEI gratiâ, Regis Angliæ et Franciæ, milites, ambas-

satores, commissarii, seu procuratores ad quasdam amicitias, ligas, seu confœderationes, inter serenissimos principes, Reges prædictos, dominos nostros metuendissimos, tractandas, ineundas, et concordandas, cum potestate sufficienti, prout ex insertione mandatorum nostrorum, inferius describendorum, clariùs patebit, specialiter deputati, salutem et perpetuam memoriam rei gestæ.

Illa consuetudo rectè regnantium, ille mos justè principantium, semper fuit bonum commune subditorum quibuscumque privatis præferre commodis, talibusque rem publicam munire præsidiis, per quæ posset continuè, exclusis cœcis, inquietationum turbinibus, quieta persistere, et sub optatæ pacis votivâ fœlicitate lætari, quod tunc satis utiliter creditur promoveri, cum principes Christiani et potentes, in unam fidei catholicæ unitatem et veram amicitiam conjuncti, in unam mentis consonantiam affectuosè conveniunt, et insimul indissolubilis amoris fœdere copulantur.

Hoc siquidem, serenissimi principes et domini nostri, Reges metuendissimi supradicti, in discretæ considerationis examine laudabili consilio revolventes, per nos, ambassatores, commissarios, seu procuratores suos prædictos, quædam ligarum at amicitiarum capitula examinari, tractari, expediri, et concordari voluerunt eo, qui sequitur, sub tenore;

In primis, tractatum est et finaliter concordatum quod serenissima domina Anna, præfati Romanorum et Bohemiæ Regis soror inclita, prædicto domino Ricardo Regi Angliæ et Franciæ in uxorem legitimam, per parentes et amicos ipsius dominæ, et de ejusdem spontaneâ voluntate, detur, assignetur, et matrimonialiter copuletur; et quod ad regnum Angliæ, seu villam Calesii, circa festum Sancti Michaelis proximò futurum, prædicta domina, expensis præfati domini Regis Romanorum et Bohemiæ, et aliorum amicorum suorum, traducatur, et eidem domino Regi Angliæ sana et incolumis, quantum in Deo fuerit, effectualiter liberetur.

Item, quod dictus Romanorum et Bohemiæ Rex mittat prædictam sororem suam, competenter dotatam et apparatam, habito respectu ad contrahentium status et personas, et secundum quod eidem Regi Romanorum, pro honore suo et dictæ sororis suæ, videbitur faciendum.

Item, quod dicta domina Anna, postquam dictum matrimonium fuerit consummatum, tempore debito coronabitur, et in aliis tractabitur, prout aliæ Reginæ Angliæ tractari consueverunt.

Item, cum dictus dominus Rex Angliæ et Franciæ parentelam contraxerit cum dicto domino Romanorum et Bohemiæ Rege, recipiendo in uxorem legitimam prædictam dominam Annam sororem suam, propter fraternum amorem et puram amicitiam, inter ipsos Reges et hæredes suos mutuò conservandos, inter partes est expressè concordatum quod idem Rex Angliæ et Franciæ, hæredesque sui, omnem amicitiam, benevolentiam, et amorem fraternalem eidem Romanorum et Bohemiæ Regi, hæredibusque suis, futuris temporibus, continuè exhibebunt, et quilibet suo tempore exhibebit, nec unquam aliquis eorum erit inimicus eidem Romanorum et Bohemiæ Regi, aut hæredibus suis, nec contra eos, regna, terras, dominia, vassallos, aut subditos suos, stabunt quovis modo, nec etiam gravabunt, nec, quantum in eis est, per se, vel per suos, gravari permittent, prædictum Romanorum et Bohemiæ Regem, hæredes suos, regna, terras, dominia, vassallos, aut subditos eorumdem, quocumque colore;

Et, e converso, dictus dominus Romanorum et Bohemiæ Rex, hæredesque sui, omnem amicitiam, benevolentiam, et amorem fraternalem eidem Regi Angliæ et Franciæ, hæredibusque suis, futuris temporibus, continuè exhibebunt, et quilibet suo tempore exhibebit, nec unquam aliquis eorum erit inimicus dicto domino Regi Angliæ et Franciæ, vel hæredibus suis, nec contra eos, regna, terras, dominia, vassallos, aut subditos suos stabunt quovis modo, nec etiam gravabunt, nec, quantum in eis est, per se vel per suos, gravari permittent prædictum Regem Angliæ et Franciæ, hæredes suos, regna, terras, dominia, vassallos, et subditos eorumdem, quocumque colore;

Et eandem amicitiam et fraternitatem inter se, de cæterò, conservabunt, dolo et fraude cessantibus quibuscumque.

Item, quod exnunc sint inter dictum dominum Regem Romanorum et Bohemiæ, et dominum Ricardum Regem Angliæ et Franciæ prædictum, unio et liga, contra omnes et quoscumque scismaticos, et rebelles Romanæ ecclesiæ, et domini Urbani Papæ sexti, et successorum suorum canonicè intrantium, et per collegium cardinalium, dicto domino Urbano adhærens, eligendorum, tam ecclesiasticos quam seculares, cujuscumque statûs, gradûs, dignitatis, seu conditionis existant, præsentes et futuros:

Non est tamen intentio dicti domini Regis Angliæ et Franciæ se, vel hæredes suos, ex hoc, quovismodo, astringere, quin super quibuscumque aliis quæstionibus, controversiis, et debatis, cum quibuscumque inimicis, seu adversariis suis, etiam scismaticis, possit licitè et liberè transigere, pacisci, concordare, ac pacem seu treugas cum eisdem facere et inire, prout et quando et quotiens sibi videbitur expedire; supradicta tamen et sinceritatem fidei conservando.

Item, quod nec dictus Rex Romanorum et Bohemiæ, nec hæredes sui, aliquas confœderationes, amicitias, pacta, seu alligantias cum quocumque Rege, principe, aut personâ mundanâ, aut ecclesiasticâ, cujuscumque statûs, dignitatis, aut conditionis existant, deceterò contrahent aut inient, in præjudicium præfati Regis Angliæ et Franciæ, ac ligarum præsentium:

Et similiter, nec prædictus Angliæ et Franciæ Rex, nec hæredes sui, aliquas confœderationes, amicitias, pacta, seu aliquas alligantias cum quocumque Rege, principe, aut personâ mundanâ, aut ecclesiasticâ, cujuscumque statûs, dignitatis, aut conditionis existat, de cæterò contrahent aut inient, in præjudicium præfati Romanorum et Bohæmiæ Regis, ac ligarum præsentium;

Item, quod vassalli et subditi præfati Regis Angliæ et Franciæ, possint liberè, securè, et absque impedimento seu perturbatione quâcumque, intrare, transire, morari, conversari, et mercari, tam per terram quam per mare, in omnibus terris imperii, et in quibuscumque terris, regnis et dominiis ipsius Romanorum et Bohemiæ Regis, et abindè liberè recedere et ire quocumque voluerint, cum rebus et mercandisis suis, absque impetitione, aresto, seu molestatione quacumque; salvis tamen juribus dominorum et principum quorumcumque: et sic fiet subditis ipsius Romanorum et Bohæmiæ Regis, vice versâ.

Item, quod non liceat eidem Romanorum et Bohemiæ Regi, nec alicui de ipsius subditis aut vassallis, quemcumque subditum seu vassallum dicti Regis Angliæ et Franciæ, quocumque modo, detinere, capere, seu arestare, vel incarcerare, aut ipsius bona quomodolibet sub aresto impedire, etiam ratione reprisaliæ seu contraprisaliæ, nisi ratione delicti vel contractûs, commissi seu initi infra districtum suum, et hoc juris ordine observato; nec etiam liceat dicto domino Regi Angliæ et Franciæ, quoad subditos præfati Romanorum et Bohemiæ Regis, vice versâ.

Item, quod dictus Romanorum et Bohemiæ Rex præsentes ligas litteris suis propriis firmare, et etiam, postquam infulas imperiales receperit, et coronæ suæ solempnia compleverit, innovare, et, ut Imperator, de novo facere teneatur.

Quasquidem amicitias, confœderationes, seu ligas nos, Przimislaus dux Teschinen', Conradus Kreyer, magister curiæ, et Petrus Wartemberg, magister cameræ, dicti principis et domini, domini Wencelaii, Dei gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regis ambassatores prædicti, post plenam et exactissimam examinationem omnium et singulorum, in præmissis articulis contentorum, nomine domini nostri Romanorum et Bohemiæ Regis supradicti et nostro, ex nostrâ certâ scientiâ, inivimus, fecimus, et contraximus, inimus, facimus, et contrahimus, eisdemque consensimus, ac etiam consentimus, promisimusque, et adhuc promittimus, bonâ fide, quod idem dominus noster Rex omnia et singula, per nos in hac parte facta, gesta, et concordata, sub majestatis suæ sigillo ratificabit et approbabit; defectumque, si quis in mandatis seu procuratoriis nostris habeatur, ac omnem alium defectum in præmissis, supplebit et emendabit, prout fuerit oportunum;

Et nichilominus, ad majorem præmissorum firmitatem, in prædicti Regis Angliæ et Franciæ, reverendissimi in Christo patris, et domini, domini Pilei, Dei gratiâ, tituli Sanctæ Praxedis presbiteri cardinalis, ac, reverendorum patrum, dominorum, Simonis Cantuariæ archiepiscopi, totius Angliæ primatis, et sedis apostolicæ legati, Willielmi London', Willielmi Wynton, Johannis Hereforden', Radulphi Sarum, episcoporum, illustris principis domini Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, Ricardi Arundell et Surriæ, Hugonis Staffordiæ, Guillielmi Sarum, et Willielmi Suffolchiæ, comitum, ac plurimum baronum et aliorum nobilium, præsentiâ, ad sancta Dei Evangelia, per nos corporaliter tacta, in animam domini nostri Regis supradicti juravimus, et juramus, amicitias, ligas, et confœderationes prædictas, ac omnia et singula contenta in eisdem, inviolabiliter observare et tenere, dolo et fraude cessantibus quibuscumque;

Et, ex habundanti, renunciavimus, et renunciamus, nomine quo supra, omnibus et singulis exceptionibus, cavillationibus, et defensionibus, tam juris quam facti, per quas contra præmissa, vel præmissorum aliqua, possemus vel posset idem dominus noster quomodolibet se tueri.

Nosque, Edmundus comes Cantebrigiæ, Hugo, et Albredus, ambassatores, commissarii, seu procuratores supradicti, prædictas amicitias, confœderationes, seu ligas, nomine domini nostri Regis supradicti, unà cum eisdem, Przimislao, Conrado et Petro, ambassatoribus, commissariis, seu procuratoribus Romanorum et Bohemiæ Regis supradictis, inivimus, fecimus, et contraximus, inimus, facimus, et contrahimus, eisdemque consensimus, ac etiam consentimus, promisimusque, et adhuc promittimus, bonâ fide, quod idem dominus noster Rex, omnia et singula, per nos in hâc parte facta, gesta, et concordata, sub majestatis suæ sigillo, ratificabit et approbabit, ac defectum, si quis intervenerit in præmissis, supplebit prout fuerit oportunum;

Et nichilominus, in metuendissimi domini nostri, Regis prædicti, ac aliorum prælatorum et procerum prædictorum præsentiâ, juravimus, et juramus, amicitias, ligas, et confœderationes prædictas, ac omnia et singula contenta in eisdem, inviolabiliter observare et tenere, dolo et fraude cessantibus quibuscumque:

Et, ex habundanti, renunciavimus et renunciamus, nomine quo supra, omnibus et singulis exceptionibus, cavillationibus, ac defensionibus, tam juris quam facti, per quas contra præmissa, vel præmissorum aliqua, possemus, vel posset idem dominus noster, quomodolibet se tueri.

Tenores verò procuratoriorum de quibus superius fit mentio, sequuntur sub hâc formâ.

Wenceslaus, Dei gratiâ, Romanorum Rex, semper augustus, et Bohemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis quod de, illustris Przimislai ducis Teschinen', principis et sororii nostri carissimi, ac etiam nobilium, Conradi de Kreyger, magistri curiæ nostræ, et Petri de Wartenberg, consiliariorum et fidelium dilectorum nostrorum, legalitatis, virtutis, et probatæ circumspectionis industriis plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, ipsos, animo deliberato, de certâ nostrâ scientiâ, et sano principum, baronum, et procerum nostrorum, accedente concilio, nostro nomine creavimus, constituimus, fecimus, creamus, facimus, constituimus, et, meliori modo et formâ quibus fieri potest, præsentibus ordinamus nostros ambaxiatores, procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales;

Dantes et concedentes eisdem plenam et omnimodam potestatem tractandi, contrahendi, iniendi, faciendi, et consummandi, pro nobis et hæredibus nostris, Bohemiæ Regibus, amicitias, uniones, et ligas fraternales; et etiam colligantias statum et honorem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, et sanctissimi in Christo patris et domini, domini Urbani Papæ sexti, concernentes, ad exterminium scismaticorum nunc

vigentium et rebellium, præsentium et futurorum, ipsius domini Urbani Papæ prædicti, et successorum suorum canonicè intrantium, et per collegium cardinalium, dicto domino Urbano adhærens, eligendorum, cum serenissimo principe domino Richardo Rege Angliæ illustri, fratre nostro carissimo, pro se, et suis hæredibus, Angliæ Regibus;

Et easdem amicitias, uniones, et ligas fraternales, necnon colligantias pro sacrosanctâ Romanâ ecclesiâ, et domino nostro Urbano, Papâ prædicto, nostro nomine, et hæredum nostrorum, litteris nostris firmandi, et in animam nostram jurandi;

Ac etiam, nostro nomine à dicto domino Rege Angliæ juramenta recipiendi, de et super præmissa servando et etiam adimplendo;

Ac omnia et singula faciendi, quæ pro consummatione seu factione amicitiarum, unionum, et fraternalium ligarum, necnon colligantiarum prædictarum, necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna; et quæ nos facere et concludere possemus si personaliter adessemus, etiam si mandatum exigant speciale;

Promittentes nichilominus, pro nobis et dictis hæredibus nostris, Boæmiæ Regibus, ratum, gratum, atque firmum inviolabiliter observare, quicquid per præfatos sororium et consiliarios nostros, ducem Teschinen', Conradum de Kreyger, et Petrum de Wartenberg, nostro nomine, in præmissis, actum, factum, seu consummatum fuerit quomodolibet, sive gestum, præsentium, sub regiæ nostræ Majestatis sigillo, testimonio litterarum.

Datum Nuremberg', anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quartâ, kalendarum mensis Februarii, regnorum nostrorum anno Boæmiæ decimo octavo, Romanorum verò quinto.

Nos Anna, Dei gratiâ, claræ memoriæ, serenissimi ac invictissimi principis et domini, domini Karoli, quondam Romanorum Imperatoris et Bohæmiæ Regis, patris nostri carissimi, filia, recognoscimus, tenore præsentium, universis quod, ad consilia, requisitiones, necnon inductiones, serenissimi principis, domini Wenceslai, Romanorum et Bohæmiæ Regis, domini et fratris nostri pertimendi, necnon, serenissimæ principis, dominæ Elizabethæ, Romanorum Imperatricis et Reginæ Boæmiæ, dominæ et matris nostræ carissimæ, necnon, animo deliberato, voluntate liberâ, et ex certâ scientiâ, constituendos duximus, et constituimus in hiis scriptis, nostros veros, certos, et legitimos procuratores, et nuncios speciales, præsentes, et onus procurationis in se spontè recipientes, illustrem principem dominum Przemislaum ducem Teschinen', consanguineum nostrum carissimum, et nobiles, Conradum Kreyger ac Petrum de Wartenberg, dicti domini Regis et fratris nostri consiliarios, ad contrahendum matrimonium, nostro nomine atque vice, per verba de præsenti, cum serenissimo principe domino Ricardo Rege Angliæ dumtaxat;

Et ad faciendum omnia et singula in hujusmodi contractu, quomodolibet oportuna, etiam si mandatum exigant speciale, et quæ nos facere possemus si personaliter adessemus;

Promittentes, bonâ fide et absque dolo, ratum et gratum tenere et inviolabiliter observare, quicquid per dictos procuratores et speciales nuncios nostros, in contractu dicti matrimonii, actum, factum fuerit quomodolibet, sive gestum.

Et, quia proprio sigillo nondum uti consuevimus, præmissa omnia sub majestatis sigillo prædicti domini et fratris nostri Romanorum et Boæmiæ Regis, et in præsentiâ venerabilium patrum, dominorum Johannis Pragen' archiepiscopi, et Conradi Lubicen' episcopi ecclesiarum: illustrium principum, domini Henrici ducis Slesiæ et domini Bregensis, domini Procopii, marchionis Moraviæ, consanguineorum; dilectorum nostrorum et nobilium, Andreæ et Henrici de Duba, Thymonis de Colditz, Bothonis de Craztolowitz, et Benessii de Duba, volumus et rogavimus roborari:

Et nos, Wenceslaus, Romanorum et Boæmiæ Rex prædictus, publicè profitemur, nos, ad petitionis instantiam serenissimæ principis dominæ Annæ prædictæ, sororis nostræ præcarissimæ, Majestatis nostræ sigillum præsentibus appendisse.

Datum in castro Burgelehens', anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, x. kalendarum Februarii.

Wenceslaus, Dei gratiâ, Romanorum Rex, semper augustus, et Boæmiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis quod, de illustris Przimislai ducis Teschinen', principis et sororii nostri carissimi, ac etiam nobilium, Chunradi de Kreiger, magistri curiæ nostræ, et Petri de Wartemberg, consiliariorum et fidelium nostrorum dilectorum, legalitatis, virtutis, et probatæ circumspectionis industriis, plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, ipsos, animo deliberato, de certâ nostrâ scientiâ, et sano principum, baronum, et procerum nostrorum accedente consilio, nostro et illustris Annæ sororis nostræ carissimæ nominibus, creavimus, constituimus, fecimus, creamus, facimus, constituimus, et meliori modo et formâ quibus fieri potest, præsentibus ordinamus nostros et ejusdem sororis nostræ ambaxiatores, procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales;

Dantes et concedentes eisdem plenam, liberam, et omnimodam potestatem tractandi, nostro et ejusdem sororis nostræ nominibus, cum serenissimo principe domino Richardo Angliæ Rege, fratre nostro carissimo, ipsius ambaxiatoribus et concilio, suo nomine, plenum ab eo mandatum habentibus, in, de, et super sponsaliorum ac parentelæ contractibus, inter præfatam sororem nostram et prædictum dominum Regem Angliæ, ad requisitiones sanctissimi in Christo patris, domini nostri Urbani, Papæ sexti, conceptis aliâs, et nomine sororis ejusdem nostræ, cum eodem domino Anglorum Rege contrahendi matrimonium per verba de præsenti;

Nosque pro dotalitiis ejusdem nostræ sororis et aliis obligandi, et in animam nostram jurandi;

Ac etiam nostris nominibus à dicto domino Rege Angliæ juramenta recipiendi de et super servando præmissa;

Et nominibus nostris eundem dominum Regem Angliæ, super receptis quibuslibet forsitan ab eodem, quittandi, liberandi, ac etiam absolvendi;

Necnon de consilio et in præsentiâ reverendissimi in Christo patris, domini P. cardinalis Ravennas, à prædicto domino nostro Summo Pontifice et ipsius nomine ad hoc specialiter deputati, pro præmissorum et eorum quolibet, consummatione et conservatione, universa et singula tractandi, faciendi, ordinandi, et disponendi, et concludendi, quæ in eis necessaria fuerint seu quolibet oportuna, et quæ nos ipsi tractare, ordinare, disponere possemus et concludere, si personaliter adessemus, etiam si mandatum exigant speciale;

Promittentes nichilominus, nostro et præfatæ nostræ sororis nominibus, ratum, gratum, atque firmum observare perpetuò quicquid per præfatos, sororium et consiliarios nostros, ducem Teschinen', Chunradum de Kreyger et Petrum de Wartemberg', actum, factum, ordinatum, dispositum, conclusum, sive gestum fuerit in præmissis, præsentium, sub regiæ Majestatis nostræ sigillo, testimonio litterarum.

Datum Neuremberg, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quartâ, kalend' Februarii, regnorum nostrorum anno Boemiæ xviii°, Romanorum verò quinto.

Elizabeth, divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperatrix, semper augusta, et Boemiæ Regina, recognoscimus, tenore præsentium, universis quod, de circumspectionis et legalitatis industriâ illustris principis domini Przimislai ducis Teschinen', consanguinei nostri karissimi, ac nobilium, Conradi Creyar, serenissimi principis domini Wenzeslai Regis Romanorum et Boemiæ, filii nostri carissimi, curiæ magistri, et Petri de Wartemberk aliàs de Kost, dicti filii nostri cameræ magistri, plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, animo deliberato, et de certâ nostrâ scientiâ, in præsentiâ nobilium, Sdenkoms deWaldensteyn, magistri curiæ nostræ, Hermani de Kussuyk, purgravii nostri Groten', et honorabilis Martini canonici Olomucen', thesaurarii nostri;

Dicto domino duci et nobilibus præfatis plenam, liberam, et omnimodam dedimus et damus præsentibus, facultatem, de et super parentelâ inter serenissimum principem, dominum Ricardum Regem Angliæ, et excellentem virginem, domicellam Annam natam nostram, nostro nomine, tractandi, ordinandi, disponendi, et in animam nostram jurandi;

Et quicquid per dictos ducem et nobiles in Christo, parentelæ negotio pro hac vice, tractatum, ordinatum, dispositum, et qualiter juratum in animam nostram fuerit, hoc ipsum ratum, gratum et firmum habere, tenere, et inviolabiliter observare volumus, promittimus, et debemus, præsentium sub appenso nostro sigillo testimonio litterarum.

Datum Prage, die penultimâ mensis Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo.

Ricardus, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Inter gloriosas reipublicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, æstimamus præcipuum aliorum principum et Regum sublimium sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum, affinitatum, et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc indè amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt se tueri.

Quod, dùm intra mentis nostræ præcordia diligentiùs tractaremus, cum serenissimo fratre nostro domino Wencelao, Dei gratiâ, Romanorum et Bohæmiæ Rege illustrissimo, et, divinâ favente clementiâ, Imperatore futuro, nedùm hujusmodi amoris fœdera stringere, set affinitatem et parentelam contrahere, ligasque firmas, speciales, et perpetuas, præcæteris, optabamus inire.

Undè, cùm certi super hoc ambassatores nostri celsitudini suæ per nos primitùs mitterentur, placuit modo eidem serenissimo fratri nostro, pro voluntate et desiderio nostris adimplendis, solempnes ambassatores et consiliarios suos, illustrem Prezimlaum ducem Teschinen', Conradum Kreyger, magistrum curiæ, et Petrum deVortenberg, magistrum cameræ, et burgravium Prag', dicti fratris nostri, nedùm pro ligis et amicitiis hujusmodi appunctuandis, set pro tractatu matrimonii, inter nos et serenissimam dominam, dominam Annam, ipsius fratris nostri sororem inclitam, prælocuti, feliciter, Dei gratiâ, concludendo, in regnum nostrum, ad nostram præsentiam, destinare:

Nos, volentes ulterius procedere in præmissis, ac de circumspectione et legalitate dilectorum et fidelium nostrorum, Edmundi comitis Cantebrigiæ, patrui nostri carissimi, Hugonis Segrave, senescalli hospitii nostri, et Albredi de Veer, camerarii nostri, militum, pleniùs confidentes;

Ad tractandum, ordinandum, et concordandum, cum ambassatoribus, procuratoribus, nunciis, seu deputatis prædicti fratris nostri, potestatem ad infrascripta habentibus, super ligis, confœderationibus, et amicitiis fraternalibus et specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter eundem fratrem nostrum, subditos suos, regna et dominia sua quæcumque, ex unâ, et nos, subditos nostros, ac regna et dominia nostra quæcumque, ex parte alterâ, ineundis; ac etiam de modo, formâ, quantitate, et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc inde, tempore necessitatis, mutuò ministrandi; et communicationibus, inter subditos, hinc inde, in mercimoniis et aliis licitis, securè et fraternaliter faciendis; necnon super sponsalibus seu matrimoniis, inter nos et serenissimam Annam supradictam feliciter, per Dei gratiam, contrahendis, et de quantitate et qualitate dotis eidem assignandæ, seu arris in hâc parte constituendis, ac etiam quomodo et quando prædicta domina, per parentes et amicos suos, nobis transmitti, et in domum nostram regiam traduci debeat, ordinandum et disponendum;

Necnon ea, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, tam super ligis quam super contractu matrimonii prædictis, omni securitate honestâ et debitâ nomine nostro firmandi;

Consimilemque securitatem pro nobis, et nomine nostro, petendi, stipulandi, et recipiendi;

Jurandique in animam nostram quod tractata, conventa, et concordata hujusmodi rata habebimus atque grata;

Cæteraque omnia et singula faciendi, excercendi, et expediendi quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura negotiorum hujusmodi exigunt et requirunt, et quæ nos faceremus, seu facere possemus, si personaliter præsentes essemus, etiam si talia sint quæ mandatum exigunt quantumcumque speciale;

Prædictos, Edmundum, Hugonem, et Albredum, et duos eorumdem, nostros, veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales, facimus, ordinamus, et constituimus;

Per præsentes promittentes, in verbo regio, nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid per procuratores nostros prædictos, ac duos eorumdem, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xxix. die mensis Martii, anno regni nostri quarto.

IN quorum omnium et singulorum testimonium atque fidem nos, Przimislaus, Conradus, et Petrus, prædicti Romanorum et Boemiæ Regis, ac Edmundus, Hugo, et Albredus, præfati Angliæ et Franciæ Regis, commissarii seu procuratores supradicti, præsentes litteras duplicatas, quarum una penes ipsum Romanorum et Boæmiæ Regem, altera verò penes Regem Angliæ et Franciæ supradictum remanebit, scribi et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri.

Dat' London', in palatio regio Westm', ii. die Maii, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo.

QUASQUIDEM ligas, confœderationes, et amicitias, ac omnia et singula contenta in eisdem, nos, Ricardus, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ supradictus, auctoritate nostrâ regiâ, confirmamus, approbamus et ratificamus, ipsasque in omnibus et singulis suis articulis, ex certâ nostrâ scientiâ, de novo facimus, contrahimus et inimus, ac easdem, absque dolo et fraude, inviolabiliter tenere et observare, tenerique et observari facere, quantum ad partem nostram attinet, promittimus bonâ fide, defectum si quis in procuratorio partis nostræ seu aliundè fuerit in præmissis, ex certâ scientiâ, regiâ auctoritate supplentes.

In quorum omnium testimonium atque fidem has litteras nostras fieri, et Majestatis nostræ sigillo magno fecimus communiri.

Dat' in palatio nostro Westm', xvi. die Maii, anno regni nostri quarto.

De potestate tractandi cum adversario de Francia, et concedendi nunciis dicti adversarii literas de conductu.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

LE Roy, a noz chers et foials, Johan sire de Cobham, Johan de Devereux capitein de nostre ville de Caleys, Robert de Asheton conestable de nostre chastel de Dovorre. mestre Johan Shepeye dean de esglise de Nichole, Brian de Stapilton capitain de nostre chastel de Gynes, et Richard Stury chivaler de nostre chambre, saluz.

Savoir vos faisons que, pur honour et reverence de Dieu et de seint eglise, et pur le bien de paix, de l'assent des prelatz, nobles, et autres grantz et sages de nostre roialme d'Engleterre, et parmy la confiance, quel nous avons de voz sens, discrecions, loialtez, et avisementz, vous avons ordeinez, deputez, commis, et establiz, ordenons, deputons, commettons, et establions, de nostre certeine science, par le teneure de ces presentes lettres, noz vrais procureurs et messages especialx;

Donantz et commettantz a vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, si vous touz ne purrez a ce entendre, pleine auctorite, poissance, et mandement especial et general, d'assembler, convenir, traiter, composer, transiger, pacifier, et pleinement accorder, sur touz les debatz, contencions, questions, guerres, riotes, et descortz, meuz et demesnez, ou a mover et demesner parentre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz queconqes, decea et dela la mier, d'une part, et nostre adversaire de France, et autres persones de son sank, ses subgitz, amys, alliez, eidantz, adherentz quelconqes, en general ou en especial, lour procureurs et messages, d'autre part;

Et ensement de treiter, ordener, et accorder, ovesque nostre dit adversaire, ou ses procurers, sur alliances, confederacies, et amities, par quelconque voie soit, en general ou en especial, come vous semblera bon;

Et, sur quanque serra ensi parle, traite, compose, transige, pacifie, et accorde, des touz les choses et articles susditz et chescun de eux, pur nous et nostre partie, ovesque ceux de la partie adverse, de la fermer et asseurer par foy et par serement, a doner en l'alme de nous;

Et de ottroier et doner sur ce, et les dependences, touz maners des caucions, seurtees, promesses, obligacions, et lettres seallez, tantz et tieux come mester serra en tieu cas, les queux nous voillons avoir tiel effect, vigeur, et fermetee come si nous les eussons done et faite en nostre propre persone;

Et de faire, executer, expedier, et accomplier, pur nous et nostre partie, tout quanque a faire serra en tieu cas, et les dependences, et quanque nous ferrons meismes si nostre propre persone y fuisse presente, suppose que plus especial mandement ent serroit requis;

Et promettons, loialment et en bone foy, avoir et tenir, touz jours, fermez et agreable quanque fait serra, sur touz et chescune des choses avantditz, sur caucion et obligacion de touz noz biens, presens et a venir, sanz jammais faire, dire, ne purposer, en judgement ne dehors, ascune chose a l'encontre:

Et au fin que ceste bosoigne se purra, par la grace de Dieux, mieuz prendre effect et bon esploit, confiantz autre si de voz sens, loialte, et bone discrecions, donons et commettons a vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, auctorite et poair especiale de faire et doner, en noun de nous, a chescune persone, que vendra de part nostre dit adversaire de France, ou par sa partie, ou par aucun autre, devers vous, par cause de l'esploit de traite avantdite, ou par aucune autre enchescon queconqe, voz lettres de sauf et seure conduyt et sauf gard, souz voz sealx, par touz noz seignuries et poairs, si bien par terre come par meer, sanz merk prendre ou reprisail ou autre grevance queconque, tantz, et tieux, et si sufficiantz, et par si long temps a durer, come bone vous semblera ou mestre serra.

Et promettons, loialment et en bone foy, pur nous et noz heirs, avoir et tenir ferme et agreable quanque par vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, ent fait serra en la forme avantdite.

Don' a nostre paleys de Westm', le xx. jour de May, l'an de Grace mille troiscentz oetant et primer, et de nostre regne quart.

Par le Roy et son conseil.

LE Roy, *&c. usque ibi*, et mandement especial et general, *et tunc sic*, de prendre et accorder en noun de nous, touz maners de trieues et abstinences de guerres, entre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentes queconqes, tant par terre come par meer, et nostre dit adversaire de France, et autres persones de son sank, ses subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentes queconqes, par manere, forme, et condicion, et par si long temps a durer come mestier serra ou bon vous semblera; et sur quanque serra ensi parle et accorde, pur nous et nostre parte, ovesque ceux de la partie adverse, de la fermer et asseurer, par foy et serement, *&c. usque*, ascune chose a l'encontre.

Don, ut supra.

Par le Roi et son conseil.

De indenturâ principis Walliæ super financiâ Bertrami de Guesclyn, in conflictu de Nazarre capti.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Ex. Orig. in Turr. Lond.

RICHARD, par la grace de Dieu, Roi d'Engleterre, et de France, et seigneur d'Irland, a nostre chamberlain de South Gales qui ore est, et qi pur le temps serra, saluz.

Come, nostre trescher seigneur et piere, qi Dieux assoille, par les lettres patentes endentees, faites le vyntisme jour de Juyll, l'an du regne du Roy Edward, nostre aiel d'Engleterre, quarrante quint, feusse tenuz a Thomas Cheyne chivalier, en mill quatre centz quatrevyntz et troys livres sys soldz et sys deniers, pur la fynance de Bertram de Guesclyn chivaler, pris en la bataille de Nazare;

Veullant nostre dit piere que paiement se ferroit au dit Thomas, ou a ses executeurs, ou assignez, par les mains du chamberlain de South Gales qi pur le temps serroit, en la forme que s'ensuit; c'est assavoir,

A la fest de Seint Michel, lors prochein venant, de deux cent marcz;

Et a la fest de Pasche, adonques prochein ensuant, de cent marcs;

Et ensi, d'an en an, deux centz marcz, a mesmes les termes, par oveles portions, tanque mesme celi Thomas, ses executeurs, ou assignez, serroient perpaiez des ditz milles quatre centz quatrevyntz et trois livres sys soldz et sys deniers, non obstant aucun assignment par nostre piere fait a aucune persone en temps lors passez;

Et nous, le vingtisme jour de Feverer, l'an du regne du dit Roy Edward, nostre ayel, cynquant primer, quant nous estoiens prince, et puis, le vyngt et second jour de Marcz, l'an de nostre regne primer, eons par noz lettres patentes confirmez le grant de nostre dit piere, sicome en mesmes noz lettres est contenuz plus au plein;

Et ja soit ensi que le dit Thomas est a Dieu commandez, et ad assignez noz bien amez, Johan Cheyne et William Cheyne, ses freres, et Richard parsone de eglise de Farnbergh, ses executeurs, de faire administration selonc sa darreine volente;

Volons, de lassent de nostre conseil, et vous mandons, que ce q'est arrere au dit Thomas, sibien du temps de nostre dit piere, come de

nous, de milles quatre centz quatrevyntz et troys livres sys soldz et sys deniers susdiz, tanque a le fest de Pasque darrein passez, et pur mesme la fest, et deux centz marcz par an de la dite feste de Pasque, as termes de Seint Michel et de Pasque, par oveles porcions, tanque les ditz milles quatre centz quatrevyntz et troys livres sys soldz et sys deniers soyent perpayez, facez prestement paier as ditz executeurs, ou a un de eux, ou a leur attourns, selonc le purport des lettres susdites, non obstant aucun autre assignement fait, come est dit; receivant des diz executeurs, ou d'un de eux, lettres d'acquitance pur nous, ou suffisantes de ce que ensi payerez; par queles et par cestes nous volons que vous eueiez due allouance en voz acontez.

Don', souz nostre prive seal a Westm', le .xxviii. jour de May, l'an de nostre regne quart.

Pro nunciis Franciæ, de conductu.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz noz lieutenantz, &c. salut. Come a l'oneur de DIEU, Faiseur de tout paix, et pur eschuer l'effusion de sanc humaine, nous avons graunt affection au bien de la paix estre entre nous et nostre adversaire de France, et pour ce nous soions assentuz au traictie d'ycelle;

Et pur ce que l'evesque de Baieux, Enguerrant seigneur de Coucy, Raoul seigneur Ravenall, Regnault des Dormans arcedeacen de Chalons, le seigneur de Sampy, Gilles de Galoys, et mestre Ynes Derian, messages et deputes de par nostre dit adversaire, doivent venir procheinement es parties du Picardie, sicome nous avons entendu, a cause du dit traictie;

Nous voulons pourvoier a la seurte d'eulx, lour *gentz, familiars*, chevaux, harnoys, et biens queconqes, avons pris, mis et receu, prenons, mettons, et recevons, les dessusdiz messages et chescun d'eux, avecques lour genz, familiers, chivalers, escuiers, clers, varlez, chevaux, hernoys, et autres biens queconqes en nostre sauf et seur conduit, protection, tuition, sauvegarde, et deffense especiaux, et venant, alant, et passant par nostre roiaume es parties de Picardie, et ailleurs, ou mestre serra pur le dit traitie, et la demourant, sojournant, et eulx retournant vers les parties de France, par terre et par meer, touz ensemble ou par parties, sicome il leur plerra, jusques au nombre de deux centz persones a chival ou a pie, et ainsi soient come ils vouldront et a faire serra, par quatre moys prochein venant apres la date de ces presentes;

Et pour ceo nous mandons, *&c. prout in consimilibus de conductu literis.*

Donne par *tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paloys de* Westm', le xxx. jour de May.

Par le Roi et conseil.

Memoranda super deliberatione magni sigilli.

A.D. 1381. An. 4 Ric. II.

Claus. 4 Ric. II. m. 35. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod, bonæ memoriæ, Simon, nuper Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas et cancellarius Angliæ, in præsentiâ quorumdam magnatum, militum, et aliorum de familiâ regiâ, die Mercurii, in vigiliâ Corporis Christi, anno regni Regis Ricardi secundi quarto, in quâdam camerâ infra Turrim Londoniæ, magnum sigillum dicti domini Regis eidem domino Regi, quibusdam certis de causis, sursum reddidit et liberavit:

Postmodumque, die Veneris tunc proximò sequenti, præfatus dominus Rex, apud garderobam suam in civitate Londoniæ, sigillum illud Ricardo comiti Arundellæ liberavit, pro quodam certo tempore custodiendum:

Qui quidem comes bursam, in quâ sigillum prædictum continebatur, aperire, et literas patentes, cartas, et brevia cum eodem sigillo consignari fecit; eodem sigillo, in custodiâ prædicti comitis, usque diem Dominicam, tunc proximò sequentem, continuè remanente:

Dictusque comes, eâdem die Dominicâ, prædictum sigillum, in bursâ prædictâ sigillo suo signatâ, contentum, præfato domino Regi, apud garderobam prædictam, reliberavit:

Quâ quidem die Dominicâ idem dominus Rex Hugonem Segrave, tunc senescallum hospitii sui, custodem sigilli prædicti constituit, et illud sibi tradidit, custodiendum quousque dictus dominus Rex posset sibi cancellarium commodiùs providere:

Qui quidem Hugo sigillum illud extunc custodivit, et cum eodem cartas, literas patentes, et brevia consignari fecit, usque diem Sabbati, in festo Sancti Laurentii tunc proximò sequentis:

Quo die præfatus Hugo, in præsentiâ quorumdam prælatorum, magnatum, et aliorum, in quâdam camerâ, in abbatiâ de Redyng, sigillum prædictum, bursâ prædictâ, signeto ipsius Hugonis signatâ, inclusum, præfato domino Regi sursum reddidit et liberavit.

MEMORANDUM etiam quod, eodem die Sabbati, post horam nonam, præfatus dominus Rex, in præsentiâ Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, certorum episcoporum, comitum, baronum, et aliorum, in quâdam camerâ concilii, infra abbatiam prædictam, præfecit et constituit venerabilem patrem, Willielmum episcopum Londoniæ, cancellarium Angliæ; et, capto ibidem, in præsentiâ prædictorum, sacramento ipsius episcopi, de officio cancellarii bene et fideliter faciendo, sigillum prædictum, dictâ bursâ, signeto prædicto signatâ, inclusum, eidem liberavit et tradidit:

Quodque prædictus episcopus, die Dominicâ proximò sequente, in domo capitulari abbatiæ prædictæ, circa horam primam, bursam prædictam aperire, et cartas, literas patentes, et brevia cum sigillo prædicto consignari fecit, ut est moris.

De curiâ adjornatâ, propter insurrectionem, sub conductu Jack Straw et Wat Tyler.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Claus. 4 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Roberto Bealknap et sociis suis de banco, salutem.

Quia, tam propter inauditas et horribiles commotiones et insurrectiones populi regni nostri Angliæ quam pro periculis ex hostium nostrorum incursibus evitandis, ac aliis causis quampluribus, de avisamento concilii nostri, duximus ordinandum quod omnia et singula placita, coram vobis, in eodem banco pendentia, hinc ad octabas Sancti Michaelis proximò futuras, placitanda, usque ad easdem octabas in eodem statu, quo nunc sunt, continuantur ex causis supradictis:

Et ideò vobis mandamus quod omnia et singula placita, coram vobis, in eodem banco, de octabis quindenarum Sanctæ Trinitatis, et de crastino, octabis, et quindenis Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, proximò futuris, placitanda, usque ad dictas octabas Sancti Michaelis, in eodem statu, quo nunc sunt, vel esse deberent, si brevia, dicta placita tangentia, coram vobis in eodem banco fuissent retornata, adjornetis, et partibus, dicta negotia sic prosequentibus, easdem octabas Sancti Michaelis præfigatis;

Mandavimus enim singulis vicecomitibus regni nostri Angliæ, quod omnia brevia, originalia et judicialia, ac alia retorna quæcumque, hinc, ad easdem octabas Sancti Michaelis, per ipsos coram vobis retornanda, penes ipsos singillatim, usque ad easdem octabas Sancti Michaelis retineant, et tunc ea retornent.

Et volumus quod vos, ex ipsis brevibus, tunc retornandis, talem processum coram vobis in eodem banco faciatis, qualem fecissetis si dies, in dictis brevibus contenti, absque discontinuatione aut dilatione tenerentur.

Teste Rege, apud Londoniam, xv. die Junii.

Per ipsum Regem.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Quia, tam propter inauditas et horribiles commotiones et insurrectiones populi regni nostri Angliæ, quam pro periculis ex hostium nostrorum incursibus evitandis, ac aliis causis quampluribus, de avisamento concilii nostri, duximus ordinandum quod omnia placita, tam coram nobis quam in communi banco pendentia, hinc ad octabas Sancti Michaelis proximò futuras, placitanda, usque ad easdem octabas in eodem statu, quo nunc sunt, continuantur ex causis supradictis;

Tibi præcipimus quod omnia brevia, tam originalia quam judicialia, ac alia retorna quæcumque, hinc ad easdem octabas per te, coram nobis, seu in banco prædicto, retornanda, penes te, usque ad easdem octabas, retineas, et tunc ea retornes;

Præcipimus tibi nichilominus quod debitam executionem omnium brevium nostrorum, scaccarium nostrum tangentium, juxta tenorem eorumdem, fieri facias;

Et etiam proclamari infra comitatum prædictum quod omnes illi, qui habent diem in eodem scaccario, per rotulum, seu per breve, ad computandum, seu ad alia faciendum ibidem, ad dies sibi datos, ad faciendum ea quæ sibi pertinent in hac parte.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam.

REX, carissimo avunculo nostro, Johanni Regi Castellæ et Legionis duci Lancastriæ, salutem.

Quia, *&c. ut supra usque ibi*, ex causis supradictis, *et tunc sic;*

Vobis mandamus quod omnia brevia et mandata, vobis, cancellario, justiciario, vicecomitibus, aut aliis ministris vestris quibuscumque, infra comitatum vestrum Lancastriæ, directa, hinc ad easdem octabas, per vos, cancellarium, justiciarium, vicecomitem, aut alios ministros vestros prædictos, coram nobis seu in banco prædicto retornanda, penes vos, aut eosdem ministros vestros, usque ad octabas prædictas retineri, et tunc ea retornari faciatis.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem.

Pro filio comitis de Denia.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Franc. 4 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes usque ad festum Sancti Michaelis proximò futurum duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suas speciales, Alfonsum filium comitis de Deen, prisonarium Johannis Shakel, veniendo in regnum Angliæ, per dominia et potestatem Regis, tam per terram quam per mare, cum tribus vel quatuor equitibus in comitivâ suâ, ibidem morando, et exindè ad partes proprias redeundo.

Teste Rege, apud London', xviii. die Junii.

Per ipsum Regem.

Indentura treugarum Scotiæ.

A. D. 1381. An. 4 Ric. II.

Rot. Scot. 4 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

HÆC indentura, facta apud Abchestre juxta Ayton, decimo octavo die mensis Junii, anno Domini millesimo trescentesimo octogesimo primo, inter inclitos principes et dominos, dominum ducem Lancastriæ, locum tenentem in partibus Angliæ versus marchias Scotiæ, ac commissarium specialem, serenissimi principis, domini Richardi, DEI gratiâ, Regis Angliæ illustris, ab unâ, et dominum Johannem comitem de Carryk, primogenitum, ac locum tenentem, et commissarium specialem, serenissimi principis, domini Roberti, DEI gratiâ, Regis Scotorum illustris, à parte aliâ, testatur quod, cum ipsi convenissent, apud Ayton, die Mercurii ultimò præterito, videlicet, duodecimo die præsentis mensis Junii, cum continuatione dierum sequentium, usque in præsens, pro habendâ cognitione, primitùs, et ante omnia, modo debito et honesto, an magnæ treugæ, aliàs initæ inter regna, fractæ fuerint, et culpâ cujus, vel non, prout aliàs, apud Berewicum, primo die mensis Novembris ultimò præterito, in tractatu fuerit inchoatum, et postmodùm, per literas clausas Regum Angliæ et Scotiæ, concordatum;

Et, cùm à parte Angliæ, per partem Scotiæ, pluribus præfatorum dierum dictæ continuationis à dicto die Mercurii citra, peteretur instantiùs adimpletio præfatæ cognitionis, dicendo se paratam adimplere eandem modis debitis, quatinus tangebat ipsam partem Angliæ, quamvis assereret se paratam adimplere dictam cognitionem, juxta tractatum præhabitum, rogabat tamen partem Scotiæ, quam, ut dixit, credebat super hoc avisatam, quod exprimeret sibi articulos, quibus innitebatur, per quos reputabat treugas fractas; et modum habendæ dictæ cognitionis, quem pars Scotiæ æstimabat debitum et honestum:

Ad quod respondit pars Scotiæ, quoad primum, quod ubi, in indenturâ treugarum, conceditur quod omnes gentes et subditi Regis Scotiæ intercommunicabunt, conversabuntur, et mercandisabunt cum omnibus gentibus et subditis Regis Angliæ, liberè, pacificè, sine arestâ vel alio impedimento, ita amicabiliter sicut deberet fieri tempore bonæ pacis, et sine ostensione literarum de salvo conductu, contra istam concessionem denegata est communio, subditi Regis Scotiæ trucidati, capti, et deprædati, et dicta denegatio communionis fuit proclamata in Anglia, et, quamvis ista essent intimata sæpiùs commissariis Angliæ in marchiis, quandoque Regi Angliæ, ad finem ut cessaret ab hujusmodi impedimento, et ut servarentur treugæ quoad communionem, nunquam tamen fuit secuta aliqua emenda, set denegatio communionis magis obstinatè, sine causâ sufficienti, et injustissimè observata:

Hanc causam proposuit pars Scotiæ tanquam sufficientem, etiam si sola esset, cum protestatione adjungendi plures, cùm super modo cognoscendi fuerit concordatum:

Quoad secundum, dicunt quod modus cognoscendi, debitus et honestus, est per utriusque regni pares numero et gradu statûs, electos et juratos, ita quod, secundum magnitudinem articuli super quo habenda est cognitio, pares, quoad statum, eligantur majores vel minores, set quo ad numerum semper sint æquales; nam in controversiis inter regna qualibuscumque iste modus est solitus et consonus æquitati, et non dissonus juri communi:

Pars vero Angliæ asseruit treugas prædictas non esse suâ culpâ violatas seu ruptas, offerens se paratam ad reformandum et reformari faciendum, si quæ per eos fuerint in contrarium attemptata; dumtamen consimiliter sibi fiat:

Et videbatur parti Anglicorum quod via cognitionis, oblata per partem Scotiæ, non fuit rationabilis, debita, nec honesta, nec in illam consentirent;

Primo, quia nec usitata nec consueta in tam altâ quæstione, et propterea, cùm non sit juri consona, set contra juris ordinem, in suis casibus introducta, ad consequentiam trahi non debet;

Secundo, quia quæstio hujusmodi concernit honorem et vituperium Regis Angliæ, et sic eam terminari per ipsius ligeos et subditos non esset conveniens aut consonum rationi.

Et subsequenter dicta pars Angliæ offerebat quod eligeretur, de consensu utriusque partis, unus princeps catholicus, neutri parti suspectus, qui posset super quæstione hujusmodi cognoscere et eam fine debito terminare, absque præjudicio unius regni vel alterius in aliis; cujus principis determinationi dicta pars Angliæ in omnibus vellet stare:

Illa itaque via sibi videbatur rationabilis et honesta;

Primo, quoniam, ex quo Reges Angliæ et Scotiæ non habent ipsis superiorem, qui posset quæstionem hujusmodi terminare, justum est et æquum quod in alium compromittant;

Secundo, cùm intentio partis Angliæ, per indenturas, literas, ac alias evidentias, ibidem exhibitas, fuit sufficienter fundata, et lucidè declarata, ut videbatur eisdem, rationabile est hujusmodi quæstionem coram arbitro indifferenti tractare, et contra rationem est committere rem fortunæ;

Tertio, consona est juri divino et humano, et quasi communiter, ut dicit, in omnibus mundi partibus usitata.

Pars verò Scotiæ hunc modum cognoscendi dicebat non esse congruum vel honestum, quia vix vel non inveniretur Rex vel princeps, gratus uni parti, quin esset suspectus alteri parti: et distantia locorum et difficultas trahendi exteros ad subeundum onera eis inutilia, potius forent impedimento quam promotioni expediendæ cognitionis: et forsan ille modus traheretur in exemplum, in posterum, in similibus casibus, per quod posset Rex ille clamare sibi jus esse superioritatis super regna; quod parti Scotiæ, propter exilitatem potentiæ, debeat esse timori, quamvis pars Angliæ, confisa de magnitudine potentiæ, hoc vel hujusmodi timere non haberet: et iste modus est inauditus et insolitus, quia non est solitum extra regna seu confinia eorumdem, super querelis eorum mendicari ab exteris suffragia discussionis, consilii, vel terminationis, sed omnia, ut præfertur, suis subditis, paribus numero et gradu agere et implere; nec esset honestum regnis quod exteri intelligerent tantam debilitatem prudentiæ regnorum, quod eorum querelas suis nescirent consiliis discutere et terminare.

Tandem cùm super hoc modo, debito et honesto, cognitionis præfati articuli sic altercaretur inter partes, nec super hoc invicem concordarent, pro quiete populi utriusque regni, placuit præfatis dominis, et eorum conciliis, quod ab hinc, usque ad festum Sancti Andreæ Apostoli proximò futurum, prout est antea concordatum, et abinde, usque ad festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, extunc per biennium secuturum, videlicet, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, sit specialis securitas, habens vim et effectum quos habuerunt magnæ treugæ, aliàs initæ inter regna, et habent si non sint fractæ, tam per terram quam per mare, inter Reges et regna ac subditos utriusque Regis; ita quod, durante securitate prædictâ, nec castra, nec villæ, munitæ vel non munitæ, seu quævis loca, personæ, vel bona alia per partem unam vel alteram capiantur;

Quam quidem securitatem, præfati domini, dux et comes, unà cum custodibus marchiarum utriusque partis, promiserunt firmiter custodiendam, et sine dolo et fraude facere fideliter custodiri:

Et, si per subditos unius partis vel alterius, contra securitatem hujusmodi, quod absit, fuerit attemptatum, custodes marchiarum, de quorum parte fuerint hujusmodi attemptantes, infra mensem, a tempore requisitionis, in eâ parte, in formâ quæ sequitur faciendæ, dampnum passis plenam satisfactionem impendi facient, vel personas delinquentes custodi marchiarum partis adversæ, loco satisfactionis, liberabunt:

Et nichilominus, loco pœnæ, capitaneum, seu aliam personam delinquentium, in electione dicti custodis partis adversæ, prout ei rationabile visum fuerit, puniendum, liberare et tradere teneantur.

In attemptatis autem, concernentibus bundos comitis Marchiæ, fiat requisitio, pro parte Anglicorum apud Duns, pro parte Scotorum apud Berewycum;

In concernentibus bundos comitis de Douglas, fiat requisitio, pro parte Anglicorum apud Melros, pro parte Scotorum apud Roxesburgh;

Ubi verò bundi sui concernunt partes occidentales, fiat requisitio, Anglicorum ad domum Johannis filii Thomæ apud Ardkane, Scotorum verò requisitio fiat Anglicis ad prioratum de Canoniby;

In concernentibus bundos domini Archibaldi de Douglas, fiat requisitio, pro parte Anglicorum apud villam de Lochmaban, et pro parte illorum de Scotia apud castrum ibidem.

Item, concordatum est quod, ad majorem corroborationem et firmitatem præmissorum, uterque Rex hujusmodi securitatem, per literas eorum, sub magnis sigillis suis, hanc indenturam, de verbo ad verbum continentes, approbent et confirment, et Rex Angliæ literas suas hujusmodi ad monasterium de Melros, Rex verò Scotiæ suas literas ad monasterium de Kelshowe, citra festum Sancti Michaelis Archangeli proximò futurum, absque ulteriore dilatione, transmittant.

Item, concordatum est quod non liceat uni parti vel alteri, durante securitate prædictâ, subditis partis adversæ aliquas taxationes vel redemptiones imponere, seu ab eis exigere, eâ occasione vel causâ ut se abstineant à gravaminibus et vexationibus hujusmodi subditis inferendis.

Item, partibus prædictis, pro quiete subditorum utriusque regni, videbatur expediens, et consentierunt, quod unus dies marchiarum apud Lilliot Cross, absque multitudine et armis, per præfatos magnificos et inclitos dominos, ducem et comitem, aut, impedimento legitimo interveniente, per secundos majores regnorum post ipsos, sufficienti potestate suffultos, in octabas festi Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, videlicet, primo die Julii anno Domini milesimo tricentesimo octogesimo tertio, cum continuatione dierum sequentium, prout opus fuerit, teneatur, ad habendum cognitionem primitùs et ante omnia de supradicto articulo, an magnæ treugæ, aliàs initæ inter regna, fractæ fuerint, et culpâ cujus, vel non?

Per modum cognoscendi, qui interim inter Reges et eorum concilia videbitur debitus, vel saltem per modum, qui tunc per commissarios et eorum concilia reputabitur debitus, vel justè debebit reputari, nisi interim per tractatum, habendum inter partes, melius evenerit ordinatum;

Et ad tunc ibi tractandum pro quiete utriusque regni ulterius, prout inter partes poterit concordari.

In quorum omnium testimonium atque fidem parti hujus indenturæ, penes partem Angliæ remanenti, præfatus dominus comes de Carryk sigillum suum, alteri verò parti, penes partem Scotiæ remanenti, præfatus dominus dux sigillum suum alternatim apposuerunt.

Dat' apud Abchestre, anno, mense, die, et loco supradictis.

Quod redemptio David, nuper Regis Scotorum, non exigatur per certum tempus.

A. D. 1381.
An. 4 Ric. II.

Rot. Scot.
4 Ric. II. m. 4.
in Turr. Lond.

JOHANNES, DEI gratiâ, Rex Castellæ et Legionis, dux Lancastriæ, locum tenens in partibus Angliæ versus marchias Scotiæ, ac commissarius specialis, serenissimi principis, domini Ricardi Regis Angliæ illustris, universis ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem.

Noverit universitas vestra quod, cum inter regna Angliæ et Scotiæ concordata sit securitas, usque ad festum Purificationis futurum anno Domini milesimo trecentesimo octuagesimo tertio;

Nos, de avisamento concilii nostri, concessimus, et per præsentes concedimus, quod, ab hinc usque ad festum Purificationis prædictum, nulla fiet petitio, calumpnia, vel exactio redemptionis quondam domini David, Regis Scotorum illustris, per partem Angliæ, ab aliquibus de Scotia, nec, ex illa causâ, per aliquem vel aliquam partis Angliæ, fiet interim, alicui de parte Scotiæ, alicubi molestia in personâ vel in rebus.

In cujus rei testimonium sigillum nostrum privatum præsentibus est appensum.

Dat' apud Abchestre, xix. die mensis Junii, anno Domini milesimo trecentesimo octogesimo primo.

De prorogatione alligantiarum cum Rege Navarræ.

A. D. 1381.
An. 4 Ric. II.

Rot. Franc.
4 Ric. II. m. 1.
in Turr. Lond.

RICHARD, &c. saluz. Savoir fasons que, pur ce que nous ne poens au present entendre a la prorogacion des alliances, autre foitz faites parentre noz procurours d'une part et les procurours du tresnoble prince Charles Roy de Navarre de l'autre, aiantz de nous et d'icelly Roi de ce faire plein poair, la restitucion des ville et chastel de Chereburgh, que nous tenons et devons tener par l'espace de trois ans complis, a l'aide de nostre guerre, solonc la fourme et tenur des dites alliances, avons par certeins causes, qui ad ce faire nous meuvent, prorogez et deferrez, jesqis a nostre premer parlement, qi procheinement se ferra en nostre roialme d'Engleterre;

Vuillantz et promettantz que, non obstant que les dites ville et chastell de Chereburgh demorront en nostre main, souz nostre garde, oultre et pluis du dit terme de trois ans, nientmeins les obligacions, serementz, et promesses, tant par noz ditz procurours, come par noz treschers et tresamez, uncles, contes, et autres barons de nostre dit roialme d'Engleterre, sur la restitucion d'iceulx ville et chastel faites, demeurent en lour vertu, et que ycelx chastel et ville soions tenuz rendir et restituir au dit Roy de Navarre, par la manere que en les dites alliances est contenu, toutez et quantes foitz ils vouldra ravoir et receivoir de nous;

Si, toutes voies, autres traicte ou acorde ne se soient de novel entre nous et le dit nostre cosyn, parmy les quelles les ditz ville et chastel devient estre et demorer en nostre garde par plus long temps.

En tesmoignance de quele chose a cestes noz presentes lettres nous avons fait metre nostre grant seal.

Don' a Londres le xx. jour de Juyn.

Per ipsum Regem et concilium.

Super insurrectione plebis antedictâ, de excessibus perpetratis, et auctoritate Regis prætensâ.

A. D. 1381.
An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II.
p. 1. m. 35. d.
in Turr. Lond.

REX, majori, ballivis, civibus, probis hominibus, ac toti communitati civitatis suæ Eborum, salutem.

Satis vobis et aliis ligeis nostris credimus esse cognitum, qualiter quamplures malefactores, jam noviter, contra pacem nostram, in diversis comitatibus regni nostri Angliæ, in maximam turbationem fidelium ligeorum nostrorum, in diversis congregationibus et conventiculis illicitis, et quasi hostiliter insurrexerunt;

Venerabilem patrem, Simonem nuper Cantuariensem archiepiscopum, totius Angliæ primatem, cancellarium nostrum, et fratrem Robertum de Hales, nuper priorem hospitalis Sancti Johannis Jerusalem in Anglia, thesaurarium nostrum, Johannem Cavendish, nuper capitalem justiciarium nostrum, ac quamplures alios ligeos servientes et fideles nostros, absque culpâ, crudeliter occidendo, homicidia, incendia, prostrationes et varias alias destructiones ecclesiarum, maneriorum, domorum, rerum, et aliarum possessionum fidelium ligeorum nostrorum, enormitèr et perperàm perpetrando;

Quia verò malefactores prædicti, falsò et mendaciter, asseruerunt et affirmârunt ipsos mala, homicidia, et dampna prædicta, ex nostris auctoritate et voluntate fecisse et perpetrasse, ut ipsi sic malitiam suam continuare valeant, et de præmissis, licet indigni, citius excusentur;

Ad vestram et aliorum fidelium ligeorum nostrorum quorumcumque volumus pervenire notitiam, quod præmissa mala, homicidia, et dampna, ex auctoritate seu voluntate nostris, minimè processerunt, neque fiunt, set exnunc, vehementiùs contristati, ea, in nostrum maximum vituperium et coronæ nostræ præjudicium, et totius regni nostri dampnum et turbationem non modica redundare sentimus;

Et ideò vobis, super fide et ligeantiâ, quibus nobis tenemini, firmiter injungendo, mandamus quod præsens mandatum nostrum, in singulis locis infra civitatem prædictam et suburbia ejusdem, ubi melius expedire videritis, ex parte nostrâ publicè proclamari et ulterius inhiberi faciatis;

Ne qui, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, infra civitatem prædictam, seu alibi, insurgere seu congregationes vel conventicula hujusmodi facere vel levare, seu quicquam aliud attemptare seu procurare præsumant, seu præsumat aliquis eorum, per quod pax nostra ibidem infringi, aut populus noster inquietari aut turbari poterit, sub forisfacturâ vitæ et membrorum et omnium aliorum, quæ nobis forisfacere poterunt in futurum;

Damus etiam vobis et quibuscumque aliis fidelibus nostris, tenore præsentium, potestatem et mandatum speciale quibuscumque malefactoribus, contra pacem nostram et quietem populi nostri insurgere, seu hujusmodi congregationes et conventicula illicita facere volentibus, modis omnibus quibus melius poteritis vel sciveritis, etiam si oporteat manu forti, tanquam rebellibus et inimicis nostris, et totius regni nostri, resistendi, et quemlibet ipsorum, juxta ipsorum demerita et discretiones vestras, puniendi, et insurrectiones et turbationes quascumque, si quæ ibidem, quod absit, fiant, pacificandi et sedandi;

Et omnia alia faciendi et exequendi, quæ conservationem pacis nostræ et quietem populi nostri concernere poterunt, in civitate et suburbiis supradictis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Waltham, xxiii. die Junii.

Per ipsum Regem.

Consimiles literæ diriguntur subscriptis; videlicet,
Majori, &c. villæ de Kyngeston super Hull, et multis aliis.

De proclamando quod nativi et alii tenentes, faciant consuetudines et servitia consueta.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 42 d. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Willielmo domino de Bardolf, Roberto domino de Wylughby, Johanni domino de la Warre, Johanni domino de Welles; Philippo de Darcy, Radulpho de Crombewell, Willielmo de Wylughby, Johanni de Toutheby, Willielmo Fraunk, Willielmo de Belesby, Anketillo Malory, Waltero Petwardyn, Willielmo Marmyon, Philippo Spencer, Roberto Roos, Johanni Cressy, Roberto de Leek, militibus; Simoni Symeon, Johanni Ponger, Johanni Bussy, Willielmo Spayne, Thomæ de la Launde, et Ricardo de Welby de Kirketon, salutem.

Mandamus vobis, et cuilibet vestrûm, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, quâcumque excusatione cessante, in singulis civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et aliis villis et locis in comitatu Lincolniæ, et quibuscumque partibus ejusdem, tam infra libertates quam extra, ubi expediens fore videritis et necesse, ex parte nostrâ publicè proclamari faciatis quod omnes et singuli tenentes, tam liberi quam nativi, opera, consuetudines, et servitia, quæ ipsi dominis suis facere debent, et ab antiquo, ante turbationem, in diversis comitatibus regni nostri Angliæ jam exortam, facere consueverunt, absque contradictione, murmure, resistentiâ, seu difficultate aliquali faciant, prout anteà solebant;

Et ulterius, ex parte nostrâ, districtè inhibeatis quod iidem tenentes, liberi aut nativi, seu alii quicumque, opera, consuetudines, aut servitia sua prædicta, istis turbationum temporibus, magis solito retrahant, seu ea prædictis dominis suis facere ullo colore retardent, nec aliqua alia libertates sive privilegia exigant, vendicent, sive clament, quam ante præsentem turbationem habuerunt, sub fide et ligeantiâ quibus nobis tenentur, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt in futurum;

Et omnes illos, quos post proclamationem et inhibitionem prædictas contrarios inveneritis seu rebelles, arestetis et capiatis, et ipsos prisonis nostris mancipetis, in eisdem moraturos quousque de eorum punitione aliter duxerimus demandandum; et hoc, sicut nos, et honorem nostrum, et salvationem jurium regni nostri diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Haveryng atte Boure, xxx. die Junii.

Per ipsum Regem.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis, &c. aliis in comitatibus Essex', Norff', Suff', Hunt', Norhampton', Cantebr', Hertford', Buk', Kanc', Wiltes' & Surr'.

De revocatione quarumdam literarum manumissionis et pardonationis, sæviente plebe, communitati regni Angliæ concessarum.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 33. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Licet nuper, in turbatione detestabili, per quosdam ligeos et subditos nostros, contra pacem nostram insurgentes, horribiliter factâ, certæ literæ nostræ patentes, ad ipsorum insurgentium instantiam importunam, factæ fuissent, continentes, quod nos universos ligeos et subditos nostros, communes et alios, certorum comitatuum regni nostri, manumisimus, et ipsos et eorum quemlibet ab omni bondagio et servitio exuimus et quietos fecimus; ac etiam, quod pardonavimus eisdem ligeis et subditis nostris omnimodas insurrectiones, per ipsos contra nos factas, equitando et eundo per diversa loca, in regno nostro, cum hominibus armatis, sagittariis, et aliis, vi armatâ, cum vexillis et pennucellis displicatis; ac etiam omnimodas proditiones, felonias, transgressiones, et extorsiones, per ipsos, vel aliquem ipsorum, qualitercumque factas sive perpetratas; ac etiam utlagariam et utlagarias, si qua, vel si quæ, in ipsos, seu aliquem ipsorum, fuerint, vel fuerit, hiis occasionibus, promulgata, vel promulgatæ, et firmam pacem nostram eis et eorum cuilibet indè concessimus; quodque voluimus, quod iidem ligei et subditi nostri liberi essent ad emendum et vendendum in quibuscumque civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et aliis locis, infra regnum nostrum Angliæ, et quod nulla acra terræ, in comitatibus prædictis, quæ in bondagio vel servitio tenetur, altius quam ad quatuor denarios haberetur, et, si qua minus antea tenta fuisset, imposterum non exaltaretur;

Nos tamen, pro eo quod dictæ literæ de curiâ nostrâ, absque maturâ deliberatione, et indebitè, emanârunt, perpendentes concessionem literarum prædictarum in nostri et coronæ nostræ maximum præjudicium, ac tam in nostri, et prælatorum, procerum, et magnatum dicti regni nostri, quam sacrosanctæ ecclesiæ Anglicanæ exhæredationem, necnon dispendium et incommodum reipublicæ tendere manifestè, dictas literas, et quicquid exindè fuerit subsecutum, de avisamento concilii nostri, tenore præsentium, revocavimus, cassavimus, irritavimus, et adnullavimus, et de facto revocamus, cassamus, irritamus, et penitùs adnullamus;

Nolentes quod aliquis, cujuscunque statûs seu conditionis fuerit, libertatem sive commodum aliquod de prædictis literis quomodolibet habeat seu reportet;

Volumus enim et intentionis nostræ existit talem gratiam singulis subditis nostris, quamvis enormiter contra ligeantiam suam forisfecerint, de avisamento sani consilii nostri, imposterum impartiri quæ Deo placabilis, nobisque et regno nostro utilis fuerit, et unde fideles subditi nostri reputabunt rationabiliter se contentos;

Et hæc omnibus, quorum interest, innotescimus per præsentes;

Damus autem, tam universis et singulis dominis, magnatibus, et aliis fidelibus, ligeis, et subditis nostris, quam vicecomitibus, et aliis ministris nostris, comitatûs Essexiæ, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod ipsi præsentes literas nostras, in singulis civitatibus, burgis, et aliis villis et locis in comitatu prædicto, tam infra libertates quam extra, ubi expediens fore viderint et necesse, ex parte nostrâ, publicè proclamari faciant;

Ulterius districtè præcipiendo quod omnes et singuli, tam liberi quam nativi, opera, consuetudines, et servitia, quæ ipsi nobis ac aliis dominis suis facere debent, et ante turbationem prædictam facere consueverunt, absque contradictione, murmure, resistentiâ, seu difficultate faciant aliquali, prout antea solebant;

Insuper inhibendo eisdem nè ipsi opera, consuetudines, et servitia sua prædicta, istis turbationum temporibus, magis solito retrahant, seu nobis aut prædictis dominis suis facere ullo colore retardent, nec aliqua alia libertates sive privilegia exigant, vendicent, sive clament, quam ante turbationem prædictam rationabiliter habuerunt, et quod ipsi, qui prædictas literas nostras manumissionis et pardonationis penes se habent seu custodiunt, eas statim penes nos et concilium nostrum deferant et restituant cancellandas, sub fide et ligeantiâ quibus nobis tenentur, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt in futurum.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Chelmersford, ii. die Julii.

Per ipsum Regem.

Consimiles literæ factæ et missæ sunt per singulos comitatus Angliæ.

Pro Rege Castellæ, avunculo Regis, contra fictiones et diffamationes insurgentium.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 34. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis archiepiscopis, episcopis, &c. ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem.

Rumor infestus, qui cor nostrum ultra modum attedeat atque gravat, per diversas partes regni nostri diffusus est de turbatione detestabili, per quosdam ligeos nostros certorum comitatuum regni nostri, contra ligeantiam suam et pacem nostram, rebellicè insurgentes, horribiliter factâ, in quâ quidem turbatione iidem insurgentes, tanquam diabolici crudeliter moti, nedùm homicidia, incendia, latrocinia, et alia mala, hactenus inaudita, proditoriè perpetrârunt, set et, ipsorum malitiâ præcedente, carissimum avunculum nostrum, Johannem Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, ac certos alios prælatos et fideles nostros, de culpâ infidelitatis erga nos et dictum regnum nostrum nequiter et iniquè diffamantes, fingentesque, ipsos insurgentes, prædicta mala ex nostrâ voluntate fecisse, ut sic crudelitatem suam, per ipsos inceptam, eo colore cautiùs exequi possent, eidem avunculo nostro quamplura enormia mala et dampna inæstimabilia, per incendia et alias destructiones, crudeliter intulerunt, in nostri et ipsius avunculi nostri ac sanguinis nostri regii regiæque majestatis et totius regni maximum dedecus et opprobrium, undè non immeritò conturbamur et nimium condolemus:

Quia verò præfatum avunculum nostrum, qui nobis tam propinquus existit, nobis et dicto regno nostro probavimus et semper novimus fuisse et esse fidelem, ac statûs et honoris nostri et ipsius regni præcipuum zelatorem, nolentes quod hujusmodi falsa diffamatio, sibi per præfatos insurgentes iniquè et malivolè sic imposita, prævaleat aliqualiter veritati;

Vobis et cuilibet vestrûm, super ligeantiâ vestrâ, et sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus quatinus ipsum avunculum nostrum, in cujus fidelitate satis probatâ intimè confidimus, nobis et dicto regno fidelem, ab omnibus defectibus præmissis, sibi impositis, innocentem penitùs et immunem reputantes et acceptantes, eidem avunculo nostro, in omnibus et singulis, quæ statum et honorem suum concernunt, cum reverentiâ et honore debitis, sitis auxiliantes, obedientes, et intendentes;

Et hoc, sicut nos, et honorem et statum nostrum et regni, diligitis, nullatenus omittatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Chelmersford, iii. die Julii.

Per ipsum Regem.

De non transeundo, sine mandato speciali.

A. D. 1381.
An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 41. d. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo, Roberto de Assheton, constabulario castri sui Dovorr', et custodi Quinque Portuum suorum, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Mandamus vobis, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, in singulis locis infra libertatem portuum prædictorum, ubi melius expedire videritis, ex parte nostrâ publicè proclamari faciatis, nè quis, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, in aliquo portuum prædictorum, nisi tantummodo in portu Dovorr', sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterit, mercatoribus notis et notoriis, ac eorum attornatis et servientibus, dumtaxat exceptis, versus aliquas partes exteras, sine mandato nostro speciali transeat, seu se divertat quoquo modo.

Teste Rege, apud Chelmersford, iii. die Julii.

Per ipsum Regem.

De proclamatione faciendâ quod conventiculæ non fiant.

A. D. 1381.
An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 39. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Cum quidam ligeorum nostrorum comitatûs Essexiæ et Lancastriæ, qui nuper contra pacem nostram in conventiculis et congregationibus rebellicè se habuerunt, et hostiliter insurrexerunt, volentes alios ligeos fideles nostros eorum proterviæ subdolè attrahere, ad diversos comitatus regni nostri Angliæ se trahant, ad excitandum et movendum ipsos ligeos fideles nostros ad consimilia conventicula et congregationes, contra pacem nostram, faciendum et sustinendum, ut accepimus;

Tibi præcipimus, firmiter injungentes, quod, omni dilatione et excusatione postpositis, in singulis hundredis, civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et alibi in comitatu tuo, ubi expedire videris, publicè proclamari et ex parte nostrâ, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, inhiberi faciatis, nè quis hujusmodi conventicula, congregationes, seu levationes contra pacem nostram, seu in turbationem populi nostri faciat, vel fieri procuret, aliquo modo:

Et si forsan aliqui quicumque hujusmodi ligeos fideles nostros, ad hujusmodi conventicula, congregationes, seu levationes, faciendum seu sustinendum, movere vel excitare præsumant, clam vel palam, quod statim iidem excitatores capiantur, et de eisdem, tanquam nostris rebellibus, inimicis et proditoribus fiat indilatè, sub forisfacturâ vitæ et membrorum, et omnium aliorum, quæ nobis forisfacere poterunt.

Teste Rege, apud Chelmersford, iii. die Julii.

Per ipsum Regem.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam.

De clero Eborum diocesis arraiando.

A. D. 1381.
An. 5 Ric. II.

Rot. Claus. 5 Ric. II. m. 42. in Turr. Lond.

RICARDUS, DEI graciâ, Rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, venerabili in CHRISTO patri A., eadem gratiâ, archiepiscopo Eborum, Angliæ primati, salutem.

Desiderantes intimè dampnis et periculis, quæ ex hostium incursibus, qui undique ad nos et regnum nostrum Angliæ invadendum, ut dicitur, se parant, nobis et regno nostro prædicto evenire possunt, viis et modis quibus poterimus, resistere;

Vobis mandamus quod omnes homines defensabiles de clero vestræ diœcesis, et in eâdem diœcesi moram trahentes, inter ætates sexdecim et sexaginta annorum existentes, armis competentibus muniri, arraiari, et in arraiatione hujusmodi teneri;

Ac ipsos et eorum quemlibet, ad proficiscendum vobiscum in defensionem regni nostri prædicti, quociens ex hostium incursibus, periculum aliquod immineat;

Ac etiam ad quoscumque ligeos nostros partium prædictarum, si qui in conventiculis, congregationibus, seu levationibus, contra pacem nostram seu in turbationem populi nostri, levare præsumant, resistendum, repellendum et deprimendum; et ad ipsos, et eorum quemlibet, se in formâ prædictâ arraiandum, ac in defensionem, resistentiam et repulsionem hujusmodi, quociens et quando indiguerit, proficiscendum, viis et modis congruis, licitis et honestis, quibus melius et celerius fuerit faciendum, compellendum.

Damus autem universis et singulis ligeis, subditis et fidelibus nostris, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, respondentes, obedientes, consulentes, et auxiliantes, quotiens et quando per vos ex parte nostrâ fuerint super hoc rationabiliter præmuniti.

Teste Rege, apud Chelmersford, iv. die Julii.

Per ipsum Regem.

[*Et erat patens.*]

De proclamando ne aliquis transeat mare.

A. D. 1381.
An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 41. d. in Turr. Lond.

REX, custodibus passagii in portu Dovorr', salutem. Quia, ut didicimus, quamplures ligei nostri rebelles, qui plura facinora in regno nostro in præsenti insurrectione illorum perpetrarunt, et qui de horribilibus factis suis per legem nostram justiciari non intendunt, ad partes transmarinas non modico numero transire proponunt, ad mala quæ poterunt, nobis et regno nostro inferendum, unde periculum maximum, si se transferre permittantur, posset evenire;

Vobis, sub forisfacturâ vitæ et membrorum, et omnium quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus, quod aliquos homines, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, ad aliquas partes exteras in portu prædicto, sine speciali mandato, sub magno vel privato sigillo nostro, aliquâ causâ vel colore, nullatenus transire permittatis, quousque aliud indè à nobis habueritis in mandatis: præmissa omnia in portu prædicto ex parte nostrâ publicè proclamantes.

Teste Rege, apud Chelmersford, v. die Julii.

Per ipsum Regem.

Consimilia brevia diriguntur custodibus passagii in portubus subscriptis, sub eadem datâ; viz.

Custodibus passagii in portu Sandewici.
Custodibus, &c. in portu London'.
Custodibus, &c. in portu de Hethe.
Custodibus, &c. in portu de Faversham.
Custodibus, &c. in portu de Romeney.
Custodibus, &c. in portu Suht'.
Custodibus, &c. in portu Chichestriæ.
Custodibus, &c. in portu de Dertemuth.
Custodibus, &c. in portu de Rye.
Custodibus, &c. in portu de Monmuth.
Custodibus, &c. in portu de Wynchelse.
Custodibus, &c. in portu de Fowy.
Custodibus, &c. in portu de Melcombe.
Custodibus, &c. in portu de Magna Jernemuth.
Custodibus, &c. in portu de Lenn'.
Custodibus, &c. in portu de Kyngeston super Hull'.
Custodibus, &c. in portu de Novo Castro super Tynam.
Custodibus, &c. in portu de Grymesby.
Custodibus, &c. in portu Bristoll'.
Custodibus, &c. in portu de Sancto Botulpho.

Pro Rege Castellæ, de securitate contra insurgentes.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.
Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 34. in Turr. Lond.

REX, carissimo avunculo suo Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lancastriæ, salutem.

Considerantes turbationem detestabilem, per certos ligeos nostros, certorum comitatuum regni nostri, contra ligeantiam suam et pacem nostram furiosè insurgentes, horribiliter factam, qui eorum malitiâ et iniquitate propriâ certos magnates dicti regni nostri, et, inter alios, personam vestram de culpâ infidelitatis erga nos et regnum nostrum nequitèr et falsò diffamârunt, quosdam ipsorum magnatum crudeliter occidendo, aliaque mala inæstimabilia perpetrando, undè maximè est dolendum;

Ac volentes proinde, pro securitate et salvatione personæ vestræ, penes nos et alia loca regni nostri, ad mandatum nostrum, veniendo, viis omnibus providere, nè contingat personæ vestræ per ipsos rebelles periculum aliquod, quod absit, evenire;

Volumus et vobis mandamus quod, cum penes nos et alia loca vos accedere contingat, tam fortiter et potenter, cum hominibus armatis, et sagittariis, et aliis hominibus defensabilibus, in comitivâ vestrâ, per medium regni nostri, et alibi ubi vobis placuerit, veniatis, sicut vobis videbitur pro salvatione et securitate vestrâ contra malitiam et crudelitatem fore expediens et necesse;

Et taliter ordinetis quod, per homines in comitivâ vestrâ, ex causâ prædictâ venientes, destructio vel dampnum, in adventu vestro, non fiat fideli populo nostro ullo modo.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Chelmersford, v. die Julii.

Super dictâ securitate, de intendendo.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.
Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 34. in Turr. Lond.

REX, dilecto consanguineo et fideli nostro Henrico de Percy comiti Northumbriæ, salutem.

Quia ordinavimus et oneravimus vos ad veniendum, in comitivâ carissimi avunculi nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, qui penes nos, de mandato nostro, est venturus, pro securitate personæ ipsius avunculi nostri, contra malitiam ipsorum qui contra eum insurgere voluerint;

Assignavimus vos ad potestatem hominum ad arma, armatorum, et sagittariorum, ubicumque inveniri poterunt, tam infra libertates quam extra, prout inter ipsum avunculum nostrum et vos, pro securitate et salvatione personæ suæ, videbitur fore expediens et necesse, cum omni celeritate congregandum, et eosdem homines ad arma, armatos, et sagittarios, in comitivâ suâ, per comitatus Northumbriæ, Eborum, et Notynghamiæ, vel ulterius, prout placuerit eidem avunculo nostro, ducendum;

Et ideò vobis injungimus et mandamus quod circa præmissa, cum omni diligentiâ, intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus autem universis hominibus ad arma, armatis, et sagittariis, ac vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et ligeis nostris, tam infra libertates quam extra, quod ipsi, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt, vobis in præmissis pareant, obediant et intendant. In cujus, &c.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem.

Consimilis litera dirigitur Johanni domino de Nevyll.

Pro cardinali tituli Sanctæ Praxedis, archidiacono Dunolmensi, de manutenendo.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.
Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 32. d. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni domino de Nevyll, salutem.

Sciatis quod, cum nuper dederimus et concesserimus reverendo in CHRISTO patri Pileo, tituli Sanctæ Praxedis presbitero cardinali, archidiaconatum Dunolmensem, vacantem et ad nostram donationem spectantem, ratione temporalium episcopatûs Dunolmensis, in manu nostrâ existentium, habendum cum suis juribus et pertinentiis quibuscumque, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, pleniùs continetur;

Ac idem cardinalis debitam et pacificam possessionem ejusdem archidiaconatûs, virtute collationis nostræ prædictæ, ut dicitur, sit adeptus;

Jamque nichilominus, ex relatu plurium, acceperimus quod quidam, nitentes jus nostrum regium, in hâc parte, pro viribus enervare, se parant et intendunt, quæsitis coloribus, ipsum cardinalem à possessione suâ archidiaconatûs prædicti per vim et armatam potentiam malitiosè expellere, et archidiaconatum illum per hujusmodi vim et potentiam occupare, quod, si permitteretur, non solum in præjudicium et opprobrium nostrum, set in læsionem regiæ dignitatis nostræ, manifestius redundaret;

Nos igitur, volentes hujusmodi nobis præjudicialibus, prout convenit, remediis congruis obviare, et conatus illicitos omnium et singulorum, jura coronæ nostræ impugnare volentium, refrænare, assignavimus vos ad præfatum cardinalem, et procuratores suos ejus nomine, in possessione archidiaconatûs prædicti manutenendum et folvendum, et quibuscumque, ipsum cardinalem ab eodem archidiaconatu, ut præmittitur, expellere volentibus, viis et modis, quibus expedire videritis, resistendum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter et efficaciter intendatis in formâ prædictâ;

Aliis insuper, qui se asserunt jus habere in archidiaconatu supradicto, si qui fuerint, dicentes et injungentes, ex parte nostrâ, quod pro recuperatione jurium suorum, per processum debitum, prosequantur, si sibi viderint expedire:

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus, subditis, et ligeis nostris, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis, in præmissis faciendis, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, prout eis scire feceritis vel injunxeritis ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud London, xi. die Julii.

Per ipsum Regem.

De hostagiis pro Olivero de Cleykyn.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.
Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, usque ad festum Paschæ proximò futurum, duraturas, suscepit in salvum et securum conductum Regis, ac in protectionem et defensionem suas speciales, Petrum de Vandusme, fratrem Johannis de Vandusme domini de Foilet, Johannem de Beaumont chivaler, fratrem Alani de Beaumont domini de Seynt Nome, et Bertrandum de Cleykyn, filium Oliveri de Cleykyn chivaler, domini de la Morlere, veniendo, cum tribus armigeris, et tribus servientibus suis, per regnum, dominium, et potestatem Regis, tam per terram quam per mare, usque ad villam Calesii, et in eâdem villâ morando, in hostagiamentum pro Olivero de Cleykyn chivaler prisonario, de Evecot de Solle, et Johanco Darataisso, et ab eâdem villâ Calesii, usque ad partes suas proprias, per regnum, dominium et potestatem Regis, tam per terram quam per mare, redeundo.

Teste Rege, apud villam de Sancto Albano, xiii. die Julii.

Per ipsum Regem.

De non procedendo ad deliberationem aliquorum, de insurrectione indictatorum.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.
Claus. 5 Ric. II. m. 39. d. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Willielmo de Ufford comiti Suffolciæ, et sociis suis, ad quosdam rebelles, qui nuper contra pacem nostram, et in turbationem populi insurrexerunt, in comitatibus Norfolciæ et Suffolciæ, castigandum et puniendum, assignatis, salutem.

Quibusdam certis de causis nos moventibus, vobis mandamus, quod ad deliberationem aliquorum coram vobis de insurrectione hujusmodi indictatorum, seu notoriè rectatorum, nisi legitimè vobis constare poterit hujusmodi indictatos et notoriè rectatos super delictis suis in hâc parte convinci, et secundum sua demerita, ac formam commissionis nostræ vobis in hâc parte factæ, puniri posse, nullatenus procedatis; set pro salvâ et securâ custodiâ eorumdem in prisonâ nostrâ, quousque aliud à nobis indè habueritis in mandatis, ordinari faciatis, prout decet.

Teste Rege, apud villam de Sancto Albano, xviii. die Julii.

Per ipsum Regem.

De restitutione temporalium.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi Willielmo Berard, escaetori suo in comitatibus Norffolciæ et Suffolciæ, salutem.

Cum venerabilis pater, Henricus Norwycensis episcopus, electionem, nuper factam, in ecclesiâ conventuali Sancti Petri de Gippewyco, de Johanne de Monewedene, monacho ejusdem domûs, in priorem loci illius, cui prius regium assensum adhibuimus et favorem, confirmaverit, sicut per literas patentes ipsius episcopi, nobis indè directas, nobis constat;

Nos, confirmationem illam acceptantes, cepimus fidelitatem ipsius electi, et temporalia prioratûs illius, cum pertinentiis, prout moris est, restituimus eidem;

Et ideò tibi præcipimus quod eidem electo temporalia prioratûs prædicti, cum pertinentiis, in ballivâ tuâ, liberes; salvo jure cujuslibet.

Teste Rege, apud Henle, xxix. die Julii.

Et mandatum est militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis, tenentibus de prioratu prædicto, quod eidem Johanni, tanquam priori et domino suo, in omnibus, quæ ad prioratum prædictum pertinent, intendentes sint et respondentes.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Henle, xxix. die Julii.

Pro cardinali de Alenconio, archidiacono Suffolciæ.

A.D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 32. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, ob affectionem quam erga reverendissimum in CHRISTO patrem cardinalem de Alenconio, consanguineum nostrum, gerimus et habemus, necnon propter benivolentiam quam ipse erga nos et regnum nostrum gerit, prout veraciter sumus informati, concessimus eidem cardinali, quantum in nobis est, quod ipse possessionem archidiaconatûs Suffolciæ; de quo sibi per dominum Summum Pontificem, tanquam in curiâ, per mortem Elizarii tituli Sanctæ Sabinæ presbyteri cardinalis, vacante, debitè, ut dicitur, provisum existit, per procuratores ipsius cardinalis adipisci, adeptamque continuare, necnon fructus, *&c. prout in ejusmodi de licentiâ literis.*

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Yeshampstede, iv. die Augusti.

Per breve de privato sigillo.

Super concordatis per Edwardum III. Regem Angliæ et Gregorium XI. Papam.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 31. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Cum nuper, præhabito solempni contractu inter, fœlicis recordationis, dominum Gregorium Papam undecimum, et celebris memoriæ, dominum Edwardum, tunc Regem Angliæ, avum nostrum, pro quiete ecclesiæ Anglicanæ, finaliter extitisset, inter cætera, concordatum quod sedes apostolica reservationes, generales et speciales, per dominum Urbanum Papam quintum, prædecessorem ipsius Gregorii immediatum, et alios prædecessores suos, Romanos Pontifices, factas, quibus eadem sedes tunc usa non fuit, revocaret, prout in literis bullatis ipsius domini Gregorii, indè confectis, et eidem avo nostro transmissis, pleniùs continetur;

Tandem verò, ex relatu plurium, acceptantes quod quidam Johannes Newport clericus, machinans concordiam prædictam et effectum ejusdem callidè enervare, versus curiam Romanam se divertebat, et quandam provisionem sibi, per dominum nostrum, nunc Summum Pontificem, de præbendâ de Tervyn, in ecclesiâ cathedrali Lichfeldensi, colore cujusdam reservationis, per dominum Innocentium, nuper Romanum Pontificem, diù ante concordiam prædictam factam, ut dicitur, factæ, ad minus veram suggestionem, impetravit minus justè, per breve nostrum præceperimus et prohibuerimus præfato Johanni, nè ipse quicquam, quod in contrarium seu enervationem dictæ concordiæ, contra aliquem, legitimè in eadem incumbentem, cedere valeret, attemptaret vel attemptari faceret, stante concordiâ prædictâ;

Ac jam, ex parte præfati Johannis, nobis sit humiliter supplicatum ut, cum magister Nicholaus de Heth, asserens se præbendarium præbendæ prædictæ, quandam appellationem, ad curiam Romanam directè interpositam, eidem Johanni notificaverit, prout per instrumentum publicum, in cancellariâ nostrâ ostensum, et penes præfatum Johannem residens, plenè liquet, velimus eidem Johanni, ut ipse pro defensione juris sui, in hâc parte, ad curiam Romanam se divertere, vel per procuratorem suum ibidem mittere, licentiam regiam impartiri;

Nos, nolentes ut juri ipsius Johannis, si quod fuerit, pro defectu defensionis, causâ prohibitionis prædictæ, derogetur, de gratiâ nostrâ speciali, concessimus et licentiam dedimus præfato Johanni, quod ipse per se, vel procuratorem suum, ejus nomine, in curiâ Romanâ, et alibi, defensionem juris sui prædicti licitè et liberè facere valeat, quotiens sibi fore viderit oportunum; prohibitione nostrâ prædictâ non obstante.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Redyng, iv. die Augusti.

Bulla Urbani VI. Papæ, pro ecclesiâ Aladensi, de provisione.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

URBANUS episcopus, servus servorum DEI, carissimo in CHRISTO filio, Ricardo, Regi Angliæ illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratiæ Divinæ præmium et humanæ laudis præconium acquiritur, si per seculares principes prælatis, præsertim ecclesiarum cathedralium regimini præsidentibus, oportuni favoris præsidium et honor debitus impendatur.

Dudùm siquidem, bonæ memoriæ, Roberto episcopo Aladensi, regimini Aladensis ecclesiæ præsidente, nos, cupientes eidem Aladensi ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, per operationis nostræ ministerium, utilem et ydoneam præsidere personam, provisionem ejusdem ecclesiæ ordinationi et dispositioni nostræ eâ vice duximus specialiter reservandam; decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter, contigeret attemptari.

Postmodum verò, præfatâ ecclesiâ, per obitum ejusdem Roberti episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destitutâ, nos, vacatione hujusmodi fidedignis relatibus intellectâ, ad provisionem ejusdem ecclesiæ celerem et fœlicem, de quâ nullus præter nos eâ vice se intromittere potuerat neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, nè ecclesia ipsa prolixæ vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium, Thomam Lodowis, electum Aladensem, ordinis fratrum prædicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientiâ, vitæ munditiâ, honestate morum, spiritualium providentiâ, et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis, apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis;

Quibus omnibus debitâ meditatione pensatis, de personâ ejusdem Thomæ electi, nobis et eisdem fratribus nostris, ob dictorum suorum exigentiam meritorum, acceptâ, ipsi Aladensi ecclesiæ, de dictorum fratrum nostrorum concilio, auctoritate apostolicâ providimus, ipsumque illi præfecimus in episcopum et pastorem; curam et administrationem ipsius ecclesiæ eidem Thomæ electo, in spiritualibus et temporalibus, plenariè committendo; in Illo, qui dat gratias et largitur præmia, confidentes quod, per ipsius Thomæ electi circumspectionis industriam, et providentiam circumspectam, dicta ecclesia, sub suo fœlici regimine, dexterâ DOMINI sibi assistente propitiâ, salubriter et prosperè dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Volumus autem quod dictus Thomas electus, quamprimùm præsentes litteras haberet expeditas, ad præfatam Aladensem ecclesiam se personaliter transferret, et resideret personaliter in eadem.

Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus DEI ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis Æterni gloriâ venerari, serenitatem tuam regiam rogamus et hortamur attentè quatinus, eundem Thomam electum, et ecclesiam Aladensem, suæ curæ commissam, habens pro nostrâ et apostolicæ sedis reverentiâ propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris; ita quod idem electus, tuæ celsitudinis fultus auxilio, in commisso sibi dictæ ecclesiæ regimine, possit, DEO propitio, prosperari, ac tibi exindè à DEO perhennis vitæ præmium, et à nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat' Romæ, apud Sanctum Petrum, v. id. Augusti, pontificatûs nostri anno quarto.

Sigillum deest.

Pro Rege Castellæ, super insurrectione sæpedictâ, de inquirendo.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat 5 Ric. II. p. 1. m. 26. d. in Turr. Lond.

REX, carissimo avunculo suo Johanni Regi Castellæ et Legionis, duci Lancastriæ, salutem.

Sciatis quod, cum quamplura deprædationes, roberia, domorum incendia, homicidia, rapinæ, et alia mala quamplurima, intolerabilia et hactenus inaudita, per quosdam ligeos nostros, communitatis regni nostri Angliæ, qui nuper contra pacem nostram in conventiculis et congregationibus illicitis se levaverunt et insurrexerunt, facta fuerunt et perpetrata, in nostri contemptum et maximum vituperium;

Et volentes, pro punitione delinquentium, in hac parte quod justum fuerit fieri jubere, et de providâ circumspectione vestrâ pleniùs confidentes;

Assignavimus vos justiciarium nostrum et loco nostro constituimus, ad inquirendum, per sacramentum proborum et legalium hominum, de quibuscumque comitatibus regni nostri Angliæ, ubi vos divertere contigerit, extra præsentiam nostram, tam infra libertates quam extra, per quos rei veritas meliùs sciri poterit, et aliis viis et modis quibus meliùs et celeriùs de jure expedire videritis, vos debitè informandum de quibuscumque deprædationibus, roberiis, domorum incendiis, homicidiis, rapinis, et aliis malis quibuscumque, per quoscumque et qualitercumque, in insurrectione et levatione prædictis, quomodolibet factis, sive perpetratis, et ubi? quando? qualiter? et quo modo?

Et de præmissis omnibus et singulis, ac articulis et circumstantiis, præmissa omnia et singula qualitercumque concernentibus, pleniùs veritatem, et ad delinquentes in hâc parte, juxta eorum demerita, secundum legem et consuetudinem regni nostri Angliæ, castigandum et puniendum, et præmissa omnia et singula audiendum et terminandum;

Et ideò vobis mandamus, quod ad certos dies et loca, quos ad hoc provideritis, inquisitiones ac informationes super præmissis faciatis, et capiatis, et præmissa omnia et singula audiatis et terminetis, ac faciatis et expleatis in formâ prædictâ, facturi, &c. salvis, &c.;

Damus autem universis et singulis vicecomitibus comitatuum prædictorum, tenore præsentium, in mandatis quod ad certos dies et loca, quos eis scire facietis, venire faciant coram vobis tot et tales probos et legales homines de ballivis suis, tam infra libertates quam extra, per quos rei veritas in præmissis meliùs sciri poterit et inquiri;

Nolumus enim quod potestas, aliis justiciariis et assignatis nostris, in comitatibus prædictis, per alias literas nostras patentes facta, colore præsentis commissionis nostræ, in aliquo cassetur seu minuatur.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Shene, xviii. die Augusti.

Per ipsum Regem.

Indentura de solutionibus, super vadiis et custubus in facto guerrarum Aquitaniæ.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 37. d. in Turr. Lond.

CESTE endenture, faite parentre monsieur Johan de Nevill, lieutenant d'Aquitain d'une part, et Johan de Mittford lieutenant del honure et sage, sire Richard Routier, constable de Bourdeaux, d'autre part, tesmoigne que certeins sommes d'or et d'argent ont estee paiez, puis la venue du dit monsieur le lieutenant en Aquitaine, a certains gens d'armes, archers, arbalesters, et mariners, ordeinez pur aler rescovre le lieu de Mouretaign sur Gironde, en manere come ensuit;

Primerment, paie, le xix. jour de Septembre, l'an lxxviii. a monsieur Archembaut de Greily, captal de Buch, pur lx. hommes d'armes, par un mois, chescun parnant par mois xv. francs, ordeignez pur aler, en la compaigne du dit monsieur le lieutenant, par rescovre le lieu de Moretaign suisdit, - - - - - ix c. francs.

Item, a monsieur le Duras, mesme le jour, paie pur xxx. hommes d'armes semblables gages, pur la cause suisdite, - ccccl. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur de Roasan, pur xxx. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - ccccl. francs.

Item, mesme le jour, paie a le sire de Montferrand, pur xxx. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - ccccl. francs.

Item, mesme le jour, paie a le sire de Curton pur xxv. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - ccclxxv. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur Guilham de Burgh, lieutenant de sire de le Spaire, pur xxx. hommes d'armes, semblables gages, come dessus, - - - - - - - - ccccl. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur Emerik de Durefort, pur xx. hommes d'armes, semblables gages, come dessus, - ccc. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur Amaneu de Mussindem, pur xxx. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, ccccl. francs.

Item, mesme le jour, paie a Berad de la Laucere, pur x. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - - cl. francs.

Item, mesme le jour, paie a Johan de Caneran, pur xx. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - ccc. francs.

Item, mesme le jour, paie a Monot de Plassaii, pur xxx. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - ccccl. francs.

Item, mesme le jour, a Johan de Balsade, pur xxii. hommes d'armes, semblables gages, come dessus, - - - cccxxx. francs.

Item, mesme le jour, paie a Johan de Puche, pur iii. hommes d'armes, semblables gages, - - - - - - - xlv. francs.

Item, mesme le jour, paie a Bernard Wat, pur x. hommes d'armes, semblables gages, come dessuis, - - - - cl. francs.

Item, mesme le jour, paie a Andreu Handay, pur lx. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - - - vi c. francs.

Item, mesme le jour, paie a William de Gresby, pur xiv. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, - ccx. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur Johan Gryn et Jankyn Noel, pur xxiv. hommes d'armes, semblables gages, pur cause suisdite, ccclx. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur Johan Gryn et Jankyn Noel, pur iv. hommes d'armes, par un quarter d'un mois, chescun parnant, selonc lafferant come dessus, par cause suisdite, - xv. francs.

Item, mesme le jour, paie a Henri Skyrow, pur x. hommes d'armes, par un mois come dessus, semblables gages, pur cause suisdite, cl. francs.

Item, mesme le jour, paie a Johan Lambe, pur vii. hommes d'armes, semblables gages, pur la cause suisdite, - - - cv. francs.

Item, mesme le jour, paie a Esmond Cressewell, pur xxv. hommes d'armes, semblables gages, pur la cause suisdite, - ccclxxv. francs.

Item, mesme le jour, paie a William Chaundelere, pur xxxiv. hommes d'armes, gages, pur la cause suisdite, - - v c. x. francs.

Item, mesme le jour, paie a William Bailly, pur xiii. hommes d'armes, semblables gages, pur la cause suisdite, - c.iv^{xx}.xv. francs.

Item, mesme le jour, paie a monsieur Johan de Roches, pur xx. hommes d'armes, a demourrer sur la garde et tuition du paiis d'Aquitan iv^{xx}.xviii. jours, parnant, pur chescun homme d'armes selonc lafferant, de xv. francs, par mois come dessus, comenceant meme le jour, ix c. lxxv. francs.

Item, mesme le jour, paie a Gratuze, arbalister, et xvi. autres arbalisters, pur aler a la recuse de Mortaigne, et pur demurrer sur la garde et tuition du pais d'Aquitaigne, par vii. mois come dessus, parnant pur chescun viii. francs en le mois, - - - cxxxvi. francs.

Item, paie, mesme le jour, a Gaston, maistre de la balyng de Bourdeaux, et a xxx. arbalisters et mariners en sa compaigne, pur aler a la recuse de Montaigne suisdit, et illoeqes amesner gens d'armes, et vitailles, en alant et retournant a Bourdeaux, et pur demurrer sur la rivere de Gironde, pur conduyre vesseux aportans vitailles, engyns, et autres partreitz de guerre, necessaries a la seege, du tour de Seint Mambert en Mendone, et pur demurrer sur la dite rivere pur cause des enymis, par un mois, parnant pur ly mesmes par mesme le dit mois xv. francs, et pur chescun des ditz arbalisters et mariners vi. francs, - - - - - - c.iv^{xx}.xv. francs.

Item, mesme le jour, paie a iv. maisters canoners pur aler a la recuse du dit lieu de Mortaigne et au tour Seint Mambert et aillours demurrer sur la fait de guerre par un mois, parnant chescun en le mesme temps xii. francs, - - - - - xlviii. francs.

Item, paie, le xxii. jour du mois de Septembre, l'an suisdit, a li. maistres mariners ovecquez leurs niefs et bateaux et viii c. autres mariners en lour compaigne, pur aler a la recuse de Mouretaign a amesner illoeques mon dit seigneur le lieutenant, gens d'armes, et vitailles, par vi. jours en alantz et retournantz, parnant par chescun des ditz mariners iii. d. sterl. le jour, - - ccc.iv^{xx}.ii. francs. iii. s. ii. d.

Item, paie, le primer jour d'Octobre, l'an suisdit, a le maistre de la Cristofre de Plummuth ove son bateau, et xxx. mariners en sa compaigne, pur aler et amesner monsieur Johan de Roches, gerant prevost et le controller du chastell de Bourdeaux, et autres, a Fronsac, pur traiter ovesque ceux du dit lieu depar le Roy, pur la deliverance d'icelle, par iv. jours en alant et returnant, parnant pur chescun des ditz mariners iii. d. sterlings le jour, - ix. francs.

Item, paie, le x. jour d'Octobre, a le dit maistre, ove son bateau, et xxiv. mariners en sa compaigne, pur aler a la dit lieu de Fronsac, pur acompler la dite treitee, par vii. jours, parnant semblables gages, c'estassavoir, iii. d. sterl. le jour, - - xii. francs. ii. s. sterl.

Item, paie, le derrein jour de Septembre, a un maistre, un conestable, et autres xxviii mariners, d'un balynger de Fowy, que vient a monsieur le lieutenant, pur son passage de Plummouth a Bourdeaux, pur lour gages de xiv. jours apres l'arrivaille de dit lieutenant a Bourdeaux, par acorde de sire William de Lokynton, clerc le Roy, que paia les gages des mariners, pur la dite passage, c'estassavoir, pur reward des ditz maistre, conestable, et mariners, pur ceo q'ils ne porroient avoir nul avantage vers hostell du fret vyns come autre niefs avoient, xlii. francs.

Somme ix m^{l}. v c. lxix. francs. vi. s. ii. d. sterl.

Item, paie, le ix. jour du mois de Septembre suisdit, a Thomas Otterbourne, ove un archer, pur demurer ove mon dit seignur le lieutenant en le service du Roy, par iv. mois, comenceant son terme mesme le jour, parnant en le mois, pur ly et son dit archer, xx. francs. iv^{xx}. francs.

Item, mesme le jour, paie a Johan Redman, pur ly et son pillard, montez et armez, pur demurrer ove mon dit seignur, en mesme la manere, iv. mois, parnant semblables gages, - - iv^xx. francs.

Item, paie, le xii. jour de Septembre, a Jankyn Linden, ove son pillard, montez et armez, pur server au Roy come dessus, per iv. mois, comenceant mesme le xii. jour, parnant semblables gages, come devant, - - - - - - - iv^xx. francs.

Item, paie, le xviii. jour de Septembre, a Robert de Felton, Thomas Carnaby, et Robert Fishere, pur estre et demurrer en le service du Roy, armez et montez, par quatre d'an et dimy, comenceant mesme le xviii. jour, parnant chescun en mesme le temps cxx. francs, ccclx. francs.

Item, paie, le quarte jour de mois d'Octobre, a Mounchon Hugo, ovec son pillard, montez et armez, pur server au Roy come dessus, par iii. mois, viii. jours, comenceant mesme le iii. jour, parnant, par mois, xx. francs, come devant, - - - - lxv. francs.

Item, paie, mesme le jour, a Thomas Fremond, ovec son pillard, montez et armez, pur servir, come dessus, par mesme le temps, comenceant mesme le jour, parnant par mois xx. francs, lxv. francs.

Item, paie, le xvii. jour d'Octobre, mesme l'an susdit, a Slynton, et a iii. autres ses compaignons, montez et armez, ovec lours pillards, pur servir au Roy come devant, par iv. mois, comenceantz le xvii. jour suisdit, parnant chescun par mois xx. francs, come dessus, cccxx. francs.

Item, paie, le xxiv. jour d'Octobre, a Henry Skyrowe, ovec ix. compaignons, montez et armez, pur servir come dessus, par ii. mois et demi, comenceant le xxiv. jour suisdit, chescun parnant par mois xv. francs, et pur la demi mois, chescun solonc lafferant, ccclxxv. francs.

Item, paie, le vi. jour d'Octobre l'an suisdit, a le Bastard de Curton, pur les gages de vi. hommes d'armes, d'estre a Proion, sur la tuition du paiis, par ii. septmaignes, parnant pur chescun homme, en mesme le temps, vi. francs et dimy, - - - xlv. francs.

Item, paie, le x. jour d'Octobre, mesme l'an, a monsieur William Gray, pur xx. hommes d'armes, esteantz sur la garde et tuition de la paiis des Landes par un mois, parnant pur chescun homme d'armes, en le mesme temps, xv. francs, - - - - ccc. francs.

Item, mesme le jour, paie au dit monsieur William, pur x. archers, montez et armez, esteantz sur la garde et tuition du dit paiis par vii. mois, parnant, pur chescun des ditz archers, en le mesme temps, vii. francs et dimid, - - - - lxxv. francs.

Item, mesme le jour, paie a Robyn Kyng, capitaigne de Pynguyllin, pur xx. hommes d'armes, demurrantz sur la garde et tuition du paiis la environ par vii. mois, parnant pur chescun homme d'armes, mesme le temps, xv. francs, - - - - ccc. francs.

Item, mesme le jour, paie a Robyn Pater noster, et autres xxv. hommes d'armes, chescun ove son pillard, montez et armez, pur demurrer sur la saufgarde et tuition de la ville de Liborne et du part la environ, par ii. mois, comenceantz mesme le dit jour, parnant chescun homme d'armes, ovecque son pillard, xx. francs en le mois, m. xl. francs.

Item, paie, le xviii. jour d'Octobre susdit, a le Sendic de la Trau, pur xl. hommes d'armes, demurrantz sur la garde et tuition de Moretaigne suisdit, par vii. mois, parnant pur chescun homme d'armes en le dit mois xv. francs, - - - - - - vi c. francs.

Item, mesme le jour, paie au sire de Curton et a sire de la Varde, pur xl. hommes d'armes, esteantz sur la garde et tuition du pais entere deux mers a Curton, et ailleurs, par xv. jours, parnant pur chescun homme d'armes, selonc la ferant, de xv. francs par mois, ccc. francs.

Item, mesme le jour, paie a William Gresby, pur xiv. hommes d'armes, esteantz sur la garde et tuition du pais d'Aquitaigne, par vii. mois, comenceant mesme le dit jour, parnant pur chescun homme d'armes par le dit mois xv. francs, - - - - ccx. francs.

Item, paie, le xxiv. jour d'Octobre, l'an suisdit, a captal de Buch, pur x. hommes d'armes, esteantz sur la garde et tuition du dit paiis, par xxxiii. jours, parnant pur chescun homme selonc lafferant, de xv. francs par mois, - - - - - cxii. francs dimid.

Item, mesme le jour, paie a le sire de Roasan, pur x. hommes d'armes, par xv. jours, par mesme le cause, parnant pur chescun homme, selonc mesme lafferant, - - - - - lxxv. francs.

Item, mesme le jour, paie a Bernard Wat, pur xx. hommes d'armes, esteantz sur la garde et tuition du dit paiis, par vii. mois, comenceant le xix. jour d'Octobre suisdit, prenant pur chescun homme d'armes xv. francs par mois, - - - - - ccc. francs.

Item, mesme le jour, paie a Berard de la Lande, pur x. hommes d'armes pur mesme la cause, par un mois, comenceant le xix. jour d'Octobre suisdit, prenant pur chescun homme semblables gages en le dit mois, cl. francs.

Item, mesme le jour, paie a William Chandeler, pur ix. hommes d'armes pur mesme la cause, par ii. sepmaigns, parnant pur chescun homme d'armes, selonc lafferant, de xv. francs par mois, lxvii. francs xx. d.

Item, paie, le ii. jour de Novembre, l'an suisdit, a Gibon Noreye, Jak Joly, Richard Tilbury et Johan Sparws, montez et armes, pur server en les guerres du Roy par un quatre d'an, parnant chescun par le dit quartre lx. francs, - - - - - ccxl. francs.

Somme iii m. viii c. xv. francs.

Item, paie, le xx. jour d'Octobre, l'an lxxviii. a Sendic de la Trau, pur les bons et agreables services qu'il a fait, en temps passe, en les guerres du Roy E. que Dieu assoile, et frea au Roy qi ore est en temps a vener, et aussi pur les grandes payns, travails, costages, et perdes qu'il mesme, et ses gens, ount suffert, si bien deinz la sege de Moretaigne, par long temps, come aillours, en recompensacion et regard des ditz services et travailles, - - d. francs.

Item, mesme le jour, paie a sire de Montferant en Peregnort, pur semblable cause, en recompensacion et regard de ses bons services, cccc. francs.

Item, a monsieur Pierres de la Mote, seignur de Raquetaillarde, en recompensacion et regarde de ses bons services q'il a fait come dessus, - - - - - cccc. francs.

Item, a monsieur Johan de Madellan, seignur de Pugeols, en recompensacion de les bons services q'il a fait et ferra come dessus, cccc. francs.

Item, a Robert Kyng, capitaine de Puyguill, pur les bons et agreables services q'il a fait et ferra come dessus; et aussi sibien pur les grandes travailles et perdes q'il a sustenuz en les guerres du Roy E. suisdit, come en recompensacion, regarde, et satisfaction de ses raunceons et finance du temps q'il estoit pris prisoner ovesque monsieur Thomas de Felton, n'adgairs seneschall d'Aquitan, ccc. francs.

Item, paie a monsieur Petiton de Curton, pur semblable cause, en ses regard et recompensacion, come devant, - cxx. francs.

Item, paie, le xviii. jour de Septembre, a Johan Lambe, et a ses ii. compaignons, en recompensacion et regarde si bien de les bons et agreables services qu'il a fait a monsieur le Prince, que Dieu assoille, et ferra au Roy q'ore est, come de la mourt de You de Gales, - - - - - - - c. francs.

Somme ii m^l. ii c. xx. francs.

Item, paie, le xvii. jour de Septembre, l'an suisdit, a iv. minours, esteantz ovesque mon dit seignur le lieutenant au tour de Seint Mambert, pur miner en eyde de conquest mesme le tour, par le temps que mon dit seignur estoit a la sege pardevant icelle, xx. francs.

Item, mesme le jour, paie, pur poudres de canons et autres choses necessaries achatez a icelles, fait si bien pur la recuse de Moretaigne suisdit come pur la gayn du dit tour de Seint Mambert, xxvi. francs.

Item, paie, le xxi. jour de mois de Septembre suisdit, pur xii. grosses bordes, pur amender graunde engine, pris la pece iv. s. sterl, summe xiv. francs xvi. d. sterl. Item, pur vii c. de longes clowes, pur l'apparelez du dit engyn, pris le c. viii. d. sterl., somme iv. s. viii. d. sterl. Item, pur vi c. clowes, pur a doubler le dit engyn, pris le c. xiii. d. sterl., somme vi. s. vi. d. sterl. Item, pur xv. couples de gemeux, vi. s. iv. d. sterl. Item, pur rynges et estaples, viii. s. vii. d. Item, pur cordes pur le dit engyn, x. s. iv. d. sterl., somme, xxv. francs. xiii. d. sterl.

Item, mesme le jour, paie a ii. maistres de ii. balyngers, ove lours mariners, pur amesner ii. engines de la ville de Burdeaux, si bien a la recuse de Moritaigne come au seige de tour de Seint Mambert, pur lour despenses en alant et retournant, - - vi. francs.

Item, paie, pur xx. bacons achatez pur vitailler le lieu de Moritaigne devant le venu de monsieur le lieutenant suisdit a la recuse d'ycelle, pris chescun bacon iii. francs, somme - - lx. francs.

Item, paie, le xi. jour de Decembre l'an suisdit, pur xx. quarters de feues et pois pur vitailler mesme le lieu de Moretaigne, pris le quatre vii. s. sterl., - - - - - - - xlii. francs.

Item, paie, le xvii. jour de Decembre, a x. carpenters fesantz un chat pur abatre mures de chasteux, lieux, et forteresses, quant mester serra, par x. jours, chescun prenant le jour xvi. d. sterl., et un maistre carpenter per mesme le temps, prenant chescun jour xx. d. sterl., somme - - - - - - - xlv. francs.

Item, mesme le jour, paie pur fustes a la fesance du dit chat, et pur graundes liguaterours de fear pur lier mesme le chat, et as faues pur lour oueraigne d'iceulx, - - xxii. francs. ii. s. sterl.

Item, mesme le jour, paie a v. seguadours pur seguar fuste, pur la dit chat, par viii. jours, chescun prenant par le jour xiv. d. sterl., xiv. francs.

Somme cclx. francs. iii. s. i. d.

Item, paie, le xx. jour de Decembre, l'an suisdit, a Geraut de Mente, pur aler au Roy d'Aragon et au count de Foux pur treiter ovesque eux d'ascuns maters, causes, et negoces graundement touchantz le Roy nostre tressoverain seignur et son paiis d'Aquitain, pur ses costages et despens en alant et retournant, - cc. francs.

Item, mesme le jour, paie a Bertruquet de Guotz, messager portanz lettres as certeyns villes et lieux, barons et seignurs du paiis d'Aquitain, pur vener a Bourdeaux, pur conseiller et ordeigner sur l'estat du dit paiis par xxiv. jours, prenant chescun jour x. d. sterl., vi. francs.

Item, mesme le jour, paie a William Pradeyrs et William Lambert, sergeantz du Roy, portantz lettres pur mesme la dite cause par xii. jours, chescun prenant par le jour de ses gages x. d. sterl., vi. francs.

Item, paie a Laurence Messager, portantz lettres au Roy nostre seignur a son conceil d'Engleterre et a duk de Lancastre, certifiantz a eux l'estat du dit pais d'Aquit', - - - - xvi. francs.

Item, paie, le v. jour de Novembre, a Johan de Stratton, sire de Landras, pur ses travaills, costages, et despences alant en Engleterre, devers le Roy et son conseil, pur grosses et chargeantes negoces touchantz l'estat et profit du dit pais d'Aquitain, - cccc. francs.

Item, paie, le x. de Decembre, a Thomas de Etton, alant en Engleterre devers le Roy et son consel pur semblable cause, - cc. francs.

Somme viii c. xxviii. francs.

Item, paie, le xv. jour de Novembre, l'an suisdit, a monsieur Geffroy d'Argenton, pur xx. hommes d'armes et xx. archers montez et armez, a demurrer sur la garde et tuition de la ville de Burgh et le paiis la entour par un mois, comenceant le xxii. de Novembre suisdit; au qil jour les endentures des convenantz, faitz en Engleterre, entre nostre seignur le Roy et ly, de sa retenue, estoient acomplez et fynez; prenant pur chescun homme d'armes xv. francs, et pur chescun des ditz archers v. francs, - cccc. francs.

Item, paie, le xv. jour d'Octobre, l'an suisdit, a Geraut Prevost, pur x. hommes d'armes et x. archers sur la garde et tuition de la ville de Libourne, et aillours sur la paiis, par un mois, prenant pur chescun homme d'armes oue son archer xx. francs, - cc. francs.

Item, paie, le xx. jour de Decembre,, a monsieur Geffroy d'Argenton suisdit, pur xx hommes d'armes et xx. pillards montez et armez, a demurrer sur la garde et tuition de la ville de Burgh et la paiis la environ par ii. mois, comenceances le xx. jour suisdit, prenant pur chescun homme d'armes ovesque son pillard xx. francs en le mois, d. ccc. francs.

Somme m^l. cccc. francs.

Item, paie, le xx. jour d'Octobre, l'an lxxviii. suisdit, a monsieur Thomas Trivet, pur server au Roy de Navaire en ses guerres par ii. mois, ovesque viii^xx. combatans, les queux il amesna hors d'Engleterre, paiez illueques les gages du Roy per un demi an, le quel terme n'estoit pas acompli a son departier par regard des costages de ly et ses compaignons, - - - m. vi c. francs.

Item, paie, au dit monsieur Thomas pur xx. hommes d'armes et xx. archers en sa compaignie, pur server come devant par ii. mois, prenant pur chescun home d'armes ovesque son archer xx. francs par mois, - - - - - - - viii c. francs.

Item, mesme le jour, paie a Monot de Plassau, pur l. homes d'armes et l. pillards montez et armez, pur server au Roy de Navarr en ses guerres par ii. mois, comenceantz le primer jour de lour venu a Seint Johan de P. des ports, prenant pur chescun home d'armes ovesque son pillard xx. francs en le mois, - mm. francs.

Item, mesme le jour, paie au dit Menot, en recompensacion et regard de les grandes costages et services q'il a fait et ferra en cest viage, c. francs.

Item, mesme le jour, paie au Andreu Handax pur l. hommes d'armes et l. archers pur server au dit Roy de Navaire come dessus par ii. mois, comenceances come devant, prenant pur chescun homme d'armes ove son archere xx. francs en le mois, - mm. francs.

Item, paie au dit Andreu en recompensacion et reguard de ses grandes services q'il a fait et ferra et costages de ly et de ses compaignons, cc. francs.

Somme vi m. vii. c. francs.

Item, paie, le vii. jour de Novembre, l'an lxxviii., a monsieur William Gray, pur xx. hommes d'armes et xx. pillards montez et armez, a demurrer sur la guarde et tuition du paiis de Landes par un mois, comenceant mesme le jour, prenant pur chescun homme d'armes ovesque son pillard xx. francs le mois, - - cccc. francs.

Item, paie, le v. jour de Decembre, mesme an, au dit monsieur William, pur xv. hommes d'armez et xv. pillards montez et armez, demurrantes sur la guarde et tuition du dit paiis par un mois comenceant mesme le jour, prenant pur chescun home d'armes, ove son pillard, cx. francs par mois, - - - - - - ccc. francs.

Item, paie, le ii. jour de Novembre suisdit, a Johan de Wodhal et Johan de Norbori pur avoir la lyveree du chastel de Fronssac a mon dit seignur le lieutenant en noun du Roy nostre tressoverayn seignur de Fraunce et d'Engleterre, de quel chastell mon dit seigneur le lieutenant ne poan avoir la lyveree sanz paier a la porte de dit chastell, - - - - - - - vi m. francs.

Somme vi^ml. vii. c. francs.

Et memorandum quod, tam prædictus Johannes de Nevyll quam præfatus Johannes de Mittford, decimo octavo die Augusti, anno præsenti, venerunt in cancellariam Regis, in ecclesiâ fratrum de Monte Carmeli in suburbio Londoniæ, et recognoverunt indenturas prædictas, et omnia contenta in eisdem, in formâ prædictâ.

Super financiâ Gaucheri de Chastillon.

A.D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, volens pro securitate Gaucheri de Chastillon chivaler, prisonarii domini de Nevill, qui, pro solutione financiæ suæ, ad partes proprias profecturus est, providere, per literas suas patentes, usque ad festum Circumcisionis Domini proximò futurum, duraturas, suscepit ipsum Gaucherum, cum sex hominibus generosis, militibus seu armigeris, in comitivâ suâ, unà cum valettis suis, equitibus vel peditibus, tam per terram quam per mare, nocte dieque, per dominium et potestatem Regis, versus partes prædictas transeundo, ibidem morando, et exindè in regnum nostrum Angliæ redeundo, in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suas speciales.

Teste Rege, apud Shene, xix. die Augusti.

Ligarum cum Rege, ratificatio Imperatoris.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot Franc. 6 R c. II. m. 27. in Turr. Lond.

WENCESLAUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex, semper Augustus, et Boemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium, universis, quod inspeximus literas quarumdam ligarum, amicitiarum, et confœderationum, inter serenissimum principem et dominum Richardum, Dei gratiâ, Regem Angliæ et dominum Hiberniæ, fratrem nostrum carissimum, per Edmundum comitem Cantebrigiæ, Hugonem de Segrave senescallum hospitii, Albredum de Veer camerarium, ipsius Regis Angliæ, ambassatores et procuratores suos, ex parte unâ, et nos, per Przemislaum ducem Theschinensem, Conradum Kreiger, Petrum de Wartemberg, ambassatores et procuratores nostros, ex alterâ, sigillis eorumdem ambassatorum seu procuratorum munitas; quarum tenor sequitur in hæc verba;

Universis sanctæ matris ecclesiæ filiis, præsentes literas inspecturis, nos, Przemislaus, Dei gratiâ, dux Theschinensis, Conradus Kreiger magister curiæ, Petrus de Wartemberg, magister cameræ, serenissimi principis et domini, domini Wenceslai, Dei gratiâ, Romanorum et Boemiæ Regis, necnon Edmundus comes Cantabrig', Hugo de Segrave senescallus hospitii, et Albredus de Veer, camerarius, illustrissimi principis et domini, domini Richardi, Dei gratiâ, Regis Angliæ, milites, ambassatores, commissarii, seu procuratores ad quasdam amicitias, ligas, seu confœderationes, inter serenissimos principes, Reges prædictos, dominos nostros metuendissimos, tractandas, iniendas, et concordandas, *&c. prout supra in tractatu de dat. secundo die Maii, tunc sic,*

Quas quidem ligas, confœderationes, et amicitias, ac omnia et singula contenta in eisdem, nos, Wenceslaus, Dei gratiâ, Romanorum et Boemiæ Rex prædictus, auctoritate nostrâ regiâ, confirmamus, approbamus, et ratificamus;

Ipsasque in omnibus et singulis suis articulis, ex certâ nostrâ scientiâ, de novo facimus, contrahimus, et inimus;

Ac easdem, absque dolo et fraude, inviolabiliter tenere et observare, tenerique et observari facere, quantum ad partem nostram attinet, promittimus bonâ fide;

Defectum, si quis in procuratoriis partis nostræ, seu aliundè fuerit in præmissis, ex certâ scientiâ ac regiâ auctoritate supplentes, præsentium, sub regiæ nostræ majestatis sigillo, testimonio literarum.

Datum Prage, anno Domini milesimo trecentesimo octogesimo primo, indictione quartâ, in kalendas mensis Septembris, regnorum nostrorum, anno Boemiæ decimo nono, Romanorum verò sexto.

Memorandum quod literæ prædictæ irrotulatæ fuerunt ex præcepto concilii domini Regis.

De custodiâ castri Calesii, Johanni de Burley juniori, commissâ.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Johannis de Burley le fitz, plenariè confidentes, commisimus eidem Johanni custodiam castri nostri Calesii, habendam à festo Sancti Michaelis proximò futuro, in unum annum proximò sequentem, juxta formam cujusdam indenturæ indè inter nos et ipsum Johannem confectæ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x die Septembris.

Per ipsum Regem.

Et mandatum est dilecto et fideli Regis Johanni Devereux, capitaneo villæ Calesii, quod eidem Johanni castrum prædictum cum pertinentiis, unà cum victualibus, armaturis, attillariis et omnibus aliis rebus Regis in castro prædicto, sub custodiâ suâ existentibus, per indenturam indè inter eos modo debito conficiendam, liberet, habendum juxta tenorem litterarum Regis prædictarum: vult enim Rex ipsum indè erga Regem à prædicto festo Sancti Michaelis exonerari.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem.

De proclamatione faciendâ, quod certi commissionarii supersedeant executioni litterarum Regis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 35. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Licet nos nuper, ad querimoniam diversorum ligeorum nostrorum, suggerentium sibi diversa transgressiones et gravamina, ut in asportatione bonorum et catallorum suorum, et abductione diversorum averiorum suorum, et aliis modis quamplurimis, per quosdam malefactores et pacis nostræ perturbatores, nuper in diversis comitatibus regni nostri Angliæ insurgentes, diversimodo fuisse illata; per diversas litteras nostras patentes assignaverimus certos commissionarios nostros, ad informandum se, sive ad inquirendum, per sacramentum proborum et legalium hominum de ballivâ tuâ, per quos rei veritas melius sciri posset, de nominibus omnium illorum, qui hujusmodi transgressiones et gravamina perpetrarunt, et ad quorum manus averia, bona et catalla prædicta, seu aliqua parcella eorumdem, devenerunt, et in quorum manibus fuerunt;

Et ad omnes illos, quos iidem commissionarii nostri per inquisitionem in eâ parte capiendam, vel per informationem debitam, aut alio modo legitimo, invenire possent, averia, bona et catalla prædicta habuisse, occupasse vel detinuisse, ad ea, si extent, aut pretium, vel verum valorem eorumdem, si non extent, sine dilatione restituendum;

Et ad ipsos, qui maneria, domos et tenementa hujusmodi conquerentium prostraverunt, ad competentes emendas eis indè faciendum, per districtiones, et corporum suorum incarcerationes, et alios vias et modos, quibus melius et celerius expedire viderent, compellendum; et ad quædam alia in litteris prædictis contenta, faciendum et explendum, prout in eisdem litteris plenius continetur.

Quia tamen certitudinaliter informamur, quod commissionarii nostri prædicti populum nostrum dicti comitatûs, colore litterarum nostrarum prædictarum, per extortiones, et alia gravamina intolerabilia eidem populo nostro indies facta, opprimunt et inquietant ultra modum, minus justè;

Nos, volentes eundem populum nostrum à quibuscumque vexationibus indebitis preservare, ut tenemur, et præfatis conquerentibus de alio remedio providere, tibi præcipimus, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, in singulis locis infra ballivam tuam, ubi melius expedire videris, publicè proclamari facias, quod omnes et singuli commissionarii, ad præmissa facienda, ut præmittitur, assignati, cuicumque processui versus quoscumque de populo nostro, prætextu litterarum nostrarum prædictarum exnunc faciendo, ac etiam executioni earumdem litterarum, sub gravi forisfacturâ nostrâ penitùs supersedeant, et omninò.

Et quod omnes et singulos, eâ de causâ, captos et incarceratos, à prisonâ deliberent indilatè, alioquin tuipse eos à prisonâ, quâ sic detinentur, si eâ occasione et non aliâ detineantur in eàdem, deliberari facias; quodque omnes illi, qui de hujusmodi transgressionibus et gravaminibus sibi illatis conqueri voluerint, ad curiam nostram accedant, ubi eis, et eorum cuilibet, de novo et oportuno juris remedio faciemus, prout convenit, provideri.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Septembris.

Per concilium.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus subscriptis; videlicet,

Vic' Middlesexiæ.
Vic' Surriæ et Sussexiæ.
Vic' Essexiæ et Hertfordiæ.
Vic' Bedfordiæ et Bukinghamiæ.
Vic' Norfolciæ et Suffolciæ.
Vic' Cantebr' et Huntingdoniæ.

Pro Thoma de Percy, super custodiâ castri de Brest.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 13. in Turr. Lond.

REX, universis, &c. salutem. Cum commiserimus dilecto et fideli consanguineo nostro, Thomæ de Percy, custodiam castri de Brest in Britannia, in manu nostrâ, certis de causis, existentis;

Habendam eidem Thomæ, sub certâ formâ, à festo Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, proximò præterito, ad terminum trium annorum;

Percipiendo, pro custodiâ prædictâ, pro tempore quo sic eandem custodiam habuerit, omnia proficua redemptionum, quæ super inimicos nostros fient, per compulsionem gentium, sub ipso Thoma, in dicto castro moraturarum, necnon lucra quæ supra mare, durante eodem termino, per gentes ipsas lucrata fuerint, ac etiam omnimodos redditus, reventiones, custumas, et commoditates, tam provenientes de sutariis, brevibus et ramis ibidem, quam aliter, dicto castro pertinentibus absque aliquo nobis indè reddendo, prout in indenturâ, inter nos et prædictum Thomam indè confectâ, pleniùs continetur;

Vobis mandamus quod præfatum Thomam, et ejus loca tenentes seu deputatos, omnia proficua redemptionum, lucra, redditus, reventiones, custumas, et commoditates prædicta liberè percipere et eis gaudere permittatis, ex causâ supradictâ, absque impedimento quocumque;

Et quod aliquibus navibus, naviculis, bargeis, balingeris, seu batellis, quæ cum victualibus, vel aliis necessariis, pro sustentatione gentium prædictarum, ad dictum castrum venire contigerit, seu marinariis vasorum eorumdem, aut mercatoribus dictorum victualium aut necessariorum, eundo, morando, vel redeundo, dampnum aliquod, violentiam, seu gravamen non inferatis quovismodo, durante termino supradicto.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxi. die Septembris.

Per breve de privato sigillo.

Super possessione villæ de Rupella.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Vascon. 5 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, universis, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilectorum et fidelium nostrorum Bertucati de le Bret, Johannis de Stratton domini de Landiras, et Willielmi Dale clerici, pleniùs confidentes;

Assignavimus ipsos, conjunctim et divisim, ad possessionem villæ de Rupella, per consensum et avisamentum quorumdam fidelium burgensium nostrorum villæ prædictæ, quibus plenam gratiam nostram fecimus ex hàc causâ, loco et nomine nostro capiendum et continuandum;

Ac etiam ad obedientias et sacramenta fidelitatis, quorumcumque burgensium, et aliorum habitantium in prædictâ villâ, pro nobis recipiendum;

Necnon ad ordinandum pro salvatione et gubernatione villæ prædictæ, ac commodo et honore nostris in hâc parte, prout eis, et eorum cuilibet, melius et securius videbitur expedire;

Et ideò vobis mandamus quod eisdem Bertucato, Johanni, et Willielmo, et eorum cuilibet, in præmissis faciendis et explendis, intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes, prout ipsi vel aliquis eorum vobis scire fecerint, vel fecerit ex parte nostrâ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De restitutione temporalium episcopatûs Dunolmensis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni Bygod, escaetori suo in comitatu Eborum, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, nuper vacante ecclesiâ cathedrali Dunolmensi, per mortem, bonæ memoriæ, Thomæ ultimi episcopi illius loci, eidem ecclesiæ de venerabili viro Johanni de Fordham, canonico Lincolniensi, providerit, et ipsum in episcopum loci illius præfecerit et pastorem, sicut per literas bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat;

Nos, pro eo quod idem episcopus omnibus et singulis verbis, in dictis literis bullatis contentis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, spontè, palam, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit, volentes eidem episcopo gratiam facere specialem, cepimus fidelitatem ipsius episcopi, et temporalia dicti episcopatûs, cum pertinentiis, restituimus eidem;

Et ideò tibi præcipimus quod eidem episcopo omnia temporalia episcopatûs prædicti, cum pertinentiis, in ballivâ tuâ, liberes in formâ prædictâ.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris.

Per ipsum Regem.

Consimilia brevia diriguntur escaetoribus subscriptis, sub eàdem datâ; videlicet,

Nicholao Rymes, escaetori Regis in comitatu Northumbriæ.
Johanni de Newenton, escaetori Regis in comitatu Middlesexiæ.

Et mandatum est Johanni de Nevill, custodi temporalium episcopatûs prædicti, vacantis, et in manu Regis existentis, quod eidem episcopo omnia temporalia episcopatûs prædicti, cum pertinentiis, quæ in custodiâ suâ ex commissione Regis existunt, liberet in formâ prædictâ; vult enim Rex ipsos indè erga ipsum exonerari.

De temporalibus archiepiscopatûs Cantuariæ restituendis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 17. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Johanni de Newenton, escaetori suo in comitatibus Kantiæ et Middlesexiæ, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, venerabilem patrem, Willielmum episcopum Londoniensem, à vinculo, quo eidem Londoniensi ecclesiæ tenebatur, de apostolicæ potestatis plenitudine absolvens, ipsum ad sedem Cantuariensis ecclesiæ, per mortem, bonæ memoriæ, Simonis ultimi archiepiscopi ecclesiæ illius, vacantis, transtulerit, et ipsum in archiepiscopum dictæ ecclesiæ Cantuariensis præfecerit et pastorem, sicut per literas bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat;

Ac idem archiepiscopus omnibus et singulis verbis, in dictis literis bullatis contentis, nobis seu juri coronæ nostræ præjudicialibus, spontè, palàm, et expressè renunciaverit, et super hoc gratiæ nostræ humiliter se submiserit;

Nos, eo prætextu, volentes præfato archiepiscopo gratiam in hâc parte facere specialem, cepimus fidelitatem ipsius archiepiscopi, et temporalia archiepiscopatûs prædicti, de gratiâ nostrâ speciali, restituimus eidem;

Et ideò tibi præcipimus quod eidem archiepiscopo temporalia prædicta, cum pertinentiis, in ballivâ tuâ, liberes in formâ prædictâ.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Octobris.

Per ipsum Regem.

Pro cardinali Tibercinensi, præcentore ecclesiæ Eboracensis, et præbendario de Brampton.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 18. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, ob affectionem et benivolentiam quas reverendissimus in CHRISTO pater cardinalis Tibercinensis erga nos et regnum nostrum gerit, prout veraciter sumus informati, concessimus eidem cardinali, quantum in nobis est, quod ipse possessionem præcenteriæ ecclesiæ Eboracensis, et præbendæ de Brampton in ecclesiâ Lincolniensi, de quibus sibi per dominum Summum Pontificem debitè, ut dicitur, provisum existit, per procuratores ipsius cardinalis adipisci, adeptamque continuare;

Necnon fructus et proventus earumdem, *&c. prout in ejusmodi de licentiâ literis.*

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Octobris.

Per breve de privato sigillo.

Pro comitivâ dominæ Annæ, futuræ consortis Regis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. ad quos, &c. salutem.

Volentes pro securitate Johannis Eutermynel de Luk, Lumbardi, qui in comitivâ serenissimæ dominæ, dominæ Annæ, volente DOMINO, Reginæ et consortis nostræ futuræ, in regnum nostrum Angliæ, pro quibusdam negotiis præfatæ dominæ Annæ expediendis, ut accepimus, in proximo est venturus, providere;

Suscepimus ipsum Johannem, veniendo in regnum nostrum prædictum, per dominium et potestatem nostra, tam per terram quam per mare, ibidem ex causâ prædictâ morando, et exindè ad propria redeundo, necnon servientes et familiares, ac res, bona, et hernesia sua quæcumque, in salvum et securum conductum nostrum, necnon in protectionem et defensionem nostras speciales;

Et ideò vobis mandamus, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. per dimidium anni duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Octobris.

Per concilium.

Pro conservatione pacis in civitate London.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Claus. 5 Ric. II. m. 31. d. in Turr. Lond.

REX, majori et vicecomitibus London', salutem.

Volentes, de avisamento concilii nostri, hiis, quæ pacem et quietem populi nostri concernunt, et præcipuè tempore præsentis parliamenti nostri in civitate nostrâ London', ad quam magna pars tam dominorum et magnatum quam aliorum, causâ ejusdem parliamenti, confluere dinoscuntur, primitùs providere, vobis, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, injungimus et mandamus, quod, omnibus aliis prætermissis, pro conservatione pacis nostræ in eâdem civitate et suburbiis ejusdem, meliori et securiori modo quo poteritis, ordinare curetis.

Et insuper, in eâdem civitate et suburbiis ejusdem, ex parte nostrâ publicè proclamari faciatis, quod nullus extraneus vel privatus, præter illos tamen quos pro conservatione dictæ pacis nostræ in eâdem civitate deputaveritis, postquam ad hospitia sua venerint, infra civitatem et suburbia prædicta, armati ire vel incedere, nec aliquis gladium super se, vel post se, præterquam miles gladium suum, deferat, vel deferre præsumat, sub forisfacturâ armaturarum suarum, et pœnâ imprisonamenti corporis sui, ad voluntatem nostram.

Paribus tamen regni nostri pro corporibus suis propriis, ac militibus et armigeris de familiâ et retinentiâ nostris, quos volumus armaturas et arma sua pro voluntate suâ deferre, dumtaxat exceptis;

Vobis etiam injungimus et mandamus, quod omnes et singulos extraneos ad dictam civitatem declinantes, tam amicabiliter et honestè pertractetis, quod causa turbationis pacis nostræ non eveniat in hâc parte.

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum, ac salvationem regni nostri et civitatis prædictæ diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu, super duello vadiato.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis custodibus marchiarum regni nostri Angliæ versus partes Scotiæ, capitaneis, castellanis, et eorum loca tenentibus, necnon vicecomitibus, majoribus, ballivis, et aliis ligeis et fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod cum, ex assensu nostro et illustris principis Roberti, consanguinei nostri de Scotia, quoddam duellum, inter Johannem Chattowe de Scotia armigerum, partem appellantem, et Willielmum de Badby, ligeum nostrum, partem defendentem, in festo Sanctæ Katerinæ proximò futuro, infra unam leucam circa Lylyot Cros terminandum, vadiatum existat;

Suscepimus ipsum Johannem Chattowe et quoscumque alios de parte Scotiæ, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, ad locum prædictum ex causâ duelli prædicti venturos, veniendo ad locum prædictum, ibidem morando, et exindè ad propria redeundo, necnon eorum equos, res, et hernesia quæcumque, in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensionem nostras speciales;

Et ideò vobis mandamus, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. usque ad festum Sancti Andreæ proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De interessendo duello supradicto.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Henrico filio Henrici de Percy comitis Northumbriæ primogenito, consanguineo nostro, Radulpho filio Johannis de Nevill de Raby primogenito, Johanni de Harleston, et Willielmo de Farendon, militibus, salutem.

Sciatis quod cum, ut accepimus, quoddam duellum, inter Johannem de Chathowe de Scotia, appellantem, et quendam ligeum nostrum Willielmum Badby, defendentem, prope Liliot Crosse, in marchiis Scotiæ, in festo Sanctæ Katerinæ Virginis proximò futuro, coram præfato comite fiendum, vadiatum existat;

Ac idem comes, circa ardua negotia, in præsenti parliamento nostro, de præcepto nostro speciali, in tantum sit occupatus, quod ipse captioni

duelli prædicti, dictis die et loco, personaliter interesse non poterit ullo modo;

Nos, nolentes ea, quæ in præmissis ritè fieri debent, ob defectum subditorum nostrorum, aliqualiter impediri, assignavimus vos, tres, et duos vestrûm, ad interessendum duello prædicto, die et loco prædictis, cum continuatione dierum et locorum si oporteat;

Et ad faciendum ibidem et expediri demandandum quicquid præfatus comes faceret et deberet, si in personâ suâ ibidem præsens esset;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini, prout decet, in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis ligeis subditis et fidelibus nostris, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, tribus, et duobus vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, pareant et intendant, nomine nostro, prout decet. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De pace infra libertates Quinque Portuum conservandâ, et rebellibus arestandis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 10. in Turr Lond.

REX, dilecto et fideli suo Roberto de Assheton, constabulario castri nostri Dovorr', et custodi Quinque Portuum nostrorum, vel ejus locumtenenti ibidem, salutem.

Quia certi ligei et fideles nostri, quos ad villam nostram Dovorr', et abindè supra mare, versus serenissimam dominam, DOMINO annuente, consortem nostram futuram, ad partes transmarinas proficisci ordinavimus, ad præsentiam nostram in proximo sunt redituri:

Nos, volentes pro salvo transitu et securo adventu dictorum ligeorum et fidelium nostrorum salubriter providere, vobis, firmiter injungendo, mandamus quod pacem nostram in villâ prædictâ, et alibi infra ballivam vestram, in præsenti viagio, securiori modo quo fieri poterit, custodiri faciatis;

Ita quod malum aliquod alicui ligeorum nostrorum, aut aliis de amicitiâ nostrâ existentibus, non eveniat quoquo modo: et quoscumque rebelles in hâc parte, vel contra pacem nostram delinquentes, si quos inveneritis, arestetis, et prisonis nostris mancipetis, in eisdem moraturos quousque pro eorum punitione aliter duxerimus ordinandum:

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum diligitis, ac vos indempnes servare volueritis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxi. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro Willielmo Tany, cancellario Hiberniæ constituto.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 11. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod commisimus fratri Willielmo Tany, hospitalis Sancti Johannis Jerusalem in Hiberniâ, officium cancellarii nostri Hiberniæ, habendum quamdiu nobis placuerit, percipiendo in officio illo feodum consuetum, unà cum exitibus sigilli nostri officii prædicti, prout alii cancellarii nostri Hiberniæ percipere consueverunt. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Novembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis de terrâ Regis prædictâ, quod eidem priori, tanquam cancellario Regis terræ prædictæ, in omnibus, quæ ad officium cancellarii pertinent, intendentes sint et respondentes.

In cujus, &c.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

Et mandatum est magistro Johanni de Colton nuper cancellario Regis terræ prædictæ, quod eidem priori officium prædictum unà cum sigillo prædicto, ac omnibus aliis officium illud tangentibus, liberet: vult enim Rex ipsum Johannem erga ipsum Regem exonerari.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

Littera Regis, de innotescendo.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Cum nuper, dum nobilis vir, Henricus de Veer de Zeland, cum certis militibus, scutiferis, et aliis gentibus suis, supra mare, in quâdam navi, versus regnum nostrum Angliæ velâsset, ad peregrinandum versus villam de Walsyngham, et vota sua Beatæ Mariæ Virgini ibidem devotis laudibus exsolvendum;

Quidam, de parte adversarii nostri Franciæ, præfatum Henricum, unà cum militibus et aliis gentibus suis prædictis, modo guerrino ceperunt, et ipsos, tanquam captivos et prisonarios, secum ad partes Franciæ duxerunt, imponentes eis, ut intelleximus, quod dictus Henricus, versus nos et concilium nostrum, ad tractandum nobiscum de amicitiis sive ligis, se divertit, seu quod cum domino Edwardo nuper Rege Angliæ avo nostro, aut nobis, seu de parte nostrâ, contra adversarios nostros Franciæ se armavit;

Nos, præmissa considerantes, ac pium opus fore et meritorium, maximè ubi casus id requirit, veritati testimonium perhibere, universitatis vestræ notitiæ deducimus, et pro vero testificamur, quod præfatus Henricus numquam nobiscum, seu cum concilio nostro, per ipsum aut per mediam personam quamcumque, de amicitiis sive ligis tractavit seu locutus fuit, seu quod scimus, in proposito tractandi extitit, nec cum dicto avo nostro, aut nobis, seu ex parte nostrâ, armatus fuit contra adversarios nostros prædictos, nec se in aliquo contra eos cum nostris immiscuit quovismodo;

Et hoc, ut veritas patefiat, vobis innotescimus per præsentes.

In cujus, &c.

Dat' sub magno sigillo nostro, apud palatium nostrum Westmon', xxvii. die Novembris.

Per concilium, nunciante Johanne de Fordham, electo Dunolmensi, custode privati sigilli.

De confirmatione cartæ Athelstani, quondam Regis Angliæ, pro burgensibus villæ Meldulnensis.

A. D. 1381. An 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus cartam domini Athelstani, quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri, factam burgensibus villæ Meldulfnensis in hæc verba:

✠ Ego Athelstanus, Rex Anglorum, do pro me et meis successoribus, burgensibus meis, et eorum omnibus successoribus Meldulfnensis burgi, quod habeant et teneant semper omnes functiones et liberas consuetudines suas, sicut tenuerunt tempore Regis Eduuardi patris mei, illibatè et honorificè;

Et præcipio omnibus sub imperio meo, quod non faciant eis injuriam, et sint quieti absque calumpniâ de burghbote, brugbote, wardwyte, horngeld et scot.

Et do et concedo eis illam brueram regiam quinque hydarum terræ, juxta villunculam meam de Nortona, propter auxilium eorum in conflictu meo contra Daneos.

Confecta est hujus donationis cartula, cum signo meo, per testimonium Edmundi fratris mei, et per concilium magistri Wolsini cancellarii mei, et Odonis thesaurarii mei, et Godwini.

Godwinus qui fert vexillum Regis perquis' hoc pro burgensibus.

NOS autem cartam prædictam, et omnia contenta in eâdem, rata habentes et grata, ea pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, acceptamus, approbamus, ratificamus, et præfatis burgensibus et eorum heredibus et successoribus, burgensibus villæ prædictæ, imperpetuum concedimus et confirmamus, prout carta prædicta rationabiliter testatur.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Novembris.

Per concilium in parliamento, et per finem centum solidorum solut' in hanaperio.

De deliberatione magni sigilli.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 27. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod W. electus Cantuariensis confirmatus, nuper cancellarius Angliæ, in festo Sancti Andreæ Apostoli, videlicet, tricesimo die Novembris, anno regni Regis Ricardi secundi post conquestum quinto, liberavit eidem domino Regi, apud Westmonasterium, in quâdam camerâ nostrâ, infra privatum palatium, vocatâ la Redechaumbre, magnum sigillum suum in quâdam bursâ, sub sigillo ejusdem electi consignatâ:

Et postmodum, die Dominicâ tunc proximò sequenti, idem dominus Rex, apud manerium suum de Kenyngton, post cœnam, bursam prædictam aperiri, et quandam commissionem, per quam assignavit Johannem de Holand fratrem suum, Johannem de Montagu senescallum hospitii sui, et Simonem de Burle camerarium suum, ad, serenissimam dominam, dominam Annam Reginam, nomine Regis, recipiendum, et ad præsentiam suam ducendum, coram eo, in præsentiâ ejusdem electi, et domini Johannis de Waltham custodis rotulorum cancellariæ ejusdem Regis, sigillari fecit:

Et postmodum, die Lunæ tunc proximò sequenti, idem dominus Rex, apud manerium prædictum, in principali camerâ suâ ibidem, circa horam primam, sigillari fecit diversa cartas, commissiones, literas patentes, et brevia in præsentiâ suâ, dicto custode rotulorum, et domino Ricardo de Ravenser, et diversis aliis clericis cancellariæ, præcepto Regis, ibidem tunc existentibus:

Et postmodum, die Mercurii tunc proximò sequenti, dictus dominus Rex, apud Westmonasterium, in dictâ camerâ suâ ibidem, circa horam nonam, liberavit Ricardo le Scrop sigillum prædictum, in bursâ prædictâ existens, signeto ejusdem Regis consignatâ, in præsentiâ Johannis ducis Lancastriæ, et aliorum magnatum, tunc ibidem existentium;

Et idem Ricardus le Scrop, facto sacramento suo dicto domino Regi, prout moris est, in præsentiâ dominorum prædictorum, sequenti die, videlicet, die Jovis tunc proximò sequenti, in placeâ cancellariæ, in magnâ aulâ Westmonasteriensi, bursam prædictam aperuit, et ibidem diversa cartas, commissiones, literas patentes, et brevia, in præsentiâ clericorum ejusdem cancellariæ, consignari fecit.

De dominâ Anna, Reginâ futurâ, ad præsentiam Regis ducendâ.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, carissimo fratri suo Johanni de Holand, ac dilectis et fidelibus nostris, Johanni de Monte Acuto senescallo hospitii nostri, et Simoni de Burle camerario nostro, salutem.

Sciatis quod cum, inter cæteros articulos ligarum et amicitiarum, inter illustrissimum principem, dominum Wenceslaum, DEI gratiâ, Romanorum et Bohemiæ Regem, Imperatorem futurum, fratrem nostrum carissimum, et nos, per ambassatores nostros, ex utrâque parte, nuper tractatarum et initarum, concordatum fuisset quod serenissima domina, domina Anna, præfati Romanorum et Bohemiæ Regis soror inclita, nobis in uxorem legitimam per parentes et amicos ipsius dominæ, danda, assignanda, et matrimonialiter copulanda, ad regnum nostrum Angliæ, seu villam Calesii, expensis præfati Regis Romanorum et aliorum suorum amicorum traducatur, nobisque sana et incolumis, quantum in DEO fuerit, effectualiter liberetur;

Nos, volentes pro salubri regimine et decenti custodiâ status dictæ dominæ securè et honorificè providere, ac de legalitate, discretione, et industriâ vestris providis pleniùs confidentes, assignavimus vos, et duos vestrûm, ad præfatam dominam Annam, de ambassatoribus sive nunciis prædicti Romanorum et Bohemiæ Regis illustris, ac aliorum amicorum suorum, honestiori modo quo sciveritis, ac cum eâ, qua decet, reverentiâ, apud dictam villam Calesii, nomine nostro, recipiendum, et usque præsentiam nostram, unà cum moderatâ familiâ, ac apparatu, et hernesiis suis quibuscumque, nostris sumptibus, adducendum, necnon ad omnia alia, quæ in præmissis necessaria fuerint, cum celeritate rationabili, faciendum et realiter adimplendum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa efficaciter intendatis in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis dominis, magnatibus, admirallis, capitaneis, castellanis, et eorum loca tenentibus, custodibus portuum maris, et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris quibuscunque, tam per terram quam per mare, constitutis, tenore præsentium, districtiùs quo possumus in mandatis, quod vobis et duobus vestrûm, in præmissis faciendis et explendis, consulentes sint, respondentes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos, vel duos vestrûm, super hoc requisiti fuerint ex parte nostrâ.

Dat' in palatio nostro Westmonasterii, sub magni sigilli nostri testimonio, primo die Decembris.

Per ipsum Regem.

Pro Alexandro de Lyndesey, ad Terram Sanctam profecturo.

A.D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, &c. salutem. Sciatis quod cum Alexander de Lyndesey, chivaler de Scotia, versus Terram Sanctam peregrè sit profecturus, ut dicitur;

Suscepimus ipsum Alexandrum, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Decembris.

Per concilium.

Consimiles literas Regis de conductu habent subscripti, cum hominibus et equis subscriptis, per idem tempus duraturas, sub eâdem datâ; videlicet,

Patricius de Hebborne, chivaler de Scotia, cum duodecim hominibus et duodecim equis.

Johannes de Abbernethy, chivaler de Scotia, cum sex hominibus et sex equis.

Johannes de Edmonston chivaler.

Et Johannes de Toures, chivaler de Scotia, cum sexdecim hominibus et sexdecim equis.

De generali pardonatione, ad requisitionem Annæ futuræ consortis Regis concessâ, proclamandâ.

A.D. 1381. An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 23. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Cum nos, ob reverentiam DEI, et ad specialem requisitionem serenissimæ dominæ, dominæ Annæ, volente DOMINO, consortis nostræ futuræ, et ut singuli subditi nostri corda assumant hilariora erga nos in fide et dilectione fideliter permanere, de gratiâ nostrâ speciali, in præsenti parliamento nostro, certas gratias, pardonationes, et remissiones generales singulis subditorum nostrorum prædictorum, quarumcumque partium regni nostri Angliæ, eas exposcere volentibus, certis personis in curiâ nostrâ nominatis, ac etiam hominibus civitatis nostræ Cantuariensis, ac villarum Cantebrigiæ, de Briggewater, de Sancto Edmundo, de Beverlaco, et Scardeburgh, certis de causis, duntaxat exceptis, facere ordinaverimus et concesserimus;

Tibi præcipimus quod in singulis villis et locis comitatûs tui, ubi expediens fuerit et necesse, ex parte nostrâ, publicè proclamari facias quod omnes et singuli, qui beneficium hujusmodi gratiarum, pardonationum, et remissionum optinere voluerint, exceptis personis et hominibus præexceptis, ad curiam nostram accedant sive mittant, cartas indè, citra festum Pentecostes proximò futurum, pro feodo magni sigilli nostri tantùm solvendo, prosecuturi, si sibi viderint expedire;

Et ulteriùs, quia in parliamento nostro prædicto, publica et frequens fiebat querimonia quod, in detestabili insurrectione, nuper factâ, in diversis partibus dicti regni, quidam subditorum nostrorum obligationes, relaxationes, et quietas clamantias, ipsis invitis, per metum et duritiam facere cogebantur, quodque diversa cartæ, scripta, munimenta, rotuli, evidentiæ, et rentalia prælatorum, dominorum, et magnatum, ac aliorum subditorum nostrorum, libertates, feoda, et tenuras suas tangentia, tempore insurrectionis prædictæ, perperam combusta fuerunt et destructa, unde ipsis immensum provenire poterit præjudicium, nisi, de assensu parliamenti, eis de celeriori remedio succurratur;

Tibi præcipimus quod, in villis et locis prædictis, facias similiter publicè proclamari quod omnes et singuli, cujuscumque statûs seu conditionis fuerint, qui de hujusmodi obligationibus, relaxationibus, sive quietis clamantiis, per ipsos, ex metu et duritiâ, in insurrectione prædictâ factis, sive de combustione et destructione cartarum, scriptorum, munimentorum, evidentiarum, seu rentalium hujusmodi senserint se gravatos, et conqueri voluerint, ad parliamentum nostrum prædictum, usque ad vigiliam Conversionis Sancti Pauli proximò futuram, prorogatum, accedant sive mittant, remedium in eodem parliamento, de avisamento et ordinatione prælatorum, procerum, et magnatum, ac communitatis regni nostri prædicti, in hâc parte consecuturi, si sibi viderint expedire; non expectantes, finito parliamento prædicto, remedium super hiis aliqualiter optinere:

Et hoc nullatenus omittas.

Teste meipso, apud Westm', xiii. die Decembris.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam.

De conductubus, pro quibusdam de Scotia.

A. D. 1381.—An. 5 Ric. II.

Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, usque ad festum Pentecostes proximò futurum duraturas, suscepit in protectionem et defensionem suam, ac in salvum et securum conductum suum, Jacobum de Douglas militem, et Jacobum dominum de Lyndeseye militem, de Scotia, veniendo per dominium et potestatem Regis, tam per terram quam per mare, infra regnum suum Angliæ, cum quaterviginti equitibus et hernesiis suis, ibidem morando, et exindè versus dictas partes Scotiæ redeundo.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Decembris. Per concilium.

Consimiles literas Regis habent,

Georgius de Dunbarre, comes Marchiæ, cum quinquaginta hominibus et quinquaginta equis.
Johannes de Dunbarre, comes de Murref, cum quinquaginta hominibus et quinquaginta equis.

De lanis, ad partes exteras, non traducendis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Claus. 5 Ric. II. m. 23. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum suarum in portu civitatis London', salutem.

Quibusdam certis de causis, nos et concilium nostrum moventibus, vobis præcipimus, firmiter injungentes, quod aliqua lanas, coria, vel pelles lanutas, seu alias mercandisas stapulam tangentes, à vigiliâ Natalis Domini proximò futurâ, usque ad festum Circumcisionis Domini extunc proximò sequens, in portu prædicto in navibus carcari, seu ad partes exteras traduci, nullatenus permittatis;

Set ab eodem festo Circumcisionis Domini, usque ad festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis proximò futurum, et non ultra, absque alio mandato nostro, omnia hujusmodi lanas, coria, pelles et mercandisas in portu prædicto carcari, et ea, solutis priùs custumis et subsidiis nobis indè debitis, versus partes prædictas absque impedimento aliquo, prout modo traducuntur, traduci permittatis.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Decembris.

Per concilium.

Consimilia brevia diriguntur collectoribus subscriptis, sub eadem datâ; videlicet,

Collectoribus, &c. in portu villæ de Sancto Botulpho.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Kyngeston super Hull.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Lenn'.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Jernemuth.
Collectoribus, &c. in portu villæ Gippewici.
Collectoribus, &c. in portu villæ Sandewici.
Collectoribus, &c. in portu Cicestr'.
Collectoribus, &c. in portu villæ Suthi'.
Collectoribus, &c. in portu Exon'.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Melcombe
Collectoribus, &c. in portu villæ Bristoll'.
Collectoribus, &c. in portu villæ Novi Castri super Tynam.

De potestate tractandi cum adversario Franciæ.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

LE Roy, a reverent piere en DIEU Johan, par mesme la grace, evesque de Hereford, et a noz cheres et foialx, Johan sire de Cobham, Johan de Devereux capitain de nostre ville de Caleys, mestre Johan Shepeye dean del esglise de Nichol, Brian de Stapilton capitain de nostre chastel de Guynes, et Richard Stury chivaler de nostre chambre, saluz.

Savoir vous faisons que, pur honour et reverence de DIEU et de seint esglise, et pur le bien de paix, de l'assent des prelatz, nobles, et autres grantz et sagez de nostre roialme d'Engleterre, et parmy la confiance, quel nous avons de voz sens, discrecions, loialtes, et avisementz, vous avons ordenez, deputez, commis, et establiz, ordenons, deputons, commettons, et establions, de nostre certeine science, par le tenure de ces presentes lettres, noz vraiz procureurs et messages especialx:

Donantz et commettantz a vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, si vous touz ne purrez a ce entendre, pleine auctorite, poissance, et mandement especial et general, d'assembler, convenir, traiter, composer, transiger, pacifier, et pleinement accorder, sur touz les debatz, contencions, questions, guerres, riotes, et descortz, meuz et demesnez, ou a mover et demesner, parentre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quelconqes, decea et dela la mier, d'une part, et nostre adversaire de France, et autres persones de son sank, ses subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quelconqes, en general ou en especial, lour procureurs et messages, d'autre part;

Et de prendre et accorder, en noun de nous, touz maneres de trieues et abstinences de guerres, entre nous, noz uncles, et autres persones de nostre sank, noz subgitz, amys, alliez, eidantz, adherentz, queconqes, tant par terre come par meer, et nostre dit adversaire de France, et autres persones de son sank, ses subgitz, amys, alliez, eidantz, et adherentz quelconqes, par manere, forme, et condition, et par si long temps a durer, come mester serra, ou bone vous semblera;

Et ensement de treiter, ordener, et accorder, ovesque nostre dit adversaire, ou ses procurers, sur alliances, confederacies, et amities, par quelconque voie soit, en general ou en especial, come vous semblera bon;

Et, sur quanque serra ensi parle, traite, compose, transige, pacifie, et accorde, des touz les choses et articles susditz et chescun de eux, pur nous et nostre partie, ovesque ceux de la partie adverse, de la fermer et asseurer par foy et par serement, a doner en l'alme de nous;

Et de ottroier et doner sur ce, et les dependences, touz maners des caucions, seurtees, promesses, obligacions, et lettres seallez, tantz et tieux come mester serra en tieu cas, les queux nous voillons avoir tiel effect, vigeur, et fermetee come si nous les eussons done et faite en nostre propre persone;

Et de faire, executer, expedier, et accomplier, pur nous et nostre partie, tout quanque a faire serra en ce cas, et les dependences, et quanque nous ferrons meismes si nostre propre persone y fuisse presente, suppose que plus especial mandement ent serroit requis;

Et promettons, loialment et en bone foy, avoir et tenir, touz jours, fermez et agreable quan que fait serra, sur touz et chescune des choses avantditz, sur caucion et obligacion de touz noz biens, presentes et a venir, sanz jammais faire, dire, ne purposer, en jugement ne dehors, ascune chose a l'encontre:

Et au fin que ceste bosoigne se purra, par la grace de DIEUX, meuz prendre effect et bon esploit, confiantz autre si de voz sens, loialte, et bone discrecions, donons et commettons a vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, auctorite et poair especiale de faire et doner, en noun de nous, a chescune persone, que vendra de part nostre dit adversaire de France, ou par sa partie, ou par ascun autre, devers vous, par cause de l'esploit de traite avantdite, ou par ascune autre encheson queconqe, voz lettres de sauf et seure conduyt et sauf gard, souz voz sealz, par touz noz seignuries et poairs, si bien par terre come par meer, sanz merk prendre ou reprisail ou autre grevance queconque, tantz, et tieux, et si sufficiantz, et par si long temps a durer, come bone vous semblera ou mestre serra;

Et promettons, loialment et en bone foy, pur nous et noz heirs, avoir et tenir ferme et agreable quanque par vous, cynk, quatre, trois, ou deux de vous, ent fait serra en la forme avantdite.

Don' a nostre paleys de Westm', le xvi. jour de Decembre, l'an de Grace mille troiscentz oetant et primer, et de noz regnes quint.

Par le Roi et son conseil.

De salvo conductu pro mediatore, et ambassatoribus Franciæ.

A. D. 1381. *An. 5 Ric. II.*

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz noz lieutenantz, constables, mareschaux, *&c. par terre et par meer, salut et dilection.*

Comme, a l'oneur de DIEU, Faiseur de totes paix, et pour escheuer l'effusion du sanc humain, nous aions grant affection au bien de la paix estre entre nous et nostre adversaire de Fraunce, par qoy nous sommes assentuz au traictie d'icelle;

Et pour ce que, le reverent piere en DIEU, l'ercevesque de Roan, mediatour du dit traictie, *doit venir prouchein es parties de Picardie, sicomme entendu avons,* a cause du dit traictie;

Nous, volans pourveoir a la seurte de luy, de ses genz, familers, chevaux, hernois, et biens quelconqes, avons priz, mis, et receu, preinons, mettons, et recevons, le dit ercevesque, avec ses gens, familiers, chivaliers, escuiers, clers, vailez, chevaux, hernoiz, et autres biens quelconques, en

nostre sauf et seur conduit, protection, tuition, sauvegarde, et defense especiaulx, en venant, alant, et passant, par nostre roiaume de France, es parties de Picardie, et ailleurs ou mestier serra, pour le dit traitie, et la demourant, sejournant, et eux retournant, vers les parties de Fraunce, par terre et par meer, touz ensamble ou par parties, si comme il leur plerra, jusques au nombre de cinquant parsons, a cheval ou a pie, et aussi souvent comme il voudront et a faire serra, par quatre mois, prouchein venant, apres la date de ces presentes;

Et pour ce nous mandons, *&c. prout in cæteris de conductu literis.*

Donne par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paloys de Westm', le xviii. jour de Decembre, l'an de Grace mill troiscens quatre vyns et un, et de noz regnes quint.

Par le Roi et son conseil.

LE Roi, a touz noz lieuxtenants, *&c. ut supra usque ibi,* somes assentuz au traite d'icelle, *et tunc sic;*

Et pour ce que Nichol evesque de Baieux, Engelram sire de Councy, Arnaut de Corbie primer president en parliement, Nicholas Braque, Johan sire de Sampye, Reignaut de Dormans mester des requestes de hostel nostre dit adversaire, et Johan Tabary arcediacre de Pontieu, messages, deputez de par nostre dit adversaire, dovient venir prouchein es parties de Picardie, si comme entendu avons, a cause de dite traite;

Nous voulans pourveoir a la seurte d'eulx, de leur gens, familiers, *&c. ut supra, mutatis mutandis.*

Donne comme dessus.

De restitutione temporalium episcopatûs Londoniensis.

A. D. 1381. An. 5 Ric. II. Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 4. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Nicholao fitz Richard, escaetori suo in comitatibus Essexiæ et Hertfordiæ, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex nuper, vacante ecclesiâ cathedrali Londoniensi, per translationem venerabilis patris Willielmi, ultimi episcopi ejusdem, in archiepiscopum Cantuariensem, eidem ecclesiæ Londoniæ de venerabili viro, Roberto Braybrok, canonico Lychfeldensi, licentiato in legibus, providerit, et ipsum in episcopum ejusdem ecclesiæ Londoniæ præfecerit et pastorem, sicut per literas bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat;

Nos, pro eo quod idem nunc episcopus Londoniæ omnibus et singulis verbis, in dictis literis bullatis contentis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, spontè, palàm, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit, volentes eidem episcopo gratiam facere specialem;

Cepimus fidelitatem ipsius episcopi, et temporalia dicti episcopatûs Londoniensis, cum pertinentiis, restituimus eidem;

Et ideò tibi præcipimus quod eidem episcopo omnia temporalia episcopatûs illius, cum pertinentiis, in ballivâ tuâ, liberes; salvo jure cujuslibet.

Teste Rege, apud Wyndesore, xxvii. die Decembris.

Per breve de privato sigillo.

Consimilia brevia diriguntur escaetoribus subscriptis, &c.

Pro Roberto de Veer comite Oxon' de confirmatione.

A.D. 1382. An. 5 Ric. II. Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 4. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Inspeximus cartam domini Henrici, quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri, in hæc verba:

H. REX Anglorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, justiciariis, baronibus, vicecomitibus, et omnibus fidelibus suis per Angliam constitutis, salutem.

Sciatis universi quod dedi et concessi Alberico de Ver, et hæredibus suis post eum, de me et de hæredibus meis tenendam, magistram camerariam meam totius Angliæ in feodo et hæreditate. Quare volo et firmiter precipio, quod ipse et hæredes ejus eam jure hæreditario teneant, cum omnibus dignitatibus et libertatibus et honorificentiis ad eam pertinentibus, ita benè et liberè et honorificè, sicut Robertus Malet, vel aliquis alius ante eum, vel post eum, unquam meliùs, et liberiùs, et honorificentiùs tenuit, cum liberationibus et hospiciis curiæ meæ, quæ ad ministerium camerariæ pertinent.

Testibus Rogero episcopo Sarum, et Gaufrido cancellario, episcopo Dunelm', et Nigello episcopo Eliensi, et Roberto de Sig', et Roberto com' Gloec', et Ric' fil' com', et Roberto de Ver conastabl', et Unfr' de Buh', et Hug' Big', et W. de Albin', et Ricardo Basset, et Willielmo de Pont', apud Ferneham, in transfretatione Regis.

Nos autem, cartam prædictam, et omnia contenta in eâdem, rata habentes et grata, ea pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, acceptamus, approbamus, ratificamus, et dilecto et fideli nostro Roberto de Veer, filio et hæredi Thomæ de Veer nuper comitis Oxon', tenore præsentium, confirmamus, sicut carta prædicta pleniùs testatur; et prout antecessores ipsius Roberti dictam camerariam à tempore confectionis cartæ prædictæ, rationabiliter habuerunt et tenuerunt.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', x. die Januarii.

Per ipsum Regem, et per litteram ipsius Regis de signeto.

De clero convocando, super invasione Gallicorum.

A.D. 1382. An. 5 Ric. II. Claus. 5 Ric. II. m. 33. d. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri W., eadem gratiâ, electo Cantuariensi confirmato, salutem.

Qualiter inimici nostri Franciæ, et alii sibi adhærentes, inter se alligati, et undique hostiliter congregati, regnum nostrum Angliæ, per terram et per mare, sæpius invaserunt, mala quamplurima et intolerabilia nobis et ligeis nostris inferendo, et, non solum de hoc contenti, dictum regnum nostrum et ecclesiam sanctam, nosque et totam linguam Anglicanam subvertere et destruere, de die in diem, totis viribus se conantur, nisi eorum malitiæ, adjuvante DEO, fortiùs resistatur, vos non credimus ignorare;

Undè, in salvationem statûs ecclesiæ sanctæ, et regni ac populi nostrorum necessariam defensionem, sumptus ac census et expensas inæstimabiles effundere nos oportet;

Verùm quia, ad ipsorum onerum et sumptuum supportationem, absque juvamine fidelium nostrorum, non sufficimus, sicut scitis, vobis, in fide et dilectione quibus nobis tenemini rogando, mandamus quatinus, tam arduitate negotiorum prædictorum quam grandibus periculis, quæ ecclesiæ et regno prædictis occulatâ fide iminere conspicitis, attentis et debitè consideratis, suffraganeos, decanos, et priores ecclesiarum cathedralium, abbates, et priores, et alios electivos, exemptos et non exemptos, necnon archidiaconos, capitula, conventus, et collegia, totumque clerum cujuslibet diœcesis vestræ provinciæ, ad comparendum coram vobis, in ecclesiâ Sancti Pauli Londoniæ, vel alibi, prout expedire videritis, ad breviorem diem quem poteritis, more solito convocari faciatis;

Et, eis dictis negotiis et periculis ibidem expositis et declaratis, ipsos ad subsidium, in hoc casu competens et necessarium, in supportationem dictorum onerum et sumptuum, nobis concedendum, eo specialiùs et cum efficaciâ, quo magis sciveritis vel poteritis, tantâ necessitate causante, inducatis, et partes vestras ad hoc effectualiter apponatis;

Nos, in cancellariâ nostrâ, de quantitate subsidii illius, ac de terminis solutionis ejusdem, certificantes:

Et hoc, sicut nos, et honorem nostrum, ac salvationem et defensionem ecclesiæ et regni prædictorum, diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimile breve dirigitur A. archiepiscopo Eborum, Angliæ primati, de clero convocando in ecclesiâ Beati Petri Eborum.

Teste ut supra.

De pecuniâ mutuatâ, de assignationibus.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II. Liberat. 5 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et camerariis suis, salutem. Cum septimo die Martii proximò præterito, dilectus et fidelis noster Johannes Cheyne nobis decem marcas, pro expeditione guerræ nostræ, liberè et spontè mutuaverit;

Quas per manus Willielmi Walleworth et Johannis Philipot, receptorum denariorum pro guerris nostris, recepimus;

Ac nos præfato Johanni Cheyne, de dictis decem marcis, ad certum diem, solutionem per nos fieri promiserimus, et, ut eidem Johanni Cheyne de summâ prædictâ promptiùs satisfactum foret, concesserimus, pro nobis, et hæredibus nostris, quod thesaurarius noster Angliæ pro tempore existens, competentem assignationem, pro solutione sive satisfactione ejusdem summæ, in locis ubi meliùs expedire videret, præfato Johanni Cheyne faceret·

Volentes et præcipientes quod hujusmodi assignatio, per dictum thesaurarium nostrum facienda, in suo robore perseveraret, et firmum locum haberet, absque revocatione seu contradictione, per nos, vel hæredes nostros, aut aliquos officiarios seu ministros nostros in futurum, aliqualiter faciendis, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, pleniùs continetur;

Vobis mandamus quod eidem Johanni Cheyne dictas decem marcas, de thesauro nostro, solvatis, et, eo indè plenariè satisfacto, dictas literas nostras patentes, sibi de summâ prædictâ sic factas, in cancellariam nostram, ibidem cancellandas et dampnandas, mittatis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Januarii.

Consimilia brevia habent subscripti de summis subscriptis; videlicet,

Willielmus Clere de comitatu Norffolciæ, de quinquaginta marcis.
Thomas Bocock, de viginti marcis.
Abbas de Serne, de viginti libris.
Johannes Sumon, Johannes Croweshawe, et Johannes de Plumtre, de Notynghamia, de centum marcis.
Thomas Fraunceys clericus, de com. Derb., de viginti libris.
Johannes de Sutton miles, de viginti libris.
Henricus de Braylesford miles, de decem marcis.
Johannes Taverner, Johannes Hamesson, et Simon Curteys, homines villæ de Gaynesburgh, de viginti marcis.
Johannes Playce chivaler, de viginti libris.
Willielmus Latymere de com. Dors., de viginti libris.
Prior de Thurgarton, de decem libris.
Henricus de Braylesford, de decem marcis.
Radulphus de Wod de Houghton, de decem libris.
Willielmus Dalby de Tilton et Willielmus vicarius ecclesiæ de Tilton, de decem libris.
Richardus Symond de Thedyngworth, de decem marcis.
Richardus Mold de Wendey, de centum solidis.
Johannes persona ecclesiæ de Ashewell, Willielmus vicarius de Burle, Willielmus vicarius de Hameldon, de septem libris sex solidis et octo denariis.
Robertus de Tame de com. Lincoln., de quadraginta solidis.
Abbas de Burton super Trentam, de viginti marcis.
Johannes Stormesworth de Welleford, de quadraginta marcis.
Willielmus Crok, de decem libris.
Richardus Adekyn de Wendovere, de decem marcis.
Probi homines villæ Cirencestre, de quadraginta marcis.
Abbas Cirencestre, de quadraginta libris.
Willielmus Smyth de Catesby, de viginti libris.
Simon Bond de com. Norht., de decem marcis.
Thomas Sarazin capellanus, de decem libris.
Robertus vicarius de Duston, de quinque marcis.
Simon Lorkyn de Gildesburgh, de decem marcis.
Johannes Landewath de la Wolde de com. Norht., de decem marcis.
Abbas de Bello Loco de com. Sutht., de quadraginta libris.
Probi homines villæ Gippewici, de quadraginta libris.
Homines villæ de Bury in com. Suff., de quinquaginta marcis.
Cives civitatis Wynton, de quadraginta libris.
Gilbertus comes d'Angos, de centum libris.
Radulphus episcopus Sarum, de centum marcis.
Abbas de Coggeshale, de viginti libris.
Richardus Bollesovere parsona ecclesiæ de Norton, Willielmus Dille, de decem libris.
Henricus de Coton de com. Derb., de viginti marcis.
Johannes Foliambie de com. Derb., de viginti libris.
Homines villæ Norhamptoniæ, de quadraginta libris.
Johannes Feure de Whitecherche, de viginti marcis.
Homines de Coggeshale, de quadraginta libris.
Johannes Fage de Roxton, de centum solidis.
Abbas de Milton, de viginti libris.
Probi homines villæ de Maldon de com. Essex., de quadraginta libris.
Abbas Beatæ Mariæ Eborum, de centum marcis.
Venerabilis pater Willielmus episcopus Wyntoniæ, de centum libris.
Abbas de Croxden, de centum solidis.
Willielmus episcopus Cicestriæ, de centum libris.
Prior Sancti Swithini Wyntoniæ, de centum libris.
Decanus et capitulum ecclesiæ cathedralis Sarum, de centum marcis.
Prior Christi Ecclesiæ de Twynham, de viginti libris.
Rogerus Keteryche, de quinquaginta et tribus libris.
Abbas de Sancta Osytha de com. Essex., de quadraginta libris.
Abbas de Eynesham, de viginti libris.
Probi homines villæ Bedefordiæ, de viginti libris.
Prior de Caldewell, de decem marcis.
Johannes Leyre parsona ecclesiæ de Dodyngton, de decem marcis.
Abbas de Wobournechapell, de decem libris.
Prior de Bernewell, de viginti libris.
Probi homines villæ de Haddeley in comitatu Suffolciæ, de quinquaginta libris.
Radulphus Geddyng de Huntyngdonia, de quadraginta libris.
Probi homines villæ de Retford in comitatu Notynghamiæ, de quadraginta marcis.
Johannes Wynriche de Burford, de decem libris.
Johannes abbas de Oseneye, de viginti libris.
Henricus Roper de Redyng, de viginti libris.
Richardus comes Arundellæ, de centum libris.

Pro camerario Scotiæ.

A. D. 1382.—An. 5 Ric. II.

Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, sexto die Februarii, per literas suas patentes, à festo Paschæ proximò futuro usque ad festum Sancti Michaelis tunc proximò sequens duraturas, suscepit in protectionem et defensionem suam, ac in salvum et securum conductum suum, Johannem Lyon, camerarium Scotiæ, in regnum Regis Angliæ, cum quadraginta equitibus in comitivâ suâ, ac eorum garcionibus, hernesiis, et equis, tam per terram quam per mare, veniendo, ibidem morando, et exindè ad partes Scotiæ redeundo.

Consimiles literas habet Oswaldus episcopus de Galloway.

Pro comitissâ Herefordiæ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 31. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod de gratiâ nostrâ speciali, et in auxilium sustentationis consanguineæ nostræ Mariæ, unius filiarum et hæredum comitis Herefordiæ defuncti, qui de domino E. nuper Rege Angliæ, avo nostro, tenuit in capite, usque ad legitimam ætatem ejusdem Mariæ, quæ consanguineo nostro comiti Derbiæ maritata existit, et in comitivâ comitissæ Herefordiæ, matris prædictæ Mariæ, moratur;

Pardonavimus eidem comitissæ illas quadraginta libras, quas ipsa nobis ad firmam, pro manerio de Henton, durante minore ætate ipsius Mariæ, reddere tenetur, videlicet, à quinto die Februarii, anno regni nostri quarto, usque ad legitimam ætatem prædictæ Mariæ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Februarii.

Per breve de privato sigillo.

Pro Imperatrice, et pro Lantegravissâ de Lucembergh.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, usque ad festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ proximò futurum duraturas, suscepit in protectionem et defensionem suas speciales, necnon in salvum et securum conductum suum, dominam Lantegravissam de Lucembergh, ac barones, milites, armigeros, et domicellas, ac eorum servientes et familiares, qui nuper infra regnum suum Angliæ, in comitivâ carissimæ consortis suæ Annæ Reginæ Angliæ advenerunt, et jam ad partes proprias sunt redituri, eundo versus partes prædictas in quâdam navi vocatâ Fligut, unde Johannes Mutun de Dunkirthen est nauta, seu magister, ac navem prædictam et marinarios ejusdem, necnon tam res, cameras, ornamenta, et hernesia præfatorum, dominæ Lantegravissæ, baronum, militum, armigerorum, et domicellarum, quæcumque, quam alia res, cameras, et ornamenta ad usum serenissimæ dominæ Imperatricis, matris suæ carissimæ, empta et in navi prædictâ carcanda.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Februarii.

De treugis Scotiæ proclamandis, et de intercommunicando.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II. Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, locum suum tenenti, sive justiciario terræ Hiberniæ, ac cancellario nostro ibidem, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum, inter cæteros articulos treugarum, tam inter celebris memoriæ, dominum E. nuper Regem Angliæ, avum nostrum, pro se et subditis suis, et David de Bruys de Scotia, quondam fratrem ipsius avi nostri, jam defunctum, pro se et hominibus suis de Scotia primitus, quam postmodum inter nos et illustrem principem, Robertum consanguineum nostrum de Scotia, per carissimum avunculum nostrum Johannem Regem Castellæ et Legionis, ducem Lancastriæ, locum nostrum tenentem in partibus Angliæ, versus marchias Scotiæ, pro nobis et subditis nostris, et ambassatores sive deputatos ipsius consanguinei nostri, pro se et hominibus suis de Scotia, initarum et firmatarum, et subsequenter per nos confirmatarum, sit mutuo concordatum quod mercatores et alii subditi utriusque partis intercommunicare possint, durantibus dictis treugis, liberè, pacificè, et absque aresto seu impedimento aliquali;

Nos treugas prædictas, quæ usque ad festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quod erit anno Domini milesimo trescentisimo octogesimo tertio, sunt duraturæ, et singulos articulos earumdem, volentes per nos et subditos nostros quoscumque inviolabiliter, prout convenit, observari, vobis et cuilibet vestrûm, in fide et dilectione, quibus nobis tenemini, firmiter injungendo, mandamus quod in singulis civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et aliis locis infra terram nostram prædictam, ubi necesse fuerit, hujusmodi treugas et intercommunicationem mercatorum et subditorum nostrorum et ipsius consanguinei nostri publicè proclamari, et, durantibus treugis prædictis, juxta formam earumdem, teneri faciatis;

Ita quod, durantibus treugis illis, intercommunicatio inter nostros et dicti consanguinei nostri subditos non sit aliqualiter denegata;

Et ulteriùs omnes et singulos mercatores et subditos præfati consanguinei nostri, si qui in terram prædictam ad intercommunicandum venerant, et eâ de causâ carceraliter detineantur, deliberari faciatis indilatè, et, quotiens idem consanguineus noster vobis, vel alicui vestrûm, in hujusmodi casu, scripserit, debitum et festinum fieri faciatis justitiæ complementum, arestatosque subditos suos, si qui ibidem, successuris temporibus, quod absit, fuerint ex hâc causâ, penitùs et absque difficultate quâcumque deliberari faciatis;

Tam circumspectè in executione præsentis mandati nostri vos habentes, nè ex culpâ vestrâ dictarum treugarum violatio parti nostræ valeat imputari.

Teste Rege, apud Westm', x. die Februarii.

[*Et erat patens.*]

Johanni Haukewode, et subditis Regis in Italia, de Imperatore assistendo.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II. Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus subditis suis, universis et singulis hominibus ad arma et sagittariis, in villis, castris, et fortalitiis, in partibus Italiæ constitutis, salutem.

Cum alligantiæ, parentela, et amicitiæ speciales, inter serenissimum principem, dominum Wenzeslaum, Romanorum et Boemiæ Regem illustrem, fratrem nostrum carissimum, et nos, ratione præclaræ consortis nostræ, Annæ Reginæ Angliæ, sororis suæ, quam in sponsam nostram suscepimus, initæ existunt et firmatæ;

Vos et quemlibet vestrûm affectuosè rogamus, vobis nichilominus, in fide et ligeantiâ, in quibus nobis tenemini, firmiter injungentes, quatinus aliquibus, dicto fratri nostro adversantibus, contra præfatum fratrem nostrum nequaquam assistatis quoquomodo; set eidem fratri nostro opem et operam, quam poteritis, in agendis suis, quando et prout ipse vos requirit rationabiliter, impendatis; ita quod has literas nostras sibi sentiat valituras;

Et etiam, dilecto et fideli nostro Johanni Hawkewode militi, qui penes dictum fratrem nostrum retentus existit, ut accepimus, prout idem Johannes, ad ipsius fratris nostri commodum et honorem, vos et quemlibet vestrûm requisierit, intendatis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xii. die Februarii.

Per concilium in parliamento.

De pardonationibus, ad requisitionem Annæ Reginæ concessis, proclamandis.

A. D. 1382. An. 5 Ric II. Claus. 5 Ric. II. m. 21. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Cum nos nuper, ob reverentiam Dei, et ad specialem requisitionem Annæ Reginæ Angliæ consortis nostræ carissimæ, et ut singuli subditi nostri corda assumerent hilariora erga nos in fide et dilectione fideliter permanere, de gratiâ nostrâ speciali, in parliamento nostro, certas gratias, pardonationes, et remissiones generales, singulis subditorum nostrorum prædictorum, quarumcumque partium regni nostri Angliæ, eas exposcere volentibus; certis personis, in curiâ nostrâ nominatis, ac etiam hominibus civitatis nostræ Cantuariæ, ac villarum Cantebrigiæ, de Bruggewater, de Sancto Edmundo, de Beverlaco, et Scardeburgh, certis de causis, dumtaxat exceptis, facere ordinassemus et concessissemus:

Tibi præcipimus quod, in singulis villis et locis comitatûs prædicti, ubicumque expediens foret et necesse, ex parte nostrâ, publicè proclamari faceres quod omnes et singuli, qui beneficium hujusmodi gratiarum, pardonationum, et remissionum optinere vellent, exceptis personis et hominibus præexceptis, ad curiam nostram accederent sive mitterent, cartas indè, citra festum Pentecostes proximò futurum, pro feodo magni sigilli nostri tantum solvendo, prosecuturi, si sibi viderint expedire, sicut per inspectionem rotulorum cancellariæ nostræ nobis constat;

Ac jam, de gratiâ nostrâ speciali, in præsenti parliamento nostro, gratias, pardonationes, et remissiones generales hujusmodi, præfatis hominibus civitatis nostræ Cantuariæ, non obstante exceptione prædictâ, facere ordinaverimus et concesserimus;

Tibi præcipimus quod, in civitate prædictâ, et suburbiis ejusdem, ac aliis locis in ballivâ tuâ, ubi meliùs expedire videris, ex parte nostrâ publicè proclamari facias, quod omnes et singuli dictæ civitatis Cantuariæ, qui beneficium hujusmodi gratiarum, pardonationum et remissionum optinere voluerint, exceptis personis præexceptis, ad curiam nostram accedant sive mittant, cartas indè, citra dictum festum Pentecostes, pro feodo magni sigilli nostri tantum solvendo, prosecuturi, si sibi viderint expedire.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Februarii.

Pro David Stywart, comite de Strathern.

A. D. 1382.—An. 5 Ric. II. Rot. Scot. 5 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, à festo Paschæ proximò futuro usque ad festum Paschæ extunc proximò sequens, duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suas speciales, nobilem virum, David Stywart comitem de Strathern de Scotia, veniendo peregrè ad quæcumque loca infra regnum Regis Angliæ sibi placuerit, cum sexaginta personis equitibus in comitivâ suâ, ibidem morando, et exindè ad propria redeundo, necnon equos, hernesia, bona et res sua quæcumque.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Februarii.

De fructubus cardinalium rebellium, in duos annos, Papæ concessis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II. Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 28. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod cum olim, in parliamento nostro generali apud Glocestriam celebrato, fructus, redditus, et proventus quorumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, ecclesiarum parochialium, canonicatuumque, et præbendarum, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quocumque nomine vel titulo censeantur, infra regnum et dominia nostra existentium, per Gallicos, seu aliter adversario nostro Franciæ quomodolibet adhærentes, quomodocumque occupatorum, de concilio et avisamento procerum regni nostri, et prout progenitores nostri claræ memoriæ, durantibus guerris, facere consueverunt, ad manus nostras posuerimus, nostroque ærario fiscali jusserimus applicari;

Subsequenterque, per aliquos nuncios seu ambassatores nostros, ad nos de præsentiâ sanctissimi patris et domini, domini Urbani, dignâ Dei providentiâ, sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ Summi Pontificis, veri Christi vicarii, redeuntes, literas seu bullas apostolicas receperimus, continentes quod duas partes fructuum, reddituum, et proventuum beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales, sibi rebelles, occupatorum, cameræ suæ apostolicæ, propter ipsius indigentias, tertiam verò partem reparationibus beneficiorum eorumdem reparatione indigentium, optavit et voluit applicari;

Nosque, ipsius sanctissimi patris indigentias et sumptus, quos propter defensionem fidei ac statûs sui ipsum indies oportebat impendere, in piæ considerationis examine revolventes;

Licet omnia bona ipsorum Gallicorum, seu alias adversario nostro Franciæ quomodolibet adhærentium, sicuti constat ipsos olim cardinales Gallicos et Limovicens', qui jam dicto sanctissimo patri de facto rebellant, eidem notoriè adhærere, et hactenus adhæsisse, infra regnum et dominia nostra existentia, nobis sint de lege ipsius regni nostri notoriè confiscata;

Volentes tamen eidem sanctissimo patri, in tanto necessitatis articulo subvenire;

Voluerimus et de gratiâ nostrâ speciali concesserimus ut collector, qui, pro parte ipsius sanctissimi patris, in regno nostro Angliæ foret, pro tempore, de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales, eidem sanctissimo patri rebelles, etiam si puri Gallici, vel alias dicto adversario nostro Franciæ adhærentes, forent, occupatorum, absque impedimento nostri, officialium vel ministrorum nostrorum quorumcumque, ad usum et utilitatem ipsius sanctissimi patris et reparationum prædictarum liberè disponere valeret, in formâ, nobis in dictis literis apostolicis expressatâ, usque ad festum Omnium Sanctorum proximò jam præteritum, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, pleniùs continetur;

Nos, ex avisamento et assensu concilii nostri, et ad supplicationem venerabilis in Christo patris W. archiepiscopi Cantuariensis, totius Angliæ primatis, de uberiori gratiâ nostrâ volumus, et tenore præsentium concedimus, quod à dicto festo Omnium Sanctorum ultimò præterito, per duos annos continuos extunc proximò futuros, collector dicti domini Summi Pontificis, qui pro tempore in dicto regno nostro fuerit, de omnibus et singulis fructubus, redditibus, et proventibus beneficiorum hujusmodi, per olim cardinales, eidem sanctissimo patri rebelles, etiam si puri Gallici, vel aliàs dicto adversario nostro Franciæ adhærentes, extiterint, occupatorum, absque impedimento nostri, officialium vel ministrorum nostrorum quorumcumque, ad usum et utilitatem ipsius sanctissimi patris et reparationum prædictarum, liberè disponere valeat in formâ, nobis in dictis literis apostolicis expressatâ;

Reservatis nobis seu deputandis per nos supervisu et ordinatione ipsarum operationum, quas nullo modo volumus prætermitti.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Februarii.

Per breve de privato sigillo.

De assensu Regis, quod, ante primum diem Junii, nulli de novo conscribantur milites.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.
Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront, saluz. Come par entre les messages et deputez de nous et de nostre adversaire de France, assemblez pur tretee de pees es parties de Picardie a la darrein journee, tenuz en moys de Feverer darrein passez, soit par certeins causes, entre autres choses, parlez, sur le pleiser de nous et de nostre dit adversaire, que nulle notable armee, par meer ne par terre, pur passer es roialmes d'une costee ou d'autre, novelles creues et retenues des gentz d'armes, en plus grant nombre qui sont a present, ou sont acustumez a estre es frontiers, ne aillours, de l'une partie ou de l'autre, ne serront faites par devant le primer jour de Juyn proschein venant;

Et sur ce, par noz ditz messages, estoit demandez que, en ce cas, le mareschal de France, et la poair, novellement envoiez ovesque luy as parties d'Aquitaigne, soient repellez, et que nul autre novelle armee ne poair ne serroit mys par nostre dit adversaire sur les frontiers, ne nulle autre guerre faite de sa part, forsque par les garnisons acustumez, si come par noz ditz messages nous ad este pleinement reportez;

Sachez nous estre accordez a ce que desuis est escript, et le garderons et ferrons loialment garder, pur nostre costee, por noz subgitz, sur la fourme avantdite, par ensi que le dit mareschal de France, ovesque le dit poair, envoiez as parties d'Aquitaigne, et toutz autres poairs, si nulles soient de novelle envoiez depar nostre dit adversaire, sur les frontiers, ou aillours sur noz terres et seignuries, autrement que n'ad este acustumez d'estre fait par luy sur les garnisons, soient repellez de fait, deinz vint jours proschein ensuantz apres ce que noz messages et deputez serront accordes avec les messages et deputez de nostre dit adversaire sur ceste article, et auxint par ensi que nulle autre novelle armee ne poair ne soit mys ou envoiez par nostre dit adversaire sur les dit frontiers, n'autre guerre faite de sa part, si noun pa. les garnisons acustumez, pendant le dit primer jour de Juyn, sicome come par noz ditz messages estoit demandez.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre chastel de Wyndesore, le tierce jour de Marcz.

Par le Roi et son conseil.

De assensu Regis, quod notabiles et solempnes personas, ad tractandum de pace, ad condictum diem destinabit.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.
Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront, salutz. Come par entre les messages et deputez de nous et de nostre adversaire de France, assemblez pur tretee de pees es parties de Picardie a la darreine journee, tenuz en mois de Feverer darrein passez, soit par certeines causes, entre autres choses, parlez, sur le pleisir de nous et de nostre dit adversaire, qui, pur savoir la volente et entention de nous et de nostre dit adversaire, tant sur le principal touchant le fait de la pees come sur les trieues touchez a mesme le journe, et des circumstances et dependences du dit fait principal, c'estassavoir, des modification et limitation de resort et de la sovereintee, et de les terres, et de autres choses, dont autrefoitz ad este parlez;

Les ditz messages irroient, chescun de son costee, devers son seignur, et qui mesmes les messages, ou autres, tieux come plerra a nous et nostre dit adversaire, revendront, le primer jour de Juyn proschein venant, pur estre assemblez les uns ovesque les autres, et pur reporter et dire l'entention de nous et de nostre dit adversaire;

Et que les ditz messages, chescun envers son seignur, ferront le mieulz q'ils purront pur le bien de la busoigne, ensi come promys l'ont;

Et que grantz seigneurs et notables, de l'un et de l'autre, veignent a dit primer jour de Juyn, pur pluis tost venir, au pleisir de nostre seigneur, a bon conclusion des choses desuisdites, sicome par certeines lettres, ent faitz, et enseallez souz le seal de l'ercevesque de Rouan, mediatour sur le dit tretee, nous est apparuz pluis au plein;

Sachez nous, a la reverence de Dieux, et au fyn que defaute ne soit trovee de nostre part, estre acordez d'envoier, au dit primer jour de Juyn, noz messages solempnes, c'estassavoir, nostre uncle Johan Roi de Castelle et de Leon duc de Lancastre, ou nostre uncle Thomas counte de Bukyngham, nostre trescher frere Thomas counte de Kent, et noz messages q'estoient au darrein tretee avantdite; par ensi que nostre dit adversaire face sembleablement de sa partie.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre chastell de Wyndesore, le tierz jour de Marcz.

Par le Roy et son conseil.

De statuto Wynton', in singulis comitatibus Angliæ, proclamando.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.
Claus. 5 Ric. II. m. 13. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomitibus London', salutem. Volumus de deliberato consilio et assensu prælatorum, procerum, et magnatum, in parliamento nostro apud Westm' ultimò convocato, nobis assistentium, quod statutum Wynton' in singulis comitatibus regni nostri Angliæ proclametur, et in omnibus articulis firmiter observetur, cujus quidem statuti tenor sequitur in hæc verba:

Pur ceo que, *&c. prout in lib. statut.*

Et ideò vobis præcipimus, districtiùs quo possumus, injungentes, quod statim, visis præsentibus, statutum prædictum in locis infra ballivam vestram ubi magis fuerit expediens, tam infra libertates quam extra, publicè proclamari et notificari faciatis, juxta vim et effectum ejusdem, ut præmittitur, inviolabiliter observandum:

Et hoc, sub periculo quod incumbit, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Martii.

Per ipsum Regem et concilium in parliamento.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam, mutatis mutandis.

Consimile breve dirigitur Johanni Regi Castellæ et Legionis duci Lancastriæ, pro ducatu prædicto, mutatis mutandis.

De sumptubus, in ductione Reginæ, à partibus Alemanniæ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 22. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, considerantes magnos labores et sumptus, quos, dilectus et fidelis miles noster Simon de Burle, in obsequio nostro, habuit in viagio quod de præcepto nostro faciebat, ad partes Alemanniæ et Bohemiæ, causâ carissimæ consortis nostræ Reginæ, proficiscendo, et ad eam ad partes istas penes nos ducendo, occasione cujus viagii ipse in debitis multipliciter tenetur, ut accepimus, dedimus, et concessimus præfato Simoni, in auxilium supportandi onus debitorum suorum prædictorum, in præsentiâ et de assensu carissimi avunculi nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, et dilectorum et fidelium nostrorum, comitis Staffordiæ consanguinei nostri, Michaelis de la Pole, et Johannis de Montagu senescalli hospitii nostri, castrum de Emelyn Uchench in comitatu Kermerdyn in Suthwallia;

Quod quidem castrum Ricardus de la Bere chivaler, defunctus, tenuit pro termino vitæ suæ; reversione indè ad nos et hæredes nostros, post decessum suum, spectante:

Habendum, cum omnibus dominiis, franchesiis, libertatibus, escaetis, et aliis quibuscumque ad dictum castrum pertinentibus, à die obitûs ipsius Ricardi, pro termino vitæ præfati Simonis, de nobis et hæredibus nostris, per servitia indè debita et consueta;

Volentes et concedentes, pro nobis et hæredibus nostris, ex uberiori gratiâ nostrâ, quod per duos annos proximos post mortem prædicti Simonis, executores seu assignati sui habeant idem castrum, cum omnibus dominiis, franchesiis, libertatibus, escaetis, et aliis quibuscumque ad dictum castrum pertinentibus, et omnia proficua eorumdem, absque aliquo nobis vel hæredibus nostris indè reddendo, ad faciendum indè executionem testamenti prædicti Simonis;

Ita quod, post dictos duos annos præteritos, post mortem ipsius Simonis, dictum castrum, cum dominiis, franchesiis, libertatibus, escaetis, et aliis quibuscumque ad dictum castrum pertinentibus, ad nos et hæredes nostros integrè revertatur.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

Et mandatum est justiciariis et camerariis Regis Suthwalliæ, et eorum cuilibet, quod eidem Simoni dictum castrum, cum dominiis, franchesiis, libertatibus, escaetis, et aliis quibuscumque ad dictum castrum pertinentibus, unà cum exitibus et proficuis, indè à die obitûs præfati Ricardi, liberari faciatis, habendum juxta tenorem literarum Regis prædictarum; vult enim Rex ipsos, et eorum quemlibet, indè erga ipsum Regem ab eodem die exonerari.

Teste ut supra.

Super custodiâ insularum de Jeresey et Gernesey, de potestatibus.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Volentes pro salvatione et securitate insularum nostrarum de Jereseye, Gernesey, Serk, et Aurney, ac quiete subditorum nostrorum habitantium in eisdem, gratiosè providere;

Et de circumspectâ fidelitate, deliberatione, et industriâ dilecti et fidelis nostri Hugonis de Calvylegh, custodis insularum prædictarum, plenam fiduciam optinentes;

Eidem custodi, ejusque loca tenentibus, sive deputatis, in insulis prædictis, et eorum cuilibet, tam ad faciendum et componendum quascumque ordinationes guerrarum, quas pro salvatione insularum prædictarum et castrorum dictarum insularum, ac pro resistentiâ et majori gravamine inimicorum nostrorum, juxta discretiones suas, fore viderint magis utiles, rationabiles, ac etiam oportunas, quam ad homines et terras super costeris Normanniæ, quæ extra redemptiones villæ et castri de Chirburgh existunt, prout meliùs per guerrarum ordinationem et conquestum expedire poterunt, redemptioni et obedientiæ castri nostri de Gurry in prædictâ insulâ de Jereseye ponendum;

Necnon ad literas de salvo conductu, prisonariis ac aliis ad redemptionem positis, quos pro redemptionibus suis solvendis infra insulas prædictas venire contigerit, et etiam quibuscumque aliis, qui cum victualibus, dumtaxat ad castra et insulas prædicta, seu earum aliqua, pro munitione eorumdem, ac sustentatione fidelium nostrorum ibidem, venire voluerint, prout juxta discretiones suas meliùs et securiùs fieri poterit, dandum et concedendum;

Et ad quæcumque molendina, sive loca, vel situs molendinorum, infra insulas prædictas, quæ per guerras ante hæc tempora destructa seu prostrata fuerunt, quibuscumque, ea recipere et suis sumptibus reædificare seu reparare volentibus, pro moderato termino annorum dimittendum, arentandum, et concedendum, prout juxta discretiones suas pro commodo nostro fuerit rationabiliter faciendum;

Liberam licentiam et plenam, tenore præsentium, concedimus et committimus potestatem:

Ratum, gratum, et firmum habentes et habituri quicquid idem custos, aut ejus loca tenentes vel deputati, seu eorum aliquis, rationabiliter ordinaverint, fecerint, dimiserint, arentaverint, seu concesserint in præmissis, seu aliquo præmissorum;

Dantes universis et singulis ballivis, juratis, præpositis, ministris, officiariis, fidelibus, et subditis nostris insularum prædictarum, et aliis quibuscumque quorum interest, tenore præsentium, firmiter in mandatis quod eidem custodi, ac locum tenentibus et deputatis suis prædictis, in executione præmissorum, auxilientur, consulant et intendant, ut est justum.

In cujus, &c. quamdiu nobis placuerit, duraturas.

Dat' apud Westm', xv. die Martii.

Per concilium.

De custodiâ commissâ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, per manucaptionem Petri Payne personæ ecclesiæ de Hydeburn Worthy de comitatu Suthamptoniæ, Willielmi de Bole clerici, et Johannis Newport de comitatu Essexiæ, commisimus dilecto clerico nostro Rogero de Walden, personæ ecclesiæ de Drayton in comitatu Leycestriæ, custodiam omnium terrarum et tenementorum, ad nos pertinentium, quæ fuerunt Reginaldi de Carteret militis defuncti, qui de nobis tenuit in capite, in insulâ de Jeresey, in manu nostrâ, per mortem præfati Reginaldi, et ratione minoris ætatis Philippi filii et hæredis ejusdem Reginaldi, existentium;

Habendam, unà cum exitibus, indè a tempore mortis prædicti Reginaldi perceptis, usque ad legitimam ætatem hæredis prædicti, reddendo indè nobis, per annum, decem libras ad scaccarium nostrum Angliæ, ad festa Paschæ et Sancti Michaelis, per æquales portiones:

Ita quod, si aliquis imposterùm plus pro terris et tenementis prædictis dare voluerit, tunc idem Rogerus plus pro eisdem nobis reddere teneatur;

Et quod omnia onera, dictis terris et tenementis incumbentia sive spectantia, faciat et supportet, quamdiu custodiam habuerit supradictam.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Martii.

Per billam thesaurariæ.

De decanis insularum de Jeresey et Gerneseye, antipapæ, adhærentibus, inhibendis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Hugoni de Calvylegh, custodi insularum suarum de Jeresey et Gerneseye, ejusque loca tenentibus sive deputatis, in eisdem insulis, salutem.

Ad nostrum jam noviter pervenit intellectum, quod decani insularum prædictarum, qui officia sua ex commissione Constanc' episcopi occupant et excercent, ac sanctissimo in CHRISTO patri, domino Urbano, dignâ DEI providentiâ, universalis ecclesiæ Summo Pontifici, sicut idem episcopus notoriè rebellant, antipapæ nephariè, ut dicitur, adhærendo, placita et causas transgressionum et debitorum, aliaque placita realia coram ipsis in insulis prædictis tenent, et jurisdictionem temporalem et spiritualem ibidem sibi assumant et excercent, et monitis ac mandatis ipsius episcopi promptè et voluntariè obediunt et intendunt, et ea dampnabiliter exequi faciunt, in præfati Summi Pontificis præjudicium, nostri contemptum, et animarum fidelium ligeorum nostrorum dictarum insularum periculum, ac contra ordinationes et statuta, in quodam generali parliamento nostro apud Gloucestriam, in contrarium olim facta.

Nos, hujusmodi enormia, quæ, ut satis novimus, sunt maximè detestanda, infra terminos ligeanciæ nostræ fieri aut sustineri nolentes, vobis committimus, et districtius quo possumus, injungendo mandamus, quod si præmissa noveritis continere veritatem, tunc eisdem decanis ex parte

nostrâ inhibeatis, et firmiter demandetis, quod ipsi, vel eorum aliquis, sub forisfacturâ vitæ et membrorum, et omnium aliorum, quæ nobis forisfacere poterunt, aliqua hujusmodi placita, seu causas, coram ipsis infra dictas insulas tenere, seu de eisdem ibidem intromittere, aut aliquam hujusmodi jurisdictionem ibidem excercere, vel monitis seu mandatis præfati episcopi, durante rebellione suâ, parere vel intendere, seu ea aliqualiter exequi, non præsumant seu attemptent, clam vel palam; et quod vos decanos illos, aut alios potestate aliquâ, ad hujusmodi enormia decætero infra insulas prædictas committenda, uti nullatenus permittatis, sub gravi indignatione nostrâ et periculo incumbenti:

Damus insuper vobis plenam, tenore præsentium, potestatem alios idoneos, qui nobis et præfato Summo Pontifici fideles existunt, loco dictorum decanorum ad ea, quæ officia sua concernunt, ritè et debitè facienda et exequenda, in utraque insularum prædictarum deputandi et constituendi, prout juxta discretiones vestras vobis, pro exhibitione et conservatione justiciæ ibidem in hoc casu videbitur rationabiliter faciendum.

Dat' apud Westm', xv. die Marcii.

Per concilium.

De non contrariando vel impugnando registra et libros Regis, in archivis, infra castrum Burdegaliæ, existentia.

A.D. 1382. An. 5 Ric. II.
Rot. Vascon. 5 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, senescallo dominii nostri Aquitaniæ, constabulario civitatis nostræ Burdegaliæ, judicibus appellationum superioritatis nostræ Aquitaniæ, ac aliis judicibus, majoribus, juratis civitatum et locorum, necnon officiariis, ballivis, et ministris nostris, ubicumque per dominium nostrum prædictum constitutis, qui nunc sunt, vel qui pro tempore erunt, et eorum loca tenentibus, ac aliis fidelibus nostris dominii nostri prædicti, salutem.

Ad nostrum jam noviter pervenit auditum quod nonnulli burgenses dictæ civitatis nostræ Burdegaliæ, et alii de partibus prædictis, qui diversa terras, dominia, hospitia, et alia tenementa ibidem de nobis, per certum annuum redditum, vel alia servitia, undè libri et registra nostra, in archivis nostris infra castrum nostrum Burdegaliæ existentia, mentionem faciunt plenariam, tenent et de jure tenere debent, eisdem registris et libris, quæ ibidem per ducentos annos et amplius continuè remanserunt, in judicio et extra contrariare, et illa pro viribus impugnare nituntur, et redditus et servitia, nobis de tenuris suis, per eadem registra et libros debita, solvere et facere contradicunt jam de novo, quod, si fieret, non solùm in nostri grave dampnum, verùm etiam in nostri et hæredum nostrorum exhæredationis periculum cederet manifestè;

Nos, registra et libros illa, quæ antiquitate hujusmodi fulciri dinoscuntur, de tantâ ac tali auctoritate reputantes, quod alicui ligeo nostro, ad allegandum, contra eadem, seu eisdem in aliquo contrariandum, nobis inconsultis, absque specialitate de regiâ majestate primò optentâ, in judicio vel extra, audientia aliqualis dari non debeat, et hoc vobis et aliis, quorum interest vel intererit, significamus per præsentes;

Inhibentes insuper, tenore præsentium, vobis et cuilibet vestrûm, ac aliis quibuscumque subditis nostris dominii nostri prædicti, districtiùs quo poterimus, nè quicquam, quod in nostri dampnum vel exhæredationem in hâc parte aliqualiter cedere poterit, attemptetis de cætero nec attemptent vel faciant, aut faciat vestrûm seu eorum aliquis, sub periculo quod incumbit.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', xx. die Martii.

Pro episcopo Dunolmensi.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.
Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 22. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Volentes pro majori quiete venerabilis patris Johannis episcopi Dunolmensis, consideratione quod ipse nulla dominia sive villas ad episcopatum suum pertinentia, propè civitatem nostram Londoniæ vel in partibus istis optinet, ubi equi ipsius episcopi, cùm ipse ad parliamenta seu concilia nostra venerit, hospitari valeant, gratiosè providere;

Concessimus eidem episcopo, pro tempore suo, quod, quotienscumque ipsum ad parliamenta seu concilia nostra, usque civitatem nostram prædictam, seu alia loca vicina, venire contigerit, gentes de familiâ suâ, et equi sui, in villa de Stratfordia atte Bowe hospitari possint liberè et absque impedimento ministrorum nostrorum et aliorum quorumcumque, prout gentes et equi Thomæ, quondam episcopi Dunolmensis, prædecessoris sui, ibidem hospitari consueverunt;

Nolentes quod villa prædicta, per senescallos, marescallos, herbergeatores hospitii nostri, seu alios quoscumque, alicui alteri, pro herbergagio interim aliqualiter liberetur;

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Martii.

Per ipsum Regem.

Super modificatione treugarum Franciæ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.
Rot. Vascon. 5 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront, saluz.

Come par entre les messages et deputez de nous et de nostre adversaire de France, assemblez pur traitier de paix es parties de Picardie a la darrein journee tenuz en cest present moys de Marce, feusse par certeins causes, entre autres choses, parlez, sur le pleiser de nous et de nostre dit adversaire, que nulle notable armee, par terre ne par meer, pur passer es roialmes d'une costee ou d'autre, novelles creues et retenus des gentz d'armes, en plus grant nombre qui sont a present, ou sont acustumez a estre es frontiers, ne aillours, de l'une partie ou de l'autre, ne serront faites par devant le primer jour de Juyn proschein venant;

Et sur ce, par noz ditz messages, estoit demandez que, en ce cas, le mareschal de France, et la poair, novelment envoiez ovesque luy as parties d'Aquitaigne, soient repellez, et que nul autre novelle armee ne poair ne serroit mys par nostre dit adversaire sur les frontiers, ne nulle autre guerre faite de sa part, forsque par les garnisons acustumez;

Et auxi alors estoit demandez par les messages de nostre dit adversaire que touz lieutenantz ou capitains, si nulles soient es parties de Guyen depart nous sur les chaumpes, autres qui sont accustumez pur faire guerre de forteresse au forteresse, soient par nous repellez en le meen temps, sicome par noz ditz messages nous ad este pleinement reportez;

Sachez nous estre accordez a ce que desuis est escript, en tant que nous touche, et le garderons et ferrons loialment garder, pur nostre costee, par noz subgitz, sur la fourme avantdite, et par especial ferrons repeller touz les lieutenantz et capitains, qi sont es chaumps es dites parties de Guyen depart nous, autres qui sont accustumez pur faire guerre de forteresse au forteresse, tanque au dit jour come dit est, et ce ove tout le hast qui se purra, sanz fraude ou mal engyn;

Parensi que le dit mareschal de France, ovesque le dit poair, envoiez as parties d'Aquitaigne, et toutz autres poairs, si nulles soient de novelle envoiez depar nostre dit adversair, sur les frontiers, ou aillours sur noz terres et seignuries, autrement que n'ad este aucustumez d'estre fait par luy sur les garnisons, soient repellez de fait, ove toute la haste qui faire se purra, sanz fraude ou mal engyn; et auxint parensi que nulle autre novelle armee ne poair ne soit mys ou envoiez, par nostre dit adversaire, sur les dites frontiers, n'autre guerre faite de sa part, si noun par les garnisons acustumez, pendant le dit primer jour de Juyn;

Et, sur celle matire et fourme, nous envoions desmaintenant noz lettres, as ditz parties de Guyen, par nostre conestable de Burdeaux, pur ce faire depar nous.

Et come, en outre, feusse, a la dite darrein journee, parlez, par la mediacion de reverent piere l'ercevesque de Rouan, moyen du dite traitee, en presence des messages desuisdites, par voie de report, sur plesir de nous et de nostre dit adversaire, qui trieus particulers soient prises, d'une costee et d'autre, es dites parties de Picardie, de Gravenyng jusqes a Somme, et par tout le countee de Pontieu, tamque al septisme jour du dit moys de Juyn;

Sachez que nostre volente et entention est, que nulle guerre notable soit faite, en le meen temps, autre q'ad este acustume entre garnison et garnison;

Mes de prendre generalment trieues, issint parlez, pur tieu temps, nous ne sumes advisez, quant au present, de ceo faire.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, en nostre palois de Westm', xxviii. jour de Marce.

Par le Roi et son conseil.

De parliamento summonendo in terrâ Hiberniæ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 19. in Turr. Lond.

REX, carissimo consanguineo et fideli nostro Rogero de Mortuo Mari comiti Marchiæ, locum nostrum tenenti in Hibernia, salutem.

Ad vestram, ac prælatorum, magnatum, procerum, et communitatum terræ nostræ Hiberniæ, notitiam deduci volumus qualiter onera, nostris humeris, pro regimine et salvatione regni nostri Angliæ, et terræ nostræ Hiberniæ, et aliorum terrarum et locorum nostrorum, necnon expeditione guerrarum nostrarum, multipliciter incumbentia, sine magno labore et sumptibus immensis sustineri et manuteneri non poterunt;

Ac jam ad nostrum pervenit auditum quod Edmundus de Mortuo Mari, nuper comes Marchiæ, locum nostrum tenens in dictâ terrâ nostrâ Hiberniæ, diem suum clausit extremum, per quod expediens est et necesse quod, pro bono regimine, salvatione et defensione terræ nostræ prædictæ magnum parliamentum ibidem per vos teneatur;

Et ideò vobis mandamus quod, cum omni celeritate quâ commodè fieri poterit, parliamentum, in eâdem terrâ nostrâ de prælatis, magnatibus, proceribus, et communitatibus, ad certos diem et locum, quos ad hoc provideritis, summoneri faciatis;

Et, consideratis statu dictæ terræ nostræ et expensis quamplurimis, quas circa expeditionem guerrarum nostrarum, juxta propositum, quod cepimus, ad partes exteras, Deo volente, cum comitivâ ad hoc competenti, transmeare, apponere oportebit, et hiis expositis prælatis, magnatibus, proceribus, et communitatibus dictæ terræ nostræ Hiberniæ, iidem prælati, magnates, proceres, et communitates inter se tractent et consulant, in parliamento prædicto, diligenter tam de bono regimine, salvatione, et defensione terræ nostræ prædictæ, quam de supportatione oneris, ex illis causis, pro parte suâ, necessariò faciendâ et adimplendâ;

Et nos, pro parte nostrâ, semper prompti erimus et parati apponere quod commodè poterimus ex causâ supradictâ;

Et quid per dictos prælatos, magnates, proceres, et communitates in dicto parliamento ordinatum, consensum, et actum fuerit, nos in Angliam, per nuncios idoneos, ex parte dictorum prælatorum, magnatum, procerum, et communitatum eligendos, cum omni festinatione possibili, quâcumque excusatione postpositâ, certificetis;

Et hoc, sicut nos, et honorem nostrum, ac salvationem et defensionem regni nostri Angliæ et terræ nostræ Hiberniæ, necnon expeditionem guerrarum nostrarum, diligitis, nullo modo omittatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxix. die Martii.

Per ipsum Regem et concilium.

Bulla Urbani VI. Papæ de ligis cum hæreticis, quâcunque firmitate roboratis, non observandis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Inter solicitudines varias, quibus assiduè premimur, illa potissimè pulsat et excitat mentem nostram, ut circa salutem animarum Christi fidelium solicitis studiis intendamus, et nè fideles ipsi, ex consortio et participatione scismaticorum seu hæreticorum, labefactari valeant, adhibeamus remedia oportuna.

Sanè ad nostrum nuper pervenit auditum, quod tam carissimus in Christo filius noster Wenceslaus Romanorum et Bohemiæ Rex illustris, quam etiam, claræ memoriæ, Carolus Romanorum Imperator, et ipsius Regis genitor, simul vel successivè, *nonnullas* confœderationes, vel colligationes, seu ligas, et conventiones cum diversis Regibus, principibus, ducibus, comitibus, ac magnatibus, nobilibus, et certis aliis, inierunt seu fecerunt, et quod aliqui ex hujusmodi Regibus, principibus, ducibus, comitibus, magnatibus, seu nobilibus, aut aliis tunc erant seu posteà sunt effecti scismatici seu hæretici manifesti, et ab unitate sanctæ Romanæ et universalis ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non sint:

Nos, igitur, attendentes quod hujusmodi confœderationes, colligationes, et ligæ, seu conventiones, factæ cum hujusmodi hæreticis aut scismaticis, postquam tales effecti erant, sunt temerariæ, illicitæ, et ipso jure nullæ, etsi fortè, ante ipsorum lapsum in scisma seu hæresim, initæ seu factæ fuissent, etiam si forent juramento vel fide datâ firmatæ, aut confirmatione apostolicâ vel quâcunque firmitate aliâ roboratæ, postquam tales, ut præmittitur, sunt effecti, eo ipso tam idem Rex quam alii, qui forsan unà cum eo hujusmodi confœderationes, colligationes, et ligas, seu conventiones cum talibus inierunt seu fecerunt, et ad quos hujusmodi confœderationes, colligationes, ligæ, seu conventiones quomodolibet extendi possunt, et quorum interest vel interesse poterit, ab earum observatione absoluti existunt, illasque ipsis servare non debent;

Quinimo ipse Rex hujusmodi scismaticos et hæreticos, ratione imperii, ad quod electus et per nos approbatus existit, in favorem sanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ, cujus est advocatus, pro posse persequi tenetur, quodque omnis communio cum talibus hæreticis seu scismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsùs nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial;

Et cupientes, super hiis, animarum saluti, et honori, ac statui ejusdem Regis et aliorum quorum interest, ut præfertur, salubriter providere, ac periculis et scandalis, quæ ipsis exindè provenire possent, utiliter præcavere;

Eundem Regem et omnes alios quorum interest vel interesse poterit, auctoritate apostolicâ, tenore præsentium, declaramus fuisse et esse ab earumdem confœderationum, colligationum, ligarum, et conventionum observatione penitùs absolutos, et ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus, et nullius esse decernimus firmitatis.

Et insuper, cupientes animarum periculis obviare, tam eidem Regi quam etiam omnibus hujusmodi aliis quorum interest seu interesse potest, tenore præsentium, districtiùs inhibemus, nè confœderationes, colligationes, ligas, aut conventiones hujusmodi aliquâtenus observent, seu ab aliis servari quomodolibet permittant:

Decernentes ex nunc irritum et inane quicquid in contrarium, à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, cassationis, irritationis, inhibitionis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire; siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat' Romæ, apud Sanctum Petrum, iii. kal. Aprilis, pontificatûs nostri anno quarto.

De curia T. Frabi.

[*Sub filis sericis flavi rubeique coloris.*]

Bulla Urbani VI. Papæ, super receptione ambaxiatorum Regis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo, &c. salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectos filios Walterum Skirlawe, decanum ecclesiæ Sancti Martini Londoniæ, et nobilem virum Nicolaum Dagworth militem, ambaxiatores tuos, benignè recepimus, et ea, quæ nobis ex parte serenitatis tuæ exponere curaverunt, intelleximus diligenter.

Volumus autem quod tua magnificentia pro certo teneat, quod nos ad ea, quæ tuum, et regni tui statum et honorem concernunt, affectu paterno attendimus, ac providimus, et providebimus, prout prædictis ambaxiatoribus tuis pleniùs diximus; et pro te, tanquam pro carissimo Romanæ ecclesiæ filio, solicitâ diligentiâ cogitamus.

Dat' Romæ, apud Sanctum Petrum, non. Aprilis, pontificatûs nostri anno quarto.

Oldradus.

Dors.—Carissimo in Christo filio Ricardo Regi Angliæ illustri.

Sigillum deest.

Ducis Venetiarum littera ad Regem.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

SERENISSIMO et excellentissimo domino Ricardo, Dei gratiâ, Angliæ et Franciæ Regi illustri, ac domino Yberniæ, plurimùm honorando, Anthonius Venerio, eâdem gratiâ, dux Venetiarum, &c. salutem et prospera successuum incrementa.

Benignitatem regiæ majestatis vestræ erga mercatores, et subditos nostros, qui in regno vestro more solito conversantur, experimentaliter demonstratam, apertè novimus per effectum; quia, per relationem nonnullorum nobilium civium nostrorum, comprehendimus mandatum regium emanâsse, quod ipsi nostrates, cum galeis, et mercationibus suis, a regiis subditis favore propitio tractarentur.

Cùm autem certissimum nobis sit ut eadem majestas hujusmodi dispositionem habeat, optetque ut nostri subditi in regno amicabiliter

videantur, nec eis fiat aliquid contra debitum rationis, et ad illas partes Angliæ præsentialiter transmittamus duas nostras galeas, quarum sunt patroni, nobiles viri, Hermolaus Lambard, vicecapitaneus ipsarum, et Andreas Cane, cives nostri dilecti;

Serenitatem vestram affectuosè rogamus quatenus placeat mandare, quod ipsi, et quilibet alii, nostri nobiles atque cives, cum galeis, nautis, mercationibus, et bonis suis, ac quibuscunque aliis nostris navigiis, attingentibus regnum vestrum, favorabiliter et cum securitate omnimodâ in eo videantur, faciendo eosdem gratiosiùs recommissos; quemadmodum et nos proceres et nobiles Angliæ, et quoslibet subditos Regis, ad nostras declinantes, liberali mente, et favore prosequimur, dispositi semper ad quæcumque regia beneplacita, et honores.

Dat' in nostro ducali palatio, die vii. Aprilis, quintæ indictionis.

Dors.— Serenissimo et excellentissimo domino Ricardo, Dei gratiâ, Angliæ et Franciæ Regi illustri, ac domino Hiberniæ plurimùm honorando.

Pro dictis ambaxiatoribus, ad Papam missis, de potestate tractandi cum Rege Neopolitano.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Nicholao Dagworth militi, et magistro Waltero Skirlawe decretorum doctori, decano Sancti Martini Magni Londoniæ, consiliario nostro familiari, salutem.

Cùm, inter gloriosas reipublicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, habeatur præcipuum sublimium et potentum principum sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, hinc indè, amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri;

Nos, præmissa considerantes, ac de vestris legalitate, probitate, industriâ, et circumspectione providis plenissimè confidentes;

Ad tractandum, conveniendum, et concordandum cum serenissimo principe, Karolo de Pace, Rege Neopolitano, super quibuscumque ligis, confœderationibus, et amicitiis specialibus, temporalibus, vel perpetuis, inter nos, subditos, regna, et dominia nostra quæcumque, ex unâ, et ipsum Regem Neopolitanum, subditos, regna, et dominia sua quæcumque, ex parte alterâ, ineundis;

Ac etiam de modo, formâ, quantitate, et qualitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc indè, tempore necessitatis, mutuò ministrandi;

Et de communicationibus, inter subditos, hinc indè, in mercimoniis et aliis licitis, securè et amicabiliter faciendis;

Necnon super omnibus et singulis articulis, quantumcumque specialibus, qui ligas, confœderationes, seu amicitias, inter nos et prædictum Regem Neopolitanum firmandas, concernere poterunt quovismodo, cum eorum incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis;

Ac omnia, quæ sic tractata, conventa, et concordata fuerint, cum omni securitate, debitâ et honestâ, in hoc casu, nomine nostro firmandum;

Consimilemque securitatem, pro nobis et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum;

Jurandumque, in animam nostram, quod tractata, conventa, et concordata ibidem, rata habebimus et grata, nec aliquid procurabimus, vel faciemus, per quod tractata et concordata hujusmodi effectu debito frustrari poterunt seu quomodolibet impediri;

Ac juramentum consimile ab eodem Rege Neopolitano, seu deputatis suis, petendum, exigendum, et recipiendum;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nosmet facere possemus si personaliter interessemus, etiam si talia forent quæ mandatum exigerent quantumcumque speciale;

Vos, conjunctim, et divisim, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales, facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes nos ratum et gratum perpetuò habituros quicquid per vos, aut alterum vestrûm, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis, et singulis præmissorum.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xv. die Aprilis.

Per ipsum Regem.

Pro ministris Papæ, de protectione.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 21. in Turr. Lond.

REX, omnibus ballivis et fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum sanctissimus in Christo pater et dominus, dominus Urbanus, divinâ providentiâ, Papa sextus, discretum virum, magistrum Cosmatum Gentilis, deputaverit et assignaverit ad fructus, proventus, emolumenta, cameræ ipsius patris pertinentia, in regno nostro Angliæ, levandum et colligendum;

Idemque collector, dilectos nobis, magistrum Thomam Southam archidiaconum Oxoniæ locum suum tenentem, et Richardum de Burton registrarium in officio prædicto, præfecerit, necnon Johannem de Monticulo, Ricardum Petir, Nicholaum Halughton, et Rogerum Hampton, cursores prædicti domini nostri Papæ, in officio prædicto, in diversis partibus regni nostri prædicti, pro fructubus, proventibus, et emolumentis prædictis recipiendis laborare deputaverit;

Et nobis supplicaverit ut, pro eorum securitate, ac salvâ collectione dictorum fructuum, proventuum, et emolumentorum, dignemur gratiosè providere;

Nos, supplicationi prædictæ favorabiliter inclinati, suscepimus ipsum collectorem, ac prædictos, locum suum tenentem et registrarium, necnon dictos, Johannem, Ricardum, Nicholaum, et Rogerum, dicta fructus, proventus, et emolumenta, levando et colligendo, et se de loco ad locum infra regnum nostrum prædictum divertendo, morando, et ad propria redeundo, necnon homines, et servientes suos, ac res, hernesia, et bona sua quæcumque, in protectionem et defensionem nostras speciales;

Et ideò vobis mandamus quod ipsos, collectorem ac locum tenentem et registrarium, necnon prædictos, Johannem, Ricardum, Nicholaum, et Rogerum, &c. *ut in similibus de protectione literis.*

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Aprilis.

De impugnatoribus jurium Regis, in insulis de Jeresey et Gerneseye, arestandis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, custodi insularum suarum de Gerneseye et Gereseye, et ejus loca tenentibus, salutem.

Ex relatione plurimorum accepimus quod quidam, jura coronæ nostræ usurpantes, ipsas insulas cum diversis litteris et processibus, nobis et coronæ nostræ ac juribus ejusdem coronæ præjudicialibus, subdolè ingressi, quamplures ligeos et fideles nostros à possessionibus sibi per nos in hâc parte collatis et concessis, in dicto jure nostro habendis, prætextu litterarum et processuum prædictorum, expulserunt, et eas de die in diem, colore illq, detinent et occupant minus justè, ut dicitur: redditus et alia bona indè provenientia et percepta capientes, consumentes, et devastantes, ac plura alia dampna et injurias nobis et eisdem ligeis et fidelibus nostris ibidem facientes, undè remedium aliquod per vos vel aliquem vestrûm, licet ad jura coronæ nostræ ibidem manutenendum et conservandum, et quoscumque ea impugnantes castigandum et puniendum, et attemptata contra eadem debitè reformandum, vinculo juramenti sitis astricti, appositum non existit, ut deberet, de quo quamplurimum miramur, et non inmeritò conturbamur et movemur;

Et nolentes jura coronæ nostræ, ad quorum illæsam observationem astringimur juramento, taliter deperire, et ea contravenientes, quin juxta eorum demerita debitè puniantur, aliqualiter evadere;

Vobis, in fide et ligeanciâ quibus nobis tenemini, et sub incumbenti periculo, injungimus et mandamus, quod super præmissis omnibus et singulis, ac dependentiis et connexis eorumdem, vos debitè informetis, ac querelas omnium et singulorum pro nobis et seipsis super præmissis conqueri volentium, audiatis, et ulterius pro recuperatione jurium nostrorum in hâc parte, ac reformatione attemptatorum contra eadem, necnon restitutione possessionum ac dampnorum et deperditorum ipsorum ligeorum et fidelium nostrorum, super jure nostro prædicto, ac condignâ punitione delinquentium, in hâc parte faciatis quod de jure, et secundum leges et consuetudines partium illarum, fuerit faciendum, et hactenus in casu consimili rationabiliter fieri consuevit: litteras seu processus hujusmodi, vel aliqua alia, quæ in nostri seu coronæ nostræ aut jurium ejusdem enervationem cedere poterunt, de cætero ibidem deferri, seu executioni demandari, minimè permittentes.

Ac omnes illos, qui ipsas insulas ex causâ hujusmodi ingressi, et ipsos ligeos et fideles nostros, quominus liberam dispositionem omnium possessionum, redditthe et aliorum bonorum, sibi per nos in hâc parte concessorum, in jure nostro habere, percipere, et inde liberè disponere possint, impediti fuerint, seu exnunc impediri contigerit, capi et in prisonâ nostrâ ibidem, quousque aliud à nobis inde habueritis in mandatis, salvò custodiri faciatis;

Et quid ad præsens mandatum nostrum feceritis, nos in cancellariâ nostrâ Angliæ de tempore in tempus reddatis sub sigillis vestris distinctè et apertè certiores, cum transcripto hujusmodi brevis; taliter vos habentes in hâc parte ne, in vestri defectum jura nostra depereant, et ad vos, tanquam voluntarios deperditores eorumdem, et eadem jura impugnantium manutentores, materiam habeamus graviter capiendi.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Aprilis.

Per concilium.

Pro collectore Papæ, de licentiâ, omnimoda pannos, vestimenta, et hernesias suas, absque custumâ solvendâ, exportandi.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Claus. 5 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, collectoribus tam magnæ quam parvæ custumæ nostræ in portu villæ Bristoll', ac scrutatori et custodibus passagii in portu prædicto, salutem.

Volentes, ob reverentiam domini Summi Pontificis, cum Cosmato Gentilis, collectore ipsius domini Summi Pontificis in Anglia, gratiam facere specialem, vobis mandamus quod attornatos sive procuratores ipsius collectoris, sex pecias de tapestriâ viridis coloris, pulverizatas cum rosis, præfato Summo Pontifici præsentandas; unam curtinam magnam de sargiâ ejusdem coloris; duo bancalia blavei coloris de opere tapestriæ; quinque paria linthiaminum et duos blanketos pro uno lecto, curtinas pro lectis blueti coloris, continentes sex pecias; unam magnam cultricem pro lecto, et sex cuschinos pro camerâ; quinque pecias curtinarum, pro lectis rubei coloris; duas pecias pro ornamentis cameræ, ejusdem rubei coloris, magnas et longas; duas pecias parvas pro ornamentis cameræ ejusdem coloris, cum uno bancali blaveo; duas magnas pecias rubeas de sargiâ, pro ornamentis aulæ, operatas cum armis Papæ, Regis, et ecclesiæ; duo bancalia magna, pro dictâ aulâ, et unam parvam peciam de sargiâ pro aulâ ejusdem coloris; unam peciam panni de tapestriâ, de colore rubeo et nigro; palatam, quinque mantellos de panno Hibernico, quorum unum est foderatum cum panno viridi, unum alium mantellum de panno mixti coloris, foderatum cum panno viridi; unum indumentum de russeto, foderatum cum panno Hibernico; unum pannum lanium, viridis coloris, pro computo; tria cooperta lecta, cum testeriis; unum pannum virgatum, pro valecto, blueti coloris; unam peciam panni, blueti coloris, continentem quinque alas; et unam aliam peciam panni de mixto, continentem septem alas; et unam aliam peciam, de panno mixto, continentem novem alas; et unam peciam de blanketo, continentem sex alas; unum mantellum mixti coloris, foderatum cum bayro, cum supertunicâ et capucio, foderatis cum totâ suâ sectâ; unum mantellum de blueto, foderatum cum griseo, cum supertunicâ ejusdem sectæ, foderatâ cum totâ suâ sectâ; aliud indumentum, foderatum cum calabre, cum unâ tunicâ foderatâ cum blanketo, et cum uno capucio foderato; aliud indumentum, absque manicis, foderatum cum bayro, pro unâ tunicâ, foderatâ cum pellibus agnorum; unam furreram de bayro, pro unâ supertunicâ; unum capellum et unum par cirotecarum, foderatarum cum griseo, et unum par cirotecarum de bevyr; unam tunicam de mixto, foderatam cum blanketo; et duos mantellos rotundos, unum mixtum, et alium nigrum; unum indumentum de panno Northfolch, foderatum de panno nigro; unam tunicam ejusdem panni, foderatam cum panno viridi; et unum gipponum de aliâ formâ; quatuor strictas tunicas de blanketo; unam robam integram, foderatam cum syndone, cum totâ suâ sectâ, blueti coloris; unum indumentum coloris sanguinei, foderatum cum syndone; unum capucium de violet, foderatum cum scarleto; unam peciam de blueto, decem alas continentem, cum manutergiis, et cum aliis pannis lineis; unum tabardum cum supertunicâ et capucio unius sectæ, foderatum cum syndone blaveo; unum capucium de sanguineo colore, foderatum cum panno nigro; unum capucium de scarleto, duplicatum; et unum capucium de sanguineo singulare; necnon triginta libros et libellos ejusdem collectoris; in balis sive cistis reponere, ac ea omnia in quâdam navi in portu prædicto carcare, et versus partes transmarinas penes præfatum collectorem, liberè et absque impedimento, et absque custumâ seu subsidio, nobis indè solvendis, traducere permittatis; aliquo mandato nostro, vobis priùs in contrarium directo, non obstante.

Teste Rege, apud Westm', iv. die Maii.

Per concilium.

Similis licentia, ad exportandum imagines et supellectilia.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Claus. 5 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, collectoribus tam magnæ quam parvæ custumæ nostræ in portu villæ Suthamptoniæ, ac scrutatori et custodibus passagii in portu prædicto, salutem.

Volentes, *&c. ut supra usque ibi* ipsius collectoris, *tunc sic*, tres ymagines de alabaustro magnæ formæ; unam de figurâ Beatæ Mariæ; aliam Beati Petri; et tertiam Sancti Pauli; cum unâ aliâ parvâ ymagine Sanctæ Trinitatis, in uno tonello cum antiquis curtinis et aliis minutis utensilibus modici valoris, ad dictas ymagines illæsas custodiendas: necnon certa vasa de peutreo, videlicet sex chargeours magnas; viginti et quatuor parapsides; viginti et quatuor discos; viginti et quatuor sauceria de magnâ formâ; tresdecim candelabra de latonia; duo vasa de eodem metallo, videlicet, unum pro aquâ observandâ, et aliud pro lixiviâ; tres pelves, cum tribus lavacris de eodem metallo; unum calamare de stanno; duodecim paria cirotecarum lanearum; quinque paria caligarum, et duo magna paria cultellorum, vocatorum trencheours; in uno barello ejusdem collectoris, ac ea omnia in quâdam navi, *&c. ut supra.*

Teste, ut supra.

Per concilium.

De proficuis, adhærentium antipapæ, in Aquitania, confiscandis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Vascon. 5 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, locum nostrum tenenti sive senescallo dominii nostri Aquitaniæ, &c. salutem.

Ex relatione nonnullorum fidelium nostrorum, dominii nostri prædicti, ad nostrum pervenit intellectum, quod episcopus Adurensis, quampluresque alii clerici scismatici, redditus et beneficia, variasque possessiones, infra terminos dominii nostri prædicti optinentes, sanctissimo in CHRISTO patri et domino, domino Urbano, dignâ DEI providentiâ, universalis ecclesiæ Summo Pontifici, notoriè et de facto rebellant, antipapæ dampnabiliter et nephariè adhærendo;

Per quod redditus, possessiones prædicta et proficua beneficiorum suorum quorumcumque, ipsis in rebellione suâ persistentibus, nobis sunt, de jure dominii nostri, confiscata;

Hujusmodi scismaticos de emolumentis seu reventionibus hujusmodi reddituum, beneficiorum, seu possessionum, infra fines ligeantiæ nostræ existentium, in eorum perfidiâ et rebellione aliqualiter confoveri aut sustineri nolentes, sicuti non est justum;

Vobis, et cuilibet vestrûm, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, committimus et mandamus quod, si præmissa noveritis veritatem continere, tunc omnia redditus, possessiones, necnon emolumenta, proficua, ac reventiones beneficiorum præfati episcopi, ac aliorum clericorum scismaticorum quorumcumque, infra districtus et jurisdictiones vestras existentium, in manum nostram, tanquam nobis confiscata, de tempore in tempus, capiatis et applicetis, ita quod nobis de emolumentis, proficuis, et reventionibus hujusmodi reddituum, beneficiorum, et possessionum, quamdiu scismatici prædicti in eorum rebellione penes prædictum Summum Pontificem duraverint, faciatis fideliter responderi; de quibus volumus quod vos, præfate constabularie, compotum nobis reddere teneamini.

In cujus, &c.

Dat' apud Westm', vi. die Maii.

Per concilium.

Pro J. de Roches, admirallo versus partes occidentales constituto.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et aliis fidelibus suis, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate dilecti et fidelis nostri Johannis de Roches chivaler plenius confidentes, constituimus ipsum admirallum nostrum flotæ navium ab introitu portus villæ Suthampton', et ibidem, et abindè versus partes occidentales, quamdiu nobis placuerit;

Dantes ei plenam, tenore præsentium, potestatem audiendi querelas omnium et singulorum, de hiis quæ officium admiralli tangunt, et cognoscendi in causis maritimis, et justiciam faciendi, ac delinquentes juxta eorum demerita castigandi, puniendi, et incarcerandi, et incarceratos, qui deliberandi fuerint, deliberandi;

Necnon naves et naviculas guerrinas quot necessarias, cujuscumque portagii fuerint, quociens necesse fuerit, congregandi, et marinarios et alios pro navibus et naviculis illis necessarios, eligendi, capiendi, et in eisdem ponendi; et ad hujusmodi marinarios, qui rebelles vel contrariantes fuerint in hâc parte debitè compescendum et castigandum, et ad omnia alia, quæ ad officium admiralli pertinent in hâc parte faciendum et exequendum, prout de jure et secundum legem maritimam fuerit faciendum;

Et ad alios, quos idem Johannes ad hoc idoneos noverit existere, quociens ipse ad hoc vacare non poterit, ad præmissa omnia et singula facienda, loco ipsius Johannis substituendum et deputandum, prout ei melius expedire videbitur.

Et ideò vobis mandamus quod eidem Johanni, substitutis et deputatis suis prædictis, in præmissis omnibus et singulis faciendis, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes, quociens et prout per ipsum Johannem, vel substitutos aut deputatos suos prædictos, super hoc fueritis præmuniti, vel fuerit aliquis vestrûm præmunitus ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

De proclamatione faciendâ, de lanis.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Claus. 5 Ric. II. m. 2. d. in Turr. Lond.

REX, collectoribus custumarum et subsidiorum nostrorum in portu London', salutem.

Cum, de communi assensu nostro, ac procerum, magnatum, et communitatum regni nostri Angliæ, nobis in ultimo parliamento nostro assistentium, pro securiori regimine et melioratione regni nostri prædicti, et mercandisarum ejusdem, quædam concordiæ sive ordinationes factæ fuissent, inter alia, sub hâc formâ:

Primerement, est assentuz et accordez en parlement, que toutes maneres destranges marchantz, de quelconque nation ou paiis qu'ils soient, esteantz del amistee notre seignur le Roy, et de son roialme, soient biēn venuz, et franchement venir purront deinz le roialme d'Engleterre et aillours, en le poair notre dit seignur, sibien deinz franchise come dehors, et illeoqes converser, marchander et demourer si longement, come bon jour semblera, come ceux les queux . . . . notre dit seignur, par le tenour de cestes, prent en sa protection et salve garde, avec lours biens, marchandies et familiers quelconqes, et par tant voet le Roi et comande qu'ils et chescun d'eux, soit et soient bien aimablement et marchandeablement tretez, et desmesnez toutz partz deinz le ditz roialme et poair, avec lours marchandies et biens quelconqes, et soeffertz d'aler, venir, et en lours propres paiis peisiblement retournir, sanz destourbance ou empeschement de nully.

Item, est assentuz et accordez en parlement, que le passage des leynes, quirs, et peaux lanutz, soit overt a toutes maneres des marchantz et autres, sibien foreins come denzeinz, qui les vorront achater, et prestement paier en main pour ycelles les custumes, subsides et devoirs de Caleys duz de cy, tanque a la Seint Michel prochein venant en un an, en tiele manere que en le moien temps ils, et nulles autres, les purront faire eskipper et coketter es portz deinz le roialme acustumez, et dilleoqes les faire carier et amesner vers quelconques parties ils vorront eslire ou choiser depart dela, saunz impediment ou empeschement quelconque hors pris le roialme de France.

Et en oultre del assent avantdit, le Roi voet et grante a touz yceulx marchantz et autres, qui parentre cy, et la quinszeme de Seint Martyn proschein venant, paieront devant la mayn les ditz subsides, custumes, et devoirs pour les leynes, quirs, et peaux lanutz, queux ils vorront passer et faire amesner depar dela, parentre le primer jour de Septembre proschein venant, et le dit feste de Seint Michel proschein venant, en un an, relees et pardon de demy marc a chescun saak de leyne, et de demy marc a chescun deux centz et quarrante peaux lanutz; et ensi de lours quirs, selonc l'afferant sur lours ditz paiementz ensi affaires devant la main, come dit est;

Et avec ce averont ils, et chescun d'eux, franchement le passage dyceulx lours leynes, quirs, et peaux, a large ou, et quant ils vorront, come desus est dit, devant la feste de Seint Michel avantdit, sanz impediment ou empeschement quelconque;

Mais l'entention du Roi autrement n'est mye que ceux, qui ne paieront les subsides de lours leynes, quirs, et peaux, devant la dite quinszeme, ils paieront entierment les custumes, subsides et devoirs de lours leynes, quirs, et peaux lanutz, appasiers depart dela saunz remission avoir de dit demy marc par aucune vue.

Et le Roi promette, et assentuz est et accordez par touz les estatz de parlement, que encontre cestes graunt et ordinance, ne encontre celles persones qui paieront ensi devant la main, et devant la dite quinszeme, lours subsides, custumes, et devoirs, et averont par tant la passage de lours leynes, quirs, et peaux lanutz, et relees del dit demy marc, come dit est, ne serra fait repell, revocation, countremandement, impediment, n'autre rienz quelconque par notre seignur le Roy, son conseyl, ses ministres, ne nulle autre, qui purra tournir ou soner en destourbance de lour covenant ou passage avantdit par voie del monde quelconque.

Et le Roi voet et graunte a la requeste de sa commune, que les deniers provenant del subside des ditz leynes, quirs, et peaux lanutz, grauntez au darrain parlement, soient entierment appliez sur le defens du roialme d'Engleterre, et la garde et governance de ses villes et fortaresces depar dela, selonc le bon advis des seignurs de roialme, et les autres sages del conseil notre seignur le Roy.

Nos, volentes dictas concordias, sive ordinationes, in omnibus et singulis suis articulis inviolabiliter observari, vobis præcipimus, districtius quo possumus injungentes, quod omni dilatione postpositâ, prædictas concordias sive ordinationes, in portu prædicto, et locis vicinis, ubi præmissa melius notificari poterunt, publicè proclamari, et easdem concordias sive ordinationes, juxta vim et effectum eorumdem, de tempore in tempus faciatis effectualiter executioni debitæ demandari.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

[*Et erat patens.*]

Consimilia brevia diriguntur collectoribus subscriptis, sub eâdem datâ; videlicet,

Collectoribus custumarum et subsidiorum Regis in portu villæ Novi Castri super Tynam.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Kyngeston super Hull.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Sancto Botulpho.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Jernemuth.
Collectoribus, &c. in portu villæ Gippewici.
Collectoribus, &c. in portu villæ Sandewici.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Lenn.
Collectoribus, &c. in portu villæ de Melcombe.
Collectoribus, &c. in portu civitatis Oxon'.
Collectoribus, &c. in portu civitatis Cicestriæ.
Collectoribus, &c. in portu villæ Bristoll'.
Collectoribus, &c. in portu villæ Suthampton.

De custodiâ castri de Haumes, R. de Holme commissâ.

A. D. 1382.—An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione Ricardi de Holme armigeri, pleniùs confidentes, commisimus ei custodiam castri nostri de Haumes, habendam juxta formam cujusdam indenturæ indè inter nos et ipsum Ricardum confectæ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', ii. die Junii.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu, pro ambassatoribus Franciæ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 2, 3. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz noz lieutenantz, conestables, mareschaux, capitains, seneschaux, bailliz, prevos, mairs, eschevins, gardeins des bonnes villes, chasteaux, et forteresses, des pons, pors, et passages, a noz admiraux et visadmiraulx, et a touz noz autres justicers, officers, et subgies, ou a lours lieuxtenants, et autres noz bienvuellans, amis, alliez, et adherens, par terre et par mere, salutz et dilection.

Comme, a l'oneur de Dieu, Faiseur de toutes paix, et pour escheuer l'effusion du sanc humain, nous aions grant affection au bien de la paix estre entre nous et nostre adversaire de France, par quoy nous somes assentuz au traictie d'icelle;

Et pour ce que, le duc de Bourgoyne, le conte de Flandres, et le conte de Eu, ou le conte de la Marche, Nicole evesque de Baieux, Inguerrant sire de Coucy, Arnaud de Corbie premier president en parlement, Robert de Betune vicont de Meaulx, Nicolas Braque, Johan sire de Sempy, Regnaut des Dormans maistre de requestes de l'ostel de nostre dit adversaire, et Johan Tabary arcydiacre de Pontieu, messages deputez depar nostre dit adversaire, doivent venir prochainement es parties de Picardie, si comme entendu avons, a cause du dit traictie;

Nous, veuillantz pourveoir a la seurte de eulx, de leurs genz, familiers, chevaliers, escuiers, clers, varlez, chevaux, harnois, et autres biens quelconques, avons pris, mis, et receu, prenons, mettons, et recevons les ditz duc, un ou autre des ditz contes, les diz evesque, Inguerrant, Arnaud, Robert, Nicole, Johan, Reignaut, et Johan, avec leurs gens, familiers, chivaliers, escuiers, clers, et varlez, jusqes au nombre de cinque cenz personnes, a cheval ou a pie, leurs chevaux, harnois, et biens quelconques, en nostre sauf et seur conduit, protection, tuition, sauvegarde, et defense especiaulx, en venant, alant, et passant, par nostre roiaume de France, es parties de Picardie, ou ailleurs, ou mestier serra, pour le dit traitie, et la demourant, sejournant, et eux retournant, vers les parties de France, par terre et par mere, touz ensemble ou par parties, si comme ils leur plaira, et auxi sovent comme ils voudront et a faire serra, par quatre mois, prochains venant, apres la date de ces presentes;

Et pour ce nous mandons, et commandons a vous touz noz subgiez, et noz amis, bienvueillans, aliez, et adherens prions et requirons, *&c. prout in ejusmodi de conductu literis.*

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le iv. jour du mois de Juyn, l'an de Grace mill troiscenz quatre vinz et deux, et de noz regnes quint.

RICHARD, par la grace de Dieu, Roi d'Engleterre et de France, et seignour d'Ireland, a touz noz lieuxtenantz, conestables, mareschaux, capitaines, seneschaux, baillifs, prevoz, maires, eschevins, gardeins des bonnes villes, chateaux, forteresses, des pons, pors, et passages, a noz

admiralx et viceadmiralx, et a touz noz autres justiciers officiers et subgiz, ou a lour lieuxtenantz, et autres noz bien voillantz, amys, allies, et adherens, par terre et par meere, salutz et dilection.

Come, al honour de Dieu, Faiseur de totes paix, et pur escheure l'effusion du sanc humain, nous aions grant affection au bien de la paix estre entre nous et notre adversaire de France, par quoy nous sommes assentuz au traitte dicelle;

Et pur ce que le reverent piere en Dieu, l'ercevesque de Roan, mediatour du dit traicte, doit venir prouch' es parties de Picardie, sicome entendu avons, a cause du dit traicte;

Nous volans purveoir a la seurte de lui, de ses gentz, familliers, chevaux, hernois et biens quelconqes, avons pris, mis, et receu, prenons, mettons, et recevons, le dit ercevesque avesque ses gentz, familiers, chivalers, esquiers, clers et varles jusqes al nombre de cynquant persones, a chival ou a pie, lours chevaux, hernois, et autres biens quelconqes, en notre sauf et seur conduit, protection, tuicion, sauve garde et defense especiaux, en venant, alant, et passant par nostre roialme de France es partes de Picardie et ailleurs, ou mestir serra, pur le dit traicte, et la demourant, sojournant et eux retournant vers les parties de France, par terre et par meer, touz ensemble ou par parties, sicome il leur plerra, et auxi sovent come il voudront, et afaire serra, par quatre mois proscheins apres la date de ses presentes;

Et pur ceo nous mandons et commandons a vous touz noz subgitz, et noz amys, bien voillantz, allies, et adherens, prions et requirons et chascun d'eux et leur lieutenantz, officiers, et deputez que le dessus dit ercevesque, ses gentz, familiers, chivalers, esquiers, clers et autres, de quelconque estat ou condition qu'ils soient, jusqes au dit nombre de cynquant persouns, a chival ou a pee, lours chevaux, monnoie, biens, et hernois quelconqes, vous suffrez et laisses, seuffrent et laissent, paisiblement passer et repasser, demour, sejourner, aler, retourner, ensemble ou par partie, a lour voulente, et tant de foitz come il leur plerra, tant par meer come par terre, par tout nostre povoir, jusqes au dit noumbre par les ditz quatre mois procheins venantz apres la date de ses presentes, sanz faire, donner ou suffrir estre fait ou donnez, par voie d'arrest a cause de marque, repulsaire ou entrecours par autre cause, colour ou occasion quelconqes, a eux ou a ascun d'eux, en persone, chevaux, monnoie, biens, hernois, et autres choses, gref, damage, molestation, villenie, arrest, destourber, ou empeschement aucuns aincois se mester est, et par le dit ercevesque en estes requis, leur faites avoir sauf conduit, gens, vivres, et autres choses necessaires pur lour passage, et pour demourer et retourner a leurs depens raisonables.

Done par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre palais de Westm', le iv. jour de moys Juyn, l'an du Grace mill troiscens quatrevintz et deux, et de noz regnes quint.

Par le Roi et son conseil.

De custodiâ castri de Oye W. de Hoo commissâ.

A.D. 1382.—An. 5 Ric. II.

Rot. Franc. 5 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione dilecti et fidelis nostri Willielmi de Hoo, pleniùs confidentes, commisimus eidem Willielmo custodiam castri nostri de Oye; habendam à die liberationis castri prædicti sibi faciend' per unum annum proximò sequentem, juxta formam cujusdam indenturæ indè inter nos et ipsum Willielmum confectæ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Junii.

Bulla Urbani VI. Papæ, ad Regem, pro episcopo Dolensi, de assistendo.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo &c. salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nuper ad ecclesiam Dolensem, tunc vacantem, venerabilem fratrem, Petrum Dolensem, tunc Senogaliensem episcopum, confessorem nostrum, à vinculo, quo Senogaliensi ecclesiæ tenebatur, de potestatis plenitudine absolventes, duxerimus auctoritate apostolicâ transferendum, serenitatem tuam affectuosè rogamus, et hortamur attentè, quatinus cum favor tuus eidem episcopo, pro adeptione pacificæ possessionis dictæ Dolensis ecclesiæ, suæ curæ commissæ, ac conservatione jurium ejusdem, noscatur fore plurimum opportunus, ob Dei et apostolicæ sedis reverentiam, atque nostram, sic velis eidem episcopo assistere auxiliis et favoribus oportunis, quod, præter divinæ retributionis præmia, nostram et dictæ sedis benedictionem et gratiam uberius merearis.

Dat' Romæ, apud Sanctum Petrum, xvi. kal. Julii, pontificatûs nostri anno quarto.

Valen. de Viterbio.

De ordinando pro passagio ducissæ Britanniæ.

A. D. 1382. An. 5 Ric. II.

Pat. 5 Ric. II. p. 2. m. 3. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis Guidoni de Brien, Johanni de Roches, admirallo flotæ nostræ navium versus partes occidentales, et Johanni Philpot, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad sufficiens et competens eskippamentum, pro passagio et transitu carissimæ sororis nostræ Johannæ ducissæ Britanniæ ac familiæ suæ, cum omni celeritate qua fieri poterit, in portu villæ Suthamptoniæ vel Dertmuth, pro denariis ipsius sororis nostræ, in hâc parte solvendis, ordinandum et disponendum, et ad omnia alia et singula, quæ in hâc parte necessaria fuerint vel oportuna, passagium ejusdem sororis nostræ tangentia, faciendum et explendum;

Et ideò vobis, et cuilibet vestrûm, injungimus et mandamus, quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, et omnibus aliis fidelibus et subditis nostris, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis, et cuilibet vestrûm, in executione præmissorum, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens, et prout ipsi per vos, seu aliquem vestrûm, super hoc, fuerint requisiti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Junii.

Acquietantia de jocalibus Regis impignoratis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 1. m. 36. in Turr. Lond.

LE Roy, a touz ceux qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Come noz chers et foialx maire et communalte de nostre citee de Londres, les queux avient en gage, en diverses coffres et casses, pur deux milles livres, queles ils nous appresterent n'adgaires, a nostre grand eide, et a la requeste de nous, noz joialx desouz escritz; c'estassavoir, une corone d'or, de cynk grandz et cynk petitz florons, garniz ovesque baleys, emeraudes, saphirs, diamantz, et grosses perles, poissantz, par pois d'orfeure, quatre livres, tresze soldz et quatre deniers; un espey, garniz d'or, ovesque diamantz, baleys, baleseitz petitz, saphirs, et perlez; et vyngt et troys nouches d'or de diverses sortes, garnis de diverse perrie, dont un grand nouche et troys mendres nouches, chescun ovesque un griffon en mylieu, cynk nouches a la guyse de chiens blanks, naufrez en les espaules de rubies, un grand nouche ovesque quatre senglers d'azour, quatre nouches a la guyse de egles, trois nouches a la guyse de cerfs blanks, naufres de rubies, sys nouches a la guyse de cliefs; et un palet d'or appellez le palet d'Espaigne, garniz de diverses perles et peres precieuses, poisant en nobles cent et quatre vyngtz livres, soient paiez, depar nous, de les dites deux milles livres, pur quoy ils ont reliverez les ditz joialx, a nostre oeps, a nostre ame clerc, Johan Bacon, gardein de certains noz joalx et vesselmentz d'or et d'argent, a ce que mesme nostre clerc ad reconuz devant nostre conseil;

Nous a cause que les ditz mair et communalte nous ont restituez certeinz noz lettres obligatoires, faites a eux de les deux milles livres avantdites, et nous ont fait acquitance de mesme la somme, si come ils sont tenuz par certein condicion, expressee en mesmes les lettres, veulliantz purveoir a lour seurtee en ceste partie, par la teneur de ces presentes deschargeons les ditz mair et communaltee des ditz joialx, et leur grantons ent estre quites envers nous.

En tesmoignance de quele chose nous avons fait faire cestes noz lettres patentes.

Don' souz nostre grant seal a Westmonstier, le xxiv. jour de Juyn, l'an du nostre regne sisme.

Par brief de prive seal.

Pro ducissâ Britanniæ, de conductu, et de tractando.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. — Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 30. in Turr. Lond.

RICARDUS, Dei gratiâ, &c. salutem. Sciatis quod cum duo barones, viginti milites, sex clerici, centum scutiferi de Britannia, cum certis navibus, nautis, marinariis, hominibus, servientibus et familiaribus suis, armatis vel sine armis, in regnum nostrum Angliæ, pro carissimâ sorore nostrâ Johanna ducissâ Britanniæ quærendâ, et penes Johannem ducem Britanniæ virum suum ducendâ, ac decem personæ de personis prædictis, seu decem aliæ personæ de eisdem partibus, ad tractandum nobiscum ac cum concilio nostro de certis negotiis, præfatum ducem tangentibus, in proximo sint venturi;

Nos, pro eorum securitate, ut ipsi, infra regnum et dominium nostra amicabiliter pertractentur, ac prosperum adventum et securum transitum optineant, volentes providere, suscepimus ipsos barones, milites, clericos, scutiferos, cum navibus, nautis, marinariis, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

Dat', xxiii. die Junii.

Pro duce Britanniæ, super deliberatione castri de Brest.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. — Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 32. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis receptoribus, occupatoribus, firmariis, et tenentibus castri et manerii de Rysyng in comitatu Norffolciæ, ac omnium membrorum ejusdem manerii, salutem.

Cum, quartodecimo die Septembris, anno regni nostri Angliæ secundo, per certum tractatum, factum et concordatum inter nos et Johannem ducem Britanniæ, pro et de causâ castri de Brest, quod idem dux nobis dedit et deliberavit, unà cum brevibus Britanniæ, senheriis, et omnibus aliis dominiis et proficuis, ad idem castrum de Brest spectantibus, de avisamento et assensu magni concilii nostri, inter alia, dederimus et concesserimus eidem duci et carissimæ sorori nostræ Johannæ uxori ejus dicta castrum et manerium de Rysyng, cum proparte quam habuimus in la Tolboth de Lenn, et omnimodis aliis membris et pertinentiis manerii prædicti, habendum sub certâ formâ, in literis nostris patentibus, indè confectis, specificatâ, prout in eisdem literis pleniùs continetur;

Vobis mandamus quod præfatis, duci et sorori nostræ, de firmis, redditibus, servitiis, et omnibus aliis proficuis et emolumentis dictis castro et manerio de Rysyng, ac proparti et membris ejusdem manerii, qualitercumque spectantibus sive pertinentibus, et de arreragiis firmarum, redditum, proficuum, et emolumentorum prædictorum, à prædicto quartodecimo die Septembris, intendentes sitis et respondentes, juxta tenorem literarum nostrarum prædictarum, quocumque mandato nostro, in contrarium vobis facto, non obstante.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Junii.

[*Et erat patens.*]

REX, universis et singulis receptoribus, occupatoribus, firmariis, et tenentibus manerii de Sevenhampton et hundredi de Hellworth, ac aliorum membrorum ejusdem manerii in comitatu Wiltesiæ, salutem.

Cum quartodecimo die Septembris, *&c. ut supra, usque ibi* spectantibus, *et tunc sic,* de avisamento et assensu magni concilii nostri, inter alia, dederimus et concesserimus eidem duci et carissimæ sorori nostræ Johannæ uxori ejus dictum manerium, cum hundredo et membris suis prædictis;

Habendum sub certâ formâ, *&c. ut supra, mutatis mutandis.*

Teste, ut supra.

[*Et erat patens.*]

Consimile breve dirigitur receptoribus, occupatoribus, firmariis, et tenentibus maneriorum de Soureby et Penreth, ac eorum membrorum in comitatu Cumbriæ.

Teste ut supra.

[*Et erat patens.*]

De cerâ renovandâ.

A. D. 1382. — An. 6 Ric. II. — Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

REX, thesaurario et camerariis suis, salutem. Mandamus vobis quod ceram existentem circa corpus celebris memoriæ, domini E. quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri, filii Regis Henrici, in ecclesiâ Beati Petri Westmonasteriensis humatum, de denariis nostris renovari faciatis, prout hactenus fieri consuevit.

Teste Rege, apud Westm', v. die Julii.

Pro cancellario Regis Portugaliæ.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. — Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 30. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. salutem. Volentes, dilectum nobis, Laurentium Fogate, cancellarium Portugaliæ, ad nos in nuncium ex parte illustrissimi principis Regis Portugaliæ, consanguinei nostri, nuper missum, qui jam est ad propria rediturus, intuitu præfati consanguinei nostri, ac personæ suæ propriæ, favore prosequi gratioso:

Vobis et cuilibet vestrûm præcipimus et mandamus quod ipsum Laurentium, aurum, argentum, jocalia, pannos, apparatus, supellectilia, arma, ac alia res, bona, et hernesia sua et familiarium suorum quæcumque, necnon victualia, pro sustentatione suâ ac familiarium suorum prædictorum necessaria, ubicumque ea providere voluerit, in navibus Portugaliæ ponere et carcare, et tot equos, quot habuerit secum, in eisdem navibus ducere, et versus partes Portugaliæ, cum eisdem navibus, ac omnibus et singulis bonis, rebus, et hernesiis prædictis, transire liberè, et absque impedimento aliquo, et absque custumâ, sive subsidio, nobis in hâc parte solvendis, permittatis; aliquibus ordinationibus, proclamationibus, seu mandatis, in contrarium factis, non obstantibus.

Teste Rege, apud Westm', v. die Julii.

Per concilium.

[*Et erat patens.*]

Ad Papam, pro episcopo Menevensi.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. — Pat. 6 Ric. II. p. 1. m. 28. in Turr. Lond.

SANCTISSIMO in Christo patri et domino, domino Urbano, Divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ac universalis ecclesiæ Summo Pontifici, vester filius Christianissimus, Ricardus, Dei gratiâ, Rex Angliæ et Franciæ, et dominus Hiberniæ, devota pedum oscula beatorum.

Beatissime pater, nedum ratio exigit set regiæ convenit pietati ut, fidelium nostrorum merita præmiantes, eis de exhibitis nobis servitiis calumpnias fieri non sinamus; et pro tanto, sanctissime pater, cor nostrum satis accenditur ut ea, quæ in sanctitatis vestræ, contra reverendum in Christo patrem Adam episcopum Menevensem, legum doctorem eximium, nuper cancellarium nostrum, *&c. prout de dat. octavo die Februarii, An. 2 R. 2.*

Dat' in palatio nostro Westm', octavo die Julii, anno Gratiæ millesimo trecentesimo octogesimo secundo, et regni nostri sexto.

De protectione pro heraldo Regis Armorum.

A. D. 1382. — An. 6 Ric. II. — Franc. 6 Ric. II. m. 29. in Turr. Lond.

RICARDUS HEREFORD, heraldus Regis armorum, qui in obsequium Regis in partibus transmarinis existit, habet literas Regis de protectione, cum clausulâ 'Volumus,' per dimidium anni duraturas. Pr. &c.

Teste Rege, apud Westm', ix. die Julii.

Per breve de privato sigillo.

De liberatione magni sigilli.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 24. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod dominus noster Rex, undecimo die Julii, anno præsenti, tento per ipsum, apud palatium suum Westmonasteriense, cum quibusdam prælatis et magnatibus regni sui Angliæ, quodam concilio, volens, dilectum et fidelem suum Ricardum le Scrop, tunc cancellarium suum, de hujusmodi officio cancellarii exonerari, in quâdam camerâ, vocatâ Camera Reginæ, infra privatum palatium suum, ibidem, in præsentiâ venerabilis patris Willielmi archiepiscopi Cantuariensis, totius Angliæ primatis, et aliorum prælatorum et magnatum, sibi tunc ibidem assistentium, magnum sigillum suum ab ipso Ricardo per Johannem de Monte Acuto, senescallum hospitii sui, exegit sibi protinùs liberandum:

Qui quidem Ricardus idem sigillum, in quâdam bagâ, sigillo suo signatâ, inclusum, dicto domino nostro Regi, in præsentiâ prælatorum et magnatum prædictorum, in prædictâ camerâ, statim, ut debuit, deliberavit, idem dominus Rex illud manibus suis propriis receperat ab eodem:

Verumque dictus dominus Rex, licet de futuro cancellario adtunc non fuisset provisus, nolens tamen communia negotia populi prosequentis, ob defectum sigillationis, retardari, sigillum prædictum Hugoni de Segrave, thesaurario suo, Willielmo de Dighton tunc custodi privati sigilli sui, et Johanni de Waltham custodi rotulorum cancellariæ ipsius domini Regis, præsentibus tunc prælatis et magnatibus prædictis, tradidit ad voluntatem regiam conservandum; præcipiens eis ut, cum eodem magno sigillo, cartas, literas patentes, et brevia, in expeditionem et deliberationem prosequentium, modo solito et formâ debitâ facerent sigillari:

Qui, mandatum domini nostri Regis fideliter exequentes, cum eodem sigillo, diversis vicibus et locis, ea, quæ fuerunt sigillanda, sigillari fecerunt, usque post diei Veneris, ante festum Sancti Laurentii tunc proximò sequens, horam nonam:

Circa quam magister Walterus de Skirlawe, custos privati sigilli, apud Wodestoke constitutus, præfatis, thesaurario, Willielmo, et Johanni, associatus fuit per ipsum dominum Regem, ad custodiam magni sigilli supradicti:

Et sic præfati, thesaurarius, custodes privati sigilli et rotulorum, ac Willielmus, usque diem Sabbati, in vigiliâ Sancti Matthæi tunc proximò sequenti, circa custodiam dicti magni sigilli continuè vacaverunt, et cum eodem, diversis locis et temporibus, fecerant sigillari:

Dicto verò die Sabbati, ordinibus, per venerabilem patrem, Robertum episcopum Londoniæ, quem dominus noster Rex in suum præfecerat cancellarium apud Bristolliam, et cujus ceperat sacramentum de officio illo benè et fideliter faciendo, in ecclesiâ Sancti Pauli Londoniæ, celebratis, præfati, custodes privati sigilli et rotulorum, ac Willielmus, absente præfato thesaurario, dictum magnum sigillum, in bagâ prædictâ, sigillis sive signetis signatâ, inclusum, in domo capitulari ecclesiæ prædictæ, prætextu quarumdam literarum dicti domini nostri Regis de signeto eis traditarum, in filaciis cancellariæ prædictæ inter brevia Regis, jam residentium, quarum etiam tenor præsens memorandum subsequitur in scripturâ, in multorum circumstantium comitivâ liberârunt:

Qui quidem episcopus, bagâ illâ apertâ, et extracto abindè dicto magno sigillo, quasdam literas Regis, de præsentatione, et postmodum quandam cartam ac alias literas patentes, et brevia ibidem statim fecerat sigillari, et omnibus, quæ requirebantur, tunc ibidem sigillatis, dictum magnum sigillum in eandem bagam imponi, et eam sigillo suo, prout moris est, sigillari, et bagam illam ad palatium suum ibidem secum deferri fecit; officium cancellarii indies excercendo.

Littera de signeto, unde superius in memorando fit mentio.

De par le Roy.

TRESCHERS et foialx, nous avons ordinez et volons que, le reverent pere en DIEU et nostre trescher cosin, l'evesque de Loundres, serra nostre chaunceller d'Engleterre, pur la grand afiance que nous avons en luy:

Si vous mandons et chargeons que, veues cestes, vous facez deliverer a luy nostre grand seal, esteant ore en vostre garde, ovec le roulle de son charge, et toutes autres choses a ly appurtenantz, come a nostre chaunceller; et ceste lettre vous ent serra garrant.

Don', souz nostre signet, a nostre chastell de Bristuyt, le ix. jour de Septembre.

Super hæreticâ pravitate in Oxonia, de intendendo.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 1. m. 32. in Turr. Lond.

REX, cancellario et procuratoribus universitatis Oxon', qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Zelo fidei Christianæ, cujus sumus et semper esse volumus defensores, moti salubriter et inducti, volentes summo desiderio impugnatores dictæ fidei, qui suas pravas et perversas doctrinas, infra regnum nostrum Angliæ, seminare, et dampnatas conclusiones, eidem fidei notoriè obviantes, tenere et prædicare jam noviter pessimè præsumpserunt et conantur, in perversionem populi nostri, ut accepimus, antequam ulterius in suis procedant erroribus et malitiis, vel alios inficiant, reprimere et condignâ castigatione cohercere:

Assignavimus vos ad inquisitionem generalem, assistentibus vobis omnibus theologis universitatis prædictæ regentibus, faciendam ab omnibus et singulis graduatis, theologis et juristis universitatis ejusdem, si quos, de jurisdictione universitatis illius, agnoverint qui sint eis probabiliter suspecti de favore, credentiâ, vel defensione alicujus hæresis vel erroris, et maximè quarumdam conclusionum, per venerabilem patrem Willielmum archiepiscopum Cantuariensem, de concilio sui cleri publicè damnatarum, vel etiam alicujus conclusionis, alicui earumdem consimilis in sententiâ vel in verbis:

Et si aliquos, de cætero, inveneritis, qui quicquam prædictorum hæresum vel errorum, vel quemcumque consimilem, crediderint, foverint, seu defenderint, vel qui magistros, Johannem Wyclyf, Nicholaum Herford, Philippum Reppyngdon, vel Johannem Aston, vel aliquem alium de aliquo prædictorum hæresum vel errorum, seu alio simili, in verbis vel sententiâ, probabili suspicione notatum, in domos et hospitia ausi fuerint receptare, seu cum eorum aliquo communicare, vel sibi defensionem aut favorem præbere præsumpserint aliqualem, ad hujusmodi fautores, receptatores, communicantes, et defensores, infra septem dies postquam præmissa vobis constiterint, ab universitate et villâ Oxon' baniendum et expellendum, donec coram archiepiscopo Cantuariæ, pro tempore existente, suam innocentiam manifestâ purgatione monstraverint, ita tamen ut se purgare cogantur, ipsos tales esse nobis et eidem archiepiscopo, de tempore in tempus, infra mensem, sub sigillis vestris certificetis;

Mandantes insuper quod, per universas aulas universitatis prædictæ, diligenter inquiri et scrutari faciatis indilatè, si quis aliquem librum sive tractatum, de editione vel compilatione prædictorum magistrorum Johannis Wyclyf vel Nicholai habuerint, et quod librum illum sive tractatum, ubicumque contigerit inveniri, arestari, capi, et præfato archiepiscopo, infra mensem, absque correctione, corruptione, seu mutatione quâcumque, quoad ejus sententiam vel verba, præsentari faciatis;

Et ideò vobis, in fide et ligeantiâ, quibus nobis tenemini, et sub forisfacturâ omnium et singulorum libertatum et privilegiorum universitatis prædictæ, et omnium aliorum quæ nobis forisfacere poteritis, injungimus et mandamus quod, circa præmissa benè et fideliter exequenda, diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ;

Et quod præfato archiepiscopo, et ejus mandatis, licitis et honestis, vobis in hâc parte dirigendis, pareatis, prout decet;

Damus autem vicecomiti et majori Oxon', pro tempore existentibus, ac universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus et subditis nostris, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, in executione præmissorum, auxilientur, pareant, et intendant.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xiii. die Julii.

Per concilium.

De permittendo Henricum Croumpe excercere actus scholasticos, in universitate Oxon'.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 33. in Turr. Lond.

REX, cancellario et procuratoribus universitatis Oxon', salutem.

Cum nuper, factâ nobis per fratrem Henricum Croumpe monachum, regentem in sacrâ theologiâ in universitate prædictâ, gravi querimoniâ, qualiter, coassistente ipso venerabili patri archiepiscopo Cantuariensi, et aliis magistris in theologiâ in civitate London', in condempnatione diversarum conclusionum erronearum et hæreticarum; vos, ad suggestionem quorumdam sibi adversantium, prætendentiumque pacem universitatis prædictæ per ipsum Henricum, in ultimâ lecturâ suâ in scolis factâ, violatam fuisse, eundem fratrem Henricum ad respondendum indè coram vobis evocatum, pro eo quod coram vobis non comparuit, sicuti non potuit, pronunciastis contumacem, et de pacis perturbatione convictum, per quod ipsum Henricum ab actibus scolasticis et lecturâ suspendistis;

Dederimus vobis diem jam elapsum, per breve nostrum, essendi

coram concilio nostro apud Westm', ad respondendum super præmissis, et ad quædam alia facienda, quæ in brevi prædicto expressiùs continetur;

Super quo, materiâ prædictâ et suis circumstantiis, coram dicto concilio nostro, præsentibus vobis, examinatis, rimatis et plenariè intellectis, per idem concilium nostrum, decretum et sententialiter diffinitum extitit totum processum versus præfatum fratrem Henricum, occasionibus præmissis habitum atque factum, cum omni eo quod exindè est secutum, esse nullum, invalidum, irritum, et inanem, ipsumque Henricum ad actus scolasticos, et consuetam lecturam, et statum pristinum restituendum, et pariter admittendum, prout ad plenam vobis constat.

Volentes igitur decretum et diffinitionem prædictam debitè fore executa et optinere firmitatem, vobis, districtius quo possumus, præcipimus et mandamus, quod omnem processum versus ipsum fratrem Henricum in universitate prædictâ, ut præmittitur, habitum sive factum, et quicquid exindè fuerit subsecutum, celeriter et penitus revocantes, eundem fratrem Henricum ad actus scolasticos, consuetam lecturam, et statum pristinum admittatis, et restitui faciatis indilatè, juxta formam decreti et diffinitionis prædictorum.

Injungentes insuper vobis, ac vestris commissariis sive deputatis, successoribusque vestris, et quibuscumque magistris, regentibus et non regentibus, ac aliis præsidentibus, officiariis, ministris et scolaribus universitatis prædictæ, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, quod ipsum fratrem Henricum ex causis præmissis, aut fratrem Petrum Stokes, Carmelitam, occasione absentiæ suæ ab universitate prædictâ, aut fratrem Stephanum Patryngton, Carmelitam, vel aliquem alium religiosum aut secularem eis faventem, occasione alicujus dicti vel facti doctrinam magistrorum Johannis Wyclyf, Nicholai Hereford, vel Philippi Reppyngdon, seu reprobationem et condempnationem prædictorum hæresum et errorum, aut correptionem vel correctionem fautorum suorum qualitercumque concernentis, non impediatis, molestetis, seu gravetis, aut impediri, molestari, seu gravari, clàm vel palàm, ullo modo permittatis, set ea potius quæ pacis sunt unitatis et quietis in universitate prædictâ, et maximè inter religiosos et seculares, procuretis, et cum omni diligentiâ foveatis, ac totis viribus præservetis.

Et hæc, sub forisfacturâ omnium et singulorum libertatum et privilegiorum universitatis prædictæ, et omnium aliorum quæ nobis forisfacere poteritis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Julii.

Per concilium.

[*Et erat patens.*]

Super financiâ vicecomitis de Roche Choart.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 28. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, usque ad quindenam Purificationis Beatæ Mariæ proximò futurum, duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suas speciales, Focandum et Lodowicum, filios Lodowici vicecomitis de Roche Choart, prisonarii dilecti et fidelis Regis Johannis domini de Nevill, veniendo versus villam Regis Calesii, per terram vel per mare, cum quatuor hominibus generosis, et eorum valettis, peditibus, vel equitibus, usque ad numerum quindecim personarum in comitivâ suâ, ibidem in hostagio, pro prædicto vicecomite patre suo, quousque financia sua persolvatur, morando, et exindè versus partes proprias redeundo, necnon homines et valettos prædictos, ac eorum equos, bona, res, et hernesia sua quæcumque.

Teste Rege, apud Wodestok, v. die Augusti.

Per ipsum Regem.

De ordinando pro passagio ducis Techinensis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.
Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 25. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Roberto de Asheton, constabulario suo Dovorr', et custodi Quinque Portuum suorum, vel ejus locumtenenti, salutem.

Mandamus vobis, firmiter injungentes, quod naves vel alia vasa, sufficientia pro salvo et securo conductu Przimislai ducis Techinensis, banerettorum, militum, armigerorum, et omnium aliorum subditorum carissimi fratris nostri Wencelai, Regis Romanorum et Bohemiæ, qui nuper in regnum nostrum Angliæ, in comitivâ carissimæ consortis nostræ Annæ Reginæ Angliæ advenerunt, et jam sunt ad partes proprias, de licentiâ nostrâ, rediturі, cum hominibus, armatis, et sagittariis, ad talia custus et vadia, per ipsum ducem in eâ parte solvenda, qualia pro passagio nostro proprio fierent et solvi deberent, cum omni celeritate quâ fieri poterit, muniri et parari;

Et ipsum ducem, et omnes alios de comitivâ suâ, usque villam nostram Calesii, cum eisdem navibus sive vasis, sic munitis et paratis, salvò et securè conduci faciatis; et hoc, sicut nos et honorem nostrum diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Augusti.

Per concilium.

De tractando cum Rege Romanorum et Boemiæ, super ligis et amicitiis.

A.D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 28. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Nicholao de Sherneffeld vexillario suo, et Bernardo van Zecles, militibus cameræ suæ, ac magistro Ricardo Rouhale legum doctori, salutem.

Cum, inter gloriosas reipublicæ curas et regalium solicitudinum fructus uberes, habeatur præcipuum sublimium et potentum principum sibi copulare præsidia, ac cum talibus ligarum et amicitiarum specialium inire fœdera, per quos principatus, *hinc indè*, amoris indissolubilis nexu conjuncti, insurgentibus ex adverso resistere, et ab omni oppressionis clade, coadunatis viribus, poterunt mutuò se tueri.

Nos, præmissa considerantes, ac de vestris legalitate, probitate, industriâ, et circumspectione providis plenissimè confidentes, ad tractandum, conveniendum, et concordandum cum serenissimo fratre nostro Wencelao, Dei gratiâ, Rege Romanorum et Boemiæ semper Augusto, et, Divinâ favente clementiâ, Imperatore futuro, seu ad hoc deputatis per eum, sufficiens mandatum habentibus, super quibuscumque ligis, confœderationibus, et amicitiis specialibus, temporalibus vel perpetuis, inter nos, subditos nostros, regna, et dominia nostra quæcumque, ex unâ, et ipsum serenissimum fratrem nostrum, subditos suos, regna et dominia sua quæcumque, ex alterâ parte, et specialiter, in speciale, contra Karolum modernum occupatorem regni Franciæ, Lodowicum comitem Valesii ipsius germanum, Lodewicum Andegavensem, Johannem Buturicensem, et Philippum Burgundiæ, duces prætensos, ipsius Karoli patruos, necnon contra Johannem olim nominantem se Regem Castellæ et Legionis, adhuc occupatorem dicti regni Castellæ et Legionis, licet per ecclesiam depositum et dampnatum, et Robertum gerentem se pro Rege Scotiæ, eorumque hæredes, valitores, et fautores, ineundis, ac etiam de modo, formâ, et quantitate auxilii, subventionis, seu subsidii, hinc indè, tempore necessitatis, mutuò ministrandi;

Et de communicationibus, inter subditos, hinc indè, in mercimoniis et aliis licitis, securè et fraternaliter faciendis;

Necnon super omnibus et singulis articulis, quantumcumque specialibus, qui ligas, confœderationes, seu amicitias, inter nos et prædictum serenissimum fratrem nostrum firmandas, concernere poterunt quovismodo, cum eorum incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis;

Ac omnia, quæ sic tractata, concordata, et conventa fuerint, cum omni securitate, debitâ et honestâ, in hoc casu firmandum;

Consimilemque securitatem, pro nobis et nomine nostro, petendum, stipulandum, et recipiendum;

Jurandumque, in animam nostram, quod tractata, conventa, et concordata ibidem, rata habebimus et grata, nec aliquid procurabimus, vel faciemus, per quod tractata et concordata hujusmodi effectu debito frustrari poterunt seu quomodolibet impediri;

Ac juramentum consimile ab eodem serenissimo fratre nostro, seu ejus deputatis, petendum, exigendum, et recipiendum;

Cæteraque omnia et singula faciendum, excercendum, et expediendum, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna, ac quæ qualitas et natura hujusmodi negotii exigunt et requirunt, et quæ nosmet ipsi facere possemus si personaliter interessemus, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent quantumcumque speciale;

Vos, et duos vestrûm, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, commissarios, deputatos, et nuncios speciales, facimus, creamus, ordinamus, et constituimus per præsentes;

Promittentes, in verbo regio, nos ratum, gratum, et firmum perpetuò habituros quicquid per vos, vel duos vestrûm, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis, et singulis præmissorum; aliis mandatis seu procuratoriis nostris in suo nichilominus robore duraturis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xvi. die mensis Augusti.

Per ipsum Regem.

Pro subditis Regis, infra potestatem et districtus de Fronsac in Aquitania, de usurpationibus corrigendis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 17. in Turr. Lond.

REX, senescallo suo Aquitaniæ, ac constabulario suo Burdegaliæ, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, magistro Roberto Waldeby, magistro Raymundo Guillem de Puy, et magistro Guillielmo Arnaud de Caylynet, salutem.

Gravem et horribilem querimoniam fidelium subditorum nostrorum, religiosorum, nobilium, generosorum, communitatumque infra potestates et districtus de Fronsac, Cadilhac, Guisters, Kenak, et insularum de Carmer et Askes, in dominio nostro Aquitaniæ habitantium, recepimus, continentem quod domini et capitanei loci de Fronsac à tempore guerræ hactenus existentes, usurpantes super se præsumptuosè illicitam potestatem, præfatos conquerentes per reparationes, manuales operationes, subsidia, tallagia, impositiones, extortiones bladorum, vinorum, et pecuniarum, et alia insolita novitates et gravamina, de quibus ipsi, et omnes antecessores et prædecessores sui antiquitùs liberi fuerunt et quieti, eis diversimodè et injustè facta, per vim sæpissimè oppresserunt, et mala et gravamina prædicta indies continuare non verentes, ut eosdem conquerentes durioribus gravaminibus afficiant, ipsos per importunum numerum præpositorum, servientum, procuratorum, officiariorum et ministrorum infra potestates et districtus prædictos, per ipsos dominos et capitaneos, pro suo libito, absque electione et assensu dictorum conquerentium, qui dictos officiarios et ministros eligere deberent, positorum, multò magis quam oporteret et consuevit excedentem, multotiens superoneraverunt et continuè superonerare non cessant; per quæ quidem oppressiones, superonerationes, mala et gravamina antedicta, conquerentes prædicti in injuriam, miseriam, et depauperationem sunt collapsi, ipsosque patriam suam miserabiliter oportebit fugiendo relinquere, nisi sibi de provido remedio per gratiam nostræ regiæ majestatis celeriter succurratur:

Super quo nobis instantius supplicatur, ut pro eorum relevatione et pro hujusmodi tollendis injuriis, providere dignetur regia celsitudo.

Nos statui conquerentium prædictorum, si sic injustè, ut præmittitur, deducantur, intimo compatientes affectu, volentesque talibus usurpationibus, prout convenit, obviare, vobis, de quorum fidelitate et circumspectione plenam fiduciam optinemus, necnon quatuor et tribus vestrûm, quorum vos, præfate constabularie, unum esse volumus, ad inquirendum, et ad vos, viis et modis quibus convenit, debitè informandum, de juribus quæ ad castrum de Fronsac, ex approbatâ et antiquâ consuetudine, ante confiscationem ejusdem, pertinuerunt, et de veritate omnium et singulorum injuriarum et gravaminum præfatis conquerentibus, ut prædictum est, illatorum; et ad ea omnia, quæ per debitam informationem inveneritis, in conquerentium prædictorum onerationem et oppressionem injustè indebitèque facta, attemptata et usitata fuisse et esse, sublatâ dilatione quâcumque, corrigendum, emendandum, et celeriter reformandum, prout juxta leges, foros, et consuetudines partium illarum fuerit faciendum, plenam, tenore præsentium, concedimus et committimus potestatem.

Et ideò vobis districtè præcipimus et mandamus, quod vos, quatuor vel tres vestrûm, quorum, &c. unum esse volumus, circa præmissa fideliter et efficaciter exequenda diligenter intendatis; ita quod conquerentes prædicti sentiant sibi fore provisum de remedio competenti.

Damus autem capitaneo loci prædicti, ac universis et singulis officiariis, ministris, ligeis, fidelibus, et subditis nostris dominii nostri prædicti, et omnibus quorum interest, tenore præsentium, firmiter in mandatis quod ordinationi, correctioni, et reformationi vestris, quatuor vel trium, quorum, &c. unum esse volumus, in præmissis stent, pareant, et intendant, ut est justum.

In cujus, &c.

Dat' apud Westm', xx. die Augusti.

Per billam indorsatam per concilium.

Pro episcopo Aquensi.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, senescallo Laudarum, qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, vel ejus locum tenenti, salutem.

Querelam, nobis ex parte venerabilis patris Johannis episcopi Aquen' exhibitam, recepimus, continentem quod, ipso existente in obsequio nostro, ac dilecti patrui nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, in Portugalia, ob quod in protectione speciali, et salvâ gardiâ nostris existit, capitulum et canonici ecclesiæ Aquensis, ausu temerario, protectionem et salvam gardiam nostram prædictas infringere minimè formidantes, eundem episcopum ac ejus vicarium, procuratorem, et alios officiarios suos ibidem, de dicto episcopatu malitiosè et per violentiam de facto, cum minis et terroribus ejecerunt, et ipsum episcopum de eodem perperam spoliarunt, fructus, redditus, et proventus dicti episcopatûs injustè et indebitè occupando, in grave dispendium ipsius episcopi, ac vituperium et vilipendium nostræ regiæ majestatis, et contra vim et effectum regiæ protectionis supradictæ; prætendentes, licet falsò, in velamen suæ excusationis, quod dictus episcopus ad ecclesiam Ulixberon noviter per sedem apostolicam est translatus: undè ex parte dicti episcopi nobis est humiliter supplicatum ut sibi de oportuno remedio provideri faciamus.

Nos, attendentes dictum episcopum ejusque officiarios, et bona fore et esse in et sub protectione speciali, et salvâ gardiâ nostris, ut præfertur, ipsumque episcopum de dicto episcopatu suo, si suggesta nobis veritate nitantur, injuriosè et causâ minus legitimâ fore spoliatum pariter et ejectum, cum dictus episcopatus ante adeptam possessionem sedi vacare minimè censeatur, quam quidem possessionem dictus episcopus nondum habet, nec est in spe propinquâ optinendi eandem, prout sumus veraciter informati.

Vobis districtè præcipiendo, mandamus, quatinus, si sit ita, tunc ad civitatem Aquensem vos personaliter transferentes, dictos capitulum et canonicos requiratis et moneatis ex parte nostrâ, quatinus regimen episcopatûs prædicti, unà cum omnibus bonis, fortalitiis, jurisdictionibus, redditibus, et emolumentis ejusdem, tradant, liberent, et assignent, realiter et de facto, in manus dilecti clerici et consiliarii nostri, Geraldi de Meuta canonici et sacristæ Baion', et Teobaldi de Podio Alto scutiferi, vel ipsorum alterius, si ambo forsitan interesse non possint, donec nos, aut dictus episcopus, aliter disponere duxerimus de eodem: cui quidem episcopo volumus de omnibus quæ inde receperint, per eos aut ipsorum alterum, compotum reddi et sibi integrè responderi, cum per ipsum episcopum, aut ejus procuratorem, debitè fuerint requisiti, sive alter eorum requisitus.

Et si dictum capitulum per vos, ut præmittitur, requisitum, præmissa facere seu complere forsitan neglexerit, aut aliàs contempserit, quod nollemus; tunc, vocatis et congregatis vobiscum quibusdam subditis nostris, quibus super hoc scribimus, dictum episcopatum ad manum nostram capiatis, realiter et de facto, unà cum emolumentis et redditibus ejusdem, dictum capitulum et canonicos, et quoscumque alios illicitos detentores, à possessione ejusdem realiter amovendo, et eundem episcopatum unà cum pertinentiis, dictis Geraldo et Theobaldo, realiter et de facto tradatis, tenendum et gubernandum per eos modo præmisso, nomine dicti episcopi, et sub manu nostrâ pariter atque suâ, donec per vos, vel per dictum episcopum, indè fuerit aliter ordinatum.

Volumus insuper quod dictum capitulum, seu dicti capituli canonicos, districtè et efficaciter omnibus juris remediis, compellatis ad reddendum compotum eisdem Geraldo et Theobaldo, vel alteri eorumdem, de omnibus receptis per ipsos, vel qui percipi potuerunt, de emolumentis episcopatûs prædicti, de toto tempore quo in eorum manibus fuerit occupatus; quodque omnia alia præmissa debitè exequamini; invocatâ ad hoc, si oporteat, potentiâ militari.

Dat' apud Westm', xxii. die Augusti.

Per concilium.

Pro prædicto episcopo, per capitulum ejecto.

A.D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 16. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi, Geraldo de Meuta clerico sacristæ Baioniæ, et Theobaldo de Poileant scutifero, salutem.

Cum venerabilis in CHRISTO pater Johannes episcopus Aquensis in servitio nostro ac dilecti patrui nostri Johannis Regis Castellæ et Legionis ducis Lancastriæ, in partibus Hispaniæ, sub protectione et salvagardiâ nostris ad præsens existat, capitulumque Aquense, sive canonici ejusdem, nostram regiam majestatem, ac salvam gardiam, et protectionem prædictas, sub quibus nedùm idem episcopus, ut præmittitur, set et ipsius vicarius, officiales, procuratores, et bona existunt, lædere non verentes, præfatum episcopum, ac vicarium, officiales, et procuratores suos, sub ipso et ejus nomine administrationem ipsius episcopatûs in spiritualibus et temporalibus excercentes, de dicto episcopatu, præter et contra juris ordinem, ut dicitur, ejecerunt, et de facto nequiter spoliârunt, in dictæ nostræ magestatis contemptum, ipsiusque episcopi dampnum et gravamen;

Nos, considerantes quod præfatus episcopus sic est, ad præsens, in nostris occupatus negotiis, quod suis propriis intendere non poterit, prout expedit et deceret, et propterea volentes sibi de oportuno remedio providere, vobis, et vestrûm alteri, de quorum fidelitate, circumspectione, et industriâ providis plenè confidimus, in fide et ligeantiâ, quibus nobis tenemini, comittimus et mandamus quatinus bona, jura, jurisdictiones, et alia quæcumque, ad dictum episcopatum pertinentia, nomine præfati episcopi, ac ad ipsius commodum, proficuum, et honorem, administretis, et administrari faciatis viis et modis melioribus quibus scitis;

Compotum sive ratiocinium de omnibus, per dictum capitulum, seu

canonicos singulares ejusdem, de dicto episcopatu perceptis, et quæ percipi poterunt, si ipsius episcopi officiales et ministri administrâsse liberè potuissent, à dicto capitulo, et singularibus personis ejusdem, districtè et legaliter exigentes, et bona, per ipsos recepta, præfati episcopi usibus, prout expedire videritis, applicantes, quousque idem episcopus aliter indè duxerit ordinandum;

Dedimus namque senescallo nostro Landarum, ac certis fidelibus nostris in partibus illis, per alias literas nostras, in mandatis, ut prædictum capitulum et personas singulares ejusdem, in casu quo monitionibus et mandatis nostris non paruerint cum effectu, ad præmissa facienda, quibuscumque juris et facti remediis, arceant et compellant.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxiv. die Augusti.

Per concilium.

De tractando cum Rege Navarræ.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 24. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate et industriâ dilectorum et fidelium nostrorum Bertrucati de Lebret chivaler, David Craddok chivaler, majoris civitatis nostræ Burdegal', Johannis de Stratton domini de Landirans, constabularii castri nostri Burdegaliæ, magistri Reymundi Guillielmi de Puy, et magistri Guillielmi Arnand de Caylynet, plenius confidentes, de consensu et avisamento concilii nostri, ipsos, Bertrucatum, David, Johannem, Reymundum, et Guillielmum, quatuor et tres eorum, nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ad tractandum et concordandum cum magnifico et potente principe domino Karolo Rege Navarræ illustri, consanguineo nostro carissimo, seu suis in hac parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso Rege habentibus, de quibuscumque amicitiis, alligantiis, et mutuis auxiliis, inter nos et hæredes nostros, pro nobis, regnis, terris, et dominiis, ac subditis et vassallis nostris quibuscumque, et ipsum Regem et hæredes suos, pro se, regnis, terris, et dominiis suis, ac eorum omnibus subditis et vassallis, temporaliter vel perpetuò duraturis, ordinamus, facimus, et constituimus per præsentes:

Dantes et concedentes eisdem, Bertrucato, David, Johanni, Reymundo, et Guillielmo, quatuor et tribus eorum, potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale, pro nobis, hæredibus, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris, præmissa omnia et singula tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Et omnia, cum tractata, concordata, et expedita fuerint, firmandi, vallandi;

Et omnia alia excercendi quæ circa ea necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid iidem Bertrucatus, David, Johannes, Reymundus, et Gullielmus, quatuor vel tres eorum, nomine nostro, fecerint in præmissis, seu aliquo præmissorum.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', xxix. die Augusti.

Per ipsum Regem.

De baronibus scaccarii Hiberniæ constitutis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. Pat. 5 Ric. II. p. 1. m. 21. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod constituimus dilectum clericum nostrum Thomam Bache, capitalem baronem scaccarii nostri Hiberniæ, quamdiu nobis placuerit, percipiendo in officio illo feoda consueta. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Septembris.

Per ipsum Regem et concilium.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod constituimus dilectum nobis Johannem Shrigley, secundarium baronem scaccarii nostri Hiberniæ, quamdiu nobis placuerit, percipiendo in officio illo feodum consuetum.

In cujus, &c.

Teste ut supra.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu pro commissariis Flandrensium.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 23. in Turr. Lond.

REX, &c. salutem. Sciatis quod cum duodecim probi homines, tres, videlicet, de quâlibet villarum de Gandavo, Bruges, et Ipres, ac tres probi homines de Frie in Flandria, ex parte communitatis Flandriæ, ad tractandum nobiscum et cum concilio nostro super certis negotiis, nos bonumque publicum regni nostri Angliæ et communitatem prædictam mutuò concernentibus, penes præsentiam nostram, in dictum regnum nostrum, sint in proximo adventuri;

Nos, fœlicem expeditionem negotiorum prædictorum multipliciter affectantes, volentesque dictos duodecim probos homines ab adversitatibus, periculis, et molestiis, in quantum poterimus, præservare, et pro eorum securo adventu, morâ pacificâ, prosperoque transitu, summo desiderio providere, suscepimus ipsos duodecim probos homines, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. per dimidium annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', vii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

De licentiâ ædificandi in castro et villâ de Brest.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 21. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de gratiâ nostrâ speciali, concessimus, pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, soldariis commorantibus in castro et villâ de Brest, et omnibus aliis fidelibus nostris, tam de regno nostro Angliæ quam de dominio nostro Aquitaniæ, quod ipsi in placeis, sibi ibidem per dilectum et fidelem consanguineum nostrum Thomam de Percy, custodem castri et villæ prædictorum, secundum ejus discretionem, assignandis, ædificare et inhabitare;

Et easdem placeas eis sic assignandas, unà cum ædificiis per ipsos in eisdem faciendis, de nobis, pro termino vitæ eorum, tenere possint; reddendo nobis aliquem certum redditum per annum: prout inter dictum consanguineum nostrum et ipsos, quibus dictæ placeæ assignabuntur, poterit rationabiliter concordari.

In cujus, &c.

Dat' apud Westm', xii. die Octobris.

Per breve de privato sigillo.

De custodiâ castri et dominii de Fronsak in Aquitania, R. Cradok commissâ.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II. Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 13. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate dilecti nobis Ricardi Cradok, plenius confidentes, et pro eo quod Hugo de Calvyley chivaler, Johannes Traily chivaler, Ricardus Grene chivaler, et Hugo Browe chivaler, coram nobis in cancellariâ nostrâ personaliter constituti, manuceperunt pro præfato Ricardo, quod ipse sufficienter ad opus nostrum, castrum nostrum de Fronsak custodiet pro posse suo, quamdiu nobis placuerit, et castrum prædictum nulli reddet, nisi tamen nobis vel hæredibus nostris, Regibus Angliæ, sine speciali præcepto nostro, vel hæredum nostrorum prædictorum:

Concessimus eidem Ricardo Cradok custodiam castri et dominii nostrorum de Fronsak in dominio nostro Aquitaniæ, habendam quamdiu nobis placuerit; percipiendo pro eâdem custodiâ omnia proficua, exitus,

reventiones, et commoditates, dictis castro et dominio de Fronsak pertinentes, modo quo domini prædictorum castri et dominii de Fronsak rationabiliter percipere debuerunt, temporibus suis, antequam hujusmodi castrum et dominium de Fronsak ad manus nostras devenerunt, absque aliquo nobis indè reddendo.

Ita semper quod dictum castrum sufficienter ad opus nostrum custodiat; et nichil capiat de nobis pro eâdem custodiâ, ultra proficua, exitus, reventiones, et commoditates supradicta. In cujus, &c.

Dat' apud Westm', xi. die Octobris.

Per breve de privato sigillo.

Et mandatum est dilecto et fideli Regis Willielmo Lescrop chivaler, custodi castri et dominii Regis de Fronsak in dominio Regis Aquitaniæ, vel ejus locum tenenti, quod eidem Ricardo, castrum et dominia prædicta cum pertinentiis, unà cum omnibus ad custodiam illam pertinentibus, liberet; habendum juxta tenorem litterarum Regis prædictarum; vult enim Rex ipsum indè erga Regem exonerari.

Teste ut supra.

Pro commissariis Flandrensium de potestatibus, et de credentiâ.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Ex. Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

A TOUS ceuls qui ces presentes lettres verront ou orront, eschevins, capitains, doyens, et conseil de la ville de Gand, rewars, conseil, et le grand conseil de la ville de Bruges, rewars, advoes eschevins, et conseil de la ville d'Ypre, salut.

Sacent tous que, pour ce que maistres, Williaumes de Coudenberghe, Williaumes de le Picte, Roise de le Voorde, Jehan de Waes, et Michel Bone, sont deputet et committet de la ville de Gande, Loys le Vos, Jaquemes le Scutelare, Jaquemes le Bruwere, et Willaumes Mattensone, de la ville de Briges, Gilles Tant, Jaquemes Moeum, et Lainsin de Borthgrave, de la ville d'Ypre, et tout communaulement, l'un avoec l'autre, pour et en nom des trois villes de Flandres, Gand, Bruges, et Ipre, et pour la comun pays de Flandres, pour traire vers tresexcellent, trespuissant, treshaut, tresame, et tresredout seignur, nostre seigneur, le Roy d'Engleterre et de France, son noble conseil et commun paiis;

Et sont especiaulment creut par un certaines charges et besoignes, que euls de ce est donn, de tout ce que euls, ou noms et ou profyt des dites trois villes et comun pays, plairra a monstrer et mettre avant, soit de bouche ou par lettres;

Si est il que nous prions, requirons, et diligiaument supplions tous ceulz, devant qui il pue ent avoire a faire, que il voillent les dites deputees et committees croire de tout ce, que en profyt des dites trois villes et comun pais de Flandres monstreront et mettront avant;

Car il ont de nous, et des dites trois villes et comun paiis de Flandres, de ce plain poor et auctorite sur tout respondre, que ou a eulz ou a chescun d'euls requerra, touchant les dites trois villes et comun paiis de Flandries;

Et, se ainsi estoit que il un ou plus des dites deputees et committes fusent absent, par chose necessaire ou aultrement, que, toudys, li plus grand partie, qui present serront, auront plain pooir et auctorite des avantdites causes, en le mesme manere que si il estoient tout present et en propre persone.

En tesmoignance et cognissance des seaulx as causes des dites trois villes a ces presentz lettres pendantz et cescun par lui.

Fait et donn. au xiv. jour dou moys d'Octob. l'an de Grace MCCCLXXXII.

De restitutione temporalium episcopatûs Assavensis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 1. m. 18. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi Henrico Moton, escaetori suo in comitatibus Salopiæ et Staffordiæ, et marchiarum Walliæ eisdem comitatibus adjacentium, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, nuper vacante ecclesiâ cathedrali Assavensi, per mortem, bonæ memoriæ, Willielmi ultimi episcopi loci illius, eidem ecclesiæ de, venerabili viro, Laurentio Child, nuper monacho monasterii de Bello, licentiato in jure canonico, providerit, et ipsum in episcopum loci illius præfecerit et pastorem, sicut per literas bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat;

Nos, pro eo quod idem episcopus omnibus et singulis verbis in dictis literis bullatis contentis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, spontè, palàm, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit, volentes eidem episcopo gratiam facere specialem, cepimus fidelitatem ipsius episcopi, et temporalia dicti episcopatûs, cum pertinentiis, restituimus eidem;

Et ideò tibi præcipimus quod eidem episcopo omnia temporalia episcopatûs prædicti, cum pertinentiis, in ballivâ tuâ, liberes in formâ predictâ.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Octobris.

Consimile breve dirigitur justiciario Northwalliæ, vel ejus locum tenenti, seu camerario Regis ibidem, quod eidem episcopo omnia temporalia episcopatûs prædicti, cum pertinentiis, in ballivâ suâ, liberari demandent in formâ prædictâ.

Teste ut supra.

Consimile breve dirigitur justiciario Regis Cestriæ, vel ejus locum tenenti, seu camerario suo Cestriæ.

Teste ut supra.

De bladis non traducendis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric II. p. 1. m 11 d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Eborum, salutem. Quibusdam certis de causis, coram nobis et concilio nostro in præsenti parliamento nostro propositis, tibi præcipimus, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, in singulis civitatibus, burgis, portubus maris, villis mercatoriis, et aliis locis infra ballivam tuam, ubi melius expedire videris, publicè proclamari et ex parte nostrâ firmiter inhiberi facias, ne quis, mercator vel alius, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, blada vel braseum aliqua extra regnum nostrum Angliæ, per terram vel per aquam, ad aliquas partes exteras, præterquam ad partes Vasconiæ, Bayoniæ, et Calesii, necnon villas et castra nostra de Brest, Chirburgh, Berewici super Twedam, et alia fortalitia nostra, et ligeorum nostrorum, in partibus exteris existentia, sub forisfacturâ bladorum et brasei eorumdem, ac vasorum in quibus carcata fuerint, aliqualiter traducat, seu traduci faciat, sine licentiâ et mandato nostro speciali;

Et si quos, post proclamationem et inhibitionem hujusmodi, invenire poteris contrarium facientes, tunc ipsum, unà cum navibus, bladis, et braseo, cæterisque bonis omnibus in eisdem navibus inventis, tanquam nobis forisfacta, arestari et salvò et securè custodiri facias, donec aliud à nobis indè habueris in mandatis; et hoc, sub incumbenti periculo, nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xxii. die Octobris.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus Londoniæ et Middlesexiæ, et diversis aliis vicecomitibus comitatuum, et majoribus et ballivis villarum maritimarum, sub eâdem datâ.

Pro Adam Eston, cardinali Anglico, decano Eborum.

A. D. 1382. — An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 2. in Turr. Lond.

VENERABILIS pater Adam cardinalis Norwicensis, decanus ecclesiæ cathedralis Beati Petri Eborum, qui in partibus transmarinis moratur, habet literas Regis de generali attornatu, sub nominibus magistri Johannis de Waltham, canonici Eborum, et Thomæ Daweney, sub alternatione, ad lucrandum, &c. in quibuscumque curiis Angliæ per septennium duraturas. Pr. &c.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Octobris.

Magister Nicholaus de Feryby recepit attornamentum per breve.

Pro subcollectore Papæ in Hibernia.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 1. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ballivis et fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod cum sanctissimus in CHRISTO pater et dominus, dominus Urbanus, Divinâ providentiâ, Papa sextus, discretum virum, magistrum Cosmatum Gentilis deputaverit et assignaverit ad fructus, proventus, et emolumenta, cameræ ipsius sanctissimi patris pertinentia, in regno nostro Angliæ et in dominio nostro Hiberniæ, levandum et colligendum;

Idemque collector, dilectum nobis, Willielmum Westthorp, personam ecclesiæ de Creueslawe, Lincolniensis diœcesis, subcollectorem in Hibernia præfecerit et deputaverit, quem ad colligendum et recipiendum fructus, proventus, et emolumenta prædicta in diversis partibus Hiberniæ oportet laborare, et nobis supplicaverit ut, pro ejus et suorum securitate, ac salvâ collectione dictorum fructuum, proventuum, et emolumentorum, dignemur gratiosè providere;

Nos, supplicationi prædictæ favorabiliter inclinati, suscepimus ipsum Willielmum fructus hujusmodi, proventus, et emolumenta, levando et colligendo, et se de loco ad locum infra dominium nostrum Hiberniæ prædictum divertendo, morando, et ad propria redeundo, *&c. prout in literis de protectione.*

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', primo die Novembris.

Pro Simone de Burley chivaler, pro obsequiis, in quibuscunque statibus Regis.

A.D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 33. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, pro bonis et magnis obsequiis, quæ dilectus et fidelis miles noster, Simon de Burley, subcamerarius noster, nobis impendit et locum tenuit, ab infantiâ nostrâ tenerâ, in quibuscumque statibus quos habuimus, videlicet, antequam ordinem militarem optinuimus, et tempore quo illum ordinem suscepimus, ac postmodum quando princeps Walliæ facti eramus et quamdiu fuimus, et ulterius quousque, gratiâ Divinâ, fueramus in Regem coronatus, dicto Simone toto tempore camerario nostro principali, et postmodum hucusque subcamerario nostro existente;

Et specialiter pro eo quod, diversis vicibus, pro maritagio nostro, versus partes transmarinas in nuncium ibat, et abindè cum carissimâ consorte nostrâ Reginâ de patriâ suâ ad præsentiam nostram redibat; et etiam pro eo quod benè informati sumus, quod, pro magnis sumptibus, quos, eundo, morando, et redeundo, per diversa tempora in dicto nuncio nostro, pro amore et honore nostri, et ad desiderium nostrum in hâc parte melius perimplendum, fecit, indebitatus tantum extitit, quod pro dictis debitis acquietandis ipsum certas terras suas, quas in feodo, in comitatu Suffolciæ, ex dono carissimi domini et patris nostri defuncti, habuit, vendere oportebat;

Et nos avisati qualiter nuper eidem Simoni castrum de Emelyn Ucheuth, cum commoto, in comitatu de Kermerdyn, in Suthwallia, quæ ad manus nostras, post mortem Ricardi de la Bere militis, devenerunt, dederimus, habendum eidem Simoni, durante vitâ suâ, et eju executoribus seu assignatis per duos annos post mortem suam, pro executione testamenti sui faciendâ, cum dominiis, franchesiis, libertatibus, escaetis, ac aliis quibuscumque, eisdem castro et commoto pertinentibus, à tempore mortis prædicti Ricardi, prout in literis nostris patentibus, indè confectis, plenius continetur;

Nos jam, volentes, consideratione præmissorum, præfato Simoni uberiorem gratiam facere in hâc parte, de assensu et in præsentiâ carissimæ consortis nostræ Annæ Reginæ Angliæ, Johannis Regis Castellæ et Legionis, ducis Lancastriæ, avunculi nostri, ac venerabilium patrum, consanguineorum nostrorum, Willielmi archiepiscopi Cantuariensis, et Roberti episcopi Londoniæ, cancellarii nostri, dedimus et concessimus eidem Simoni castrum et commotum prædicta, habendum sibi, hæredibus, et assignatis suis imperpetuum, à tempore mortis prædicti Ricardi, cum dominiis, franchesiis, libertatibus, feodis militum, advocationibus ecclesiarum, wardis, maritagiis, reversionibus, forisfacturis, et escaetis, unà cum quibuscumque aliis proficuis et commoditatibus, eisdem terræ et dominio qualitercumque spectantibus sive pertinentibus, per servitia indè debita et consueta, antequam dicta castrum et commotum ad manus nostras devenerunt.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', iii. die Novembris.

Per breve de privato sigillo.

De restitutione temporalium episcopatûs Drummoren' in Hibernia.

A.D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 1. m. 9. in Turr. Lond.

REX, locum nostrum tenenti, sive custodi terræ nostræ Hiberniæ, vel eorum loca tenentibus, sive cancellario terræ nostræ prædictæ, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, vacante nuper ecclesiâ cathedrali Drummoren' per mortem bonæ memoriæ Cornelii, ultimi episcopi loci prædicti, eidem ecclesiæ de dilecto nobis in CHRISTO Johanne Olammu electo Drummoren', ordinis fratrum minorum professore, in sacerdotio constituto, providerit, et ipsum in episcopum loci prædicti præfecerit et pastorem, sicut per litteras bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat.

Nos, pro eo quod idem episcopus omnibus et singulis verbis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, in dictis litteris bullatis contentis, purè, spontè, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit in hâc parte, præfectionem illam acceptantes, cepimus fidelitatem ipsius episcopi, et temporalia episcopatûs illius, cum pertinentiis, prout moris est, restituimus eidem.

Et ideò vobis mandamus, quod eidem episcopo temporalia prædicta cum pertinentiis, unà cum exitibus indè à datâ præsentium, liberari demandetis, habenda in formâ prædictâ, salvo jure cujuslibet.

Teste Rege, apud Westm', x. die Novembris.

Et mandatum est militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis tenentibus de episcopatu prædicto, quod eidem electo, tanquam episcopo et domino suo, in omnibus quæ ad episcopatum prædictum pertinent, intendentes sint et respondentes. In cujus, &c.

Teste ut supra.

De viâ regiâ juxta Shotershill, in comitatu Kantiæ, elargandâ.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 34. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Willielmo Spaldyng ballivo manerii sui de Eltham, et Radulpho Porter janitori manerii prædicti, salutem.

Sciatis quod, cum inter cæteros articulos, in quodam statuto apud Wynton', tempore domini E. filii Regis H. quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri, edito, contineatur et præceptum fuisset, quod altæ viæ à villis mercatoriis ad alias villas mercatorias, ubi haia, bosci, seu fossata habebantur, essent elargatæ per centum pedes ex unâ parte, et centum ex alterâ parte, ita quod non haberentur fossata, subbosci, aut rubi, ubi aliquis propè dictam viam latere poterit, pro malo faciendo, sic quod statutum prædictum ad quercus et alias grossas arbores, subtus quas sit clarum, nullatenus se extendat;

Et si per defectum domini, qui fossata, subboscum, aut rubos, in formâ prædictâ, prosternere noluerit, roberiæ perpetrentur, dominus indè respondeat, et si ibi habeatur murdrum, dominus indè ad voluntatem regiam redimatur; quod si dominus ad subboscum succidendum non sufficiat, patria sibi ad hoc faciendum auxilietur; voluitque dictus progenitor noster, quod in terris et boscis suis dominicis, infra forestam et extra, viæ, ut prædictum est, elargentur.

Ac jam intellexerimus quod alta via, quæ se ducit à civitate nostrâ London' usque civitatem Roffen', apud quendam locum, vocatum Shoteresheld, in comitatu Kantiæ, ubi subbosci ex utrâque parte dictæ viæ propè viam illam crescunt, nimis arta est, ad grave dampnum et periculum hominum ibidem transeuntium, et contra formam statuti prædicti.

Nos volentes statutum illud inviolabiliter observari, et pro securitate transeuntium ibidem providere, assignavimus vos ad tantum de subbosco nostro ex utrâque parte dicti loci crescente, quantum indiguerit, per supervisum senescalli nostri manerii prædicti, cum omni celeritate quâ fieri poterit, succidi faciendum; sic quod via prædicta in loco illo, juxta formam statuti prædicti, competenter elargetur, et ad subboscum sic ibidem succidendum, ad opus nostrum vendendum, ita quod de denariis indè provenientibus, nobis ad scaccarium nostrum respondeatis, et ad tot laboratores, quot pro hujusmodi succisione sufficere poterunt, capiendum, et eos in succisione illâ ponendum pro vadiis nostris, eis per vos solvendis.

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Novembris.

Per concilium.

De non molestando, contra formam pardonationum.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 20. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Guidoni de Brien, et sociis suis justiciariis Regis, ad pacem nostram in comitatu Somersetiæ conservandam, necnon ad diversas transgressiones et felonias audiendas et terminandas assignatis, salutem.

Cum, inter cætera, in ultimo parliamento nostro apud Westmonasterium tento, facta et concordata, ad instantem supplicationem communitatis regni nostri Angliæ, in prædicto parliamento factam, et ut eadem communitas, de cætero, in fide, dilectione, et obedientiâ nostrâ, et hæredum nostrorum, ferventius permaneat, ac pacificè ubique in regno prædicto se gerat; de gratiâ nostrâ speciali, ac de assensu magnatum et procerum nobis in parliamento prædicto assistentium, pardonaverimus et remiserimus omnibus et singulis ligeis nostris, cujuscumque statûs, gradûs, seu conditionis fuerint, exceptis omnibus illis, quorum nomina aliâs, in parliamentis nostris, annis regni nostri quinto et sexto, ab omni gratiâ, per nos tunc factâ, excipiendis, liberata fuerunt, tanquam videlicet, principalium inceptorum, abettatorum, et procuratorum insurrectionis, nuper infra regnum prædictum proditoriè subortæ, undè rectati sunt, necnon tribus personis, civibus Londoniæ, qui in dicto ultimo parliamento nostro, de eo, videlicet, quod unus eorumdem civium, dilectum et fidelem nostrum Willielmum de Walleworth, nuper majorem Londoniæ, ac quosdam alios fideles nostros, quominus ipsi portas dictæ civitatis contra communitates Kantiæ et Essexiæ, in dictâ insurrectione proditoriè tunc congregatas, ut in eandem civitatem ingressum non habuissent, claudere, et eandem civitatem ab eisdem proditoribus defendere potuerunt, primò et principaliter impedivisse debuit, cæteri verò duo eorumdem trium civium, de eo quod ipsi primi et principales consiliarii eorumdem proditorum, ut ad dictam civitatem accederent et eam ingrederentur, ac ductores eorumdem proditorum infra civitatem illam extitisse debuerunt, in speciali, etiam rectati sunt, ac omnibus personis, in eodem casu dictorum trium civium, vel alicujus eorumdem, plenè existentibus, ac etiam omnibus et singulis personis villæ de Bury Sancti Edmundi, similiter exceptis, sectam pacis nostræ, et quicquid ad nos pertinet, vel pertinere poterit, pro omnimodis proditionibus et feloniis, in dictâ insurrectione, inter, videlicet, primum diem Maii, anno regni nostri quarto, et festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, extunc proximò sequens, qualitercumque factis sive perpetratis, unde indictati, rectati, vel appellati existunt, ac etiam utlagariis, si quæ in ipsos, seu eorum aliquem, hiis occasionibus, fuerint promulgatæ, et firmam pacem nostram eis, et eorum cuilibet, inde concesserimus, ita tamen quod stent recto in curiâ nostrâ, si quis vel qui indè versus eos seu eorum aliquem loqui voluerint vel voluerit de præmissis, vel aliquo præmissorum;

Pardonaverimus insuper et remiserimus communitati regni nostri prædicti, et cuilibet singulari personæ ejusdem regni, exceptis præexceptis, quicquid ad nos pertinet vel pertinere poterit pro omnibus transgressionibus in eodem regno, ante vicesimum quartum diem Octobris proximò præteritum, qualitercumque factis sive perpetratis, transgressionibus tamen omnibus, per quoscumque officiarios nostros, aut aliorum dominorum et magnatum regni nostri prædicti, necnon per manutentores querelarum et juratores omnes, ac etiam transgressionibus, terras et tenementa qualitercumque concernentibus, ante dictum diem factis, duntaxat exceptis;

Et ulteriùs ordinaverimus, et de gratiâ nostrâ prædictâ concesserimus quod remissiones et pardonationes antedictæ cuicumque ligeo nostro, exceptis præexceptis, valeant ac si indè cartam nostram in speciali quisquis eorum super hoc penes se haberet vel etiam optineret, prout in ordinatione prædictâ pleniùs continetur;

Vobis mandamus quod Henricum Seger, Thomam Aubrey, Willielmum Irysh, Johannem Hill taillour, Ricardum Bryd, Thomam Blake, Willielmum Gene, Willielmum Weston, Ricardum Wobourne, Johannem Irle, Thomam Walsh, et Robertum Horton, de villâ de Yevele in comitatu prædicto, qui coram vobis de quibuscumque transgressionibus et aliis malefactis, ut dicitur, indictati sunt, quorum etiam nomina prædicta, in parliamentis prædictis, ab omni gratiâ, per nos tunc factâ, excipienda, ut prædictum est, liberata non existunt;

Nec ipsi vel eorum aliquis apud Londoniam, tempore insurrectionis prædictæ, ad aliqua mala ibidem perpetranda vel procuranda, usquam extiterunt, sicut dicunt, contra tenorem gratiæ nostræ prædictæ ac formam remissionis et pardonationis earumdem, non molestetis in aliquo seu gravetis.

Teste Rege, apud Westm', xx. die Novembris.

De salvâ gardiâ pro hominibus de Chirburgh.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 19. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, capitaneis, castellanis, et eorum loca tenentibus, custodibus portuum maris, et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, tam per terram quam per mare constitutis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, de avisamento concilii nostri, suscepimus universos et singulos probos homines et habitatores villæ de Chirburgh in Normanniâ, in manu nostrâ ad præsens existentis, et eorum quemlibet, necnon tenementa, bona, res et possessiones sua quæcumque, in protectionem et defensionem ac salvam et securam gardiam nostras speciales:

Et ideò vobis mandamus quod ipsos homines et habitatores, et eorum quemlibet, necnon terras, tenementa, bona, res et possessiones sua quæcumque, manuteneatis, protegatis, et defendatis; non inferentes eis, seu eorum alicui, in personis, terris, tenementis, bonis, rebus, aut possessionibus suis aliquibus, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen; et si quid eis, seu eorum alicui, in terris, tenementis, bonis, rebus, aut possessionibus suis aliquibus forisfactum vel injuriatum fuerit, id eis et eorum cuilibet sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c. quamdiu villa prædicta in manu nostrâ fuerit, hominesque ac habitatores ejusdem villæ se ad fidem et sub obedientiâ nostrâ fideliter tenuerint, dumtaxat duraturas.

Dat' apud Westm', xxiii. die Novembris.

Per breve de privato sigillo.

De conductu pro Edmundo comite Cantebrigiæ, et aliis magnatibus.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 19. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, capitaneis, castellanis et eorum loca tenentibus, custodibus portuum maris et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus ligeis et subditis suis, in partibus transmarinis et cismarinis, tam per terram quam per mare constitutis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum carissimus avunculus noster Edmundus comes Cantebrigiæ, ac alii magnates et diversi ligei nostri de partibus Portugaliæ, in quibusdam navibus de regno Castellæ, in unâ, videlicet, navi vocatâ Seint Johan de Seint Andore, undè Gunsalus de Scalent est magister; unâ vocatâ Seint Katerine de Seint Andore, undè Johannes de la Vege est magister; unâ vocatâ Seint Marie de Castres, undè Martinus Saynches de Asketa est magister; unâ vocatâ Seint Marie de Plesence, undè Johannes Englissh de Plesence est magister; unâ vocatâ Seint Johan de Vermewe, undè Petrus Vanes de Vatu est magister; unâ vocatâ Seint Marie de Vermewe, undè Petrus de Dege est magister; unâ vocatâ Seint Cristofre de Ketu, undè Martinus Vanes de Ketu est magister; unâ vocatâ Seint Petre de Ketu, undè Johannes Englissh de Ketu est magister; unâ vocatâ Seint Salvatour de Gitary, undè Petrus Johan de Tule est magister; unâ vocatâ Seint Marie de Mortrico, undè Johannes Iwaynes de la Pene est magister; et unâ vocatâ Seint Katerine de Seint Sebastian, undè Domyngus Johan de Merkeyth est magister, in regnum nostrum Angliæ advenissent.

Nos ad gratuitum obsequium per magistros, mercatores, et marinarios in eisdem navibus existentes, præfato avunculo nostro et aliis magnatibus et ligeis nostris prædictis, laudabiliter impensum, condignam considerationem habentes, volentesque pro securo transitu magistrorum, mercatorum et marinariorum navium prædictorum versus dictum regnum Castellæ providere, et ipsos ab adversitatibus, in quantum poterimus, præservare, suscepimus ipsos magistros, naves, mercatores, et marinarios prædictos, unà cum familiaribus et servientibus suis, versus dictum regnum Castellæ transeundo, ac mercandisas, res, bona, et hernesia sua quæcumque, in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensionem nostras speciales.

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm injungimus et mandamus, quod eisdem magistris, mercatoribus, et marinariis aut familiaribus et servientibus suis prædictis, transeundo versus dictum regnum Castellæ, ut prædictum est, in personis, navibus, bonis, mercandisis, rebus, et hernesiis suis aliquibus, non inferatis, seu, quantum in vobis est, ab aliis inferri permittatis, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, arestum, impedimentum aliquod, seu gravamen.

Et si quid eis, seu eorum alicui, forisfactum sive injuriatum fuerit, id eis sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c. usque ad festum Paschæ proximò futurum duraturas; dumtamen iidem magistri, mercatores, et marinarii, erga nos, subditos, et ligeos nostros, se benè et pacificè gerant per tempus prædictum.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Novembris.

Per concilium.

Consimiles litteras regias de conductu habet Garcius Piers de Villâ Novâ, magister cujusdam navis de regno Castellæ vocatæ Seint Katerine de Audore, pro se, mercatoribus et marinariis in eâdem navi existentibus, per idem tempus duraturas.

Teste ut supra.

Per concilium.

Pro scolaribus de Scotia, Antipapæ adhærentibus.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Rot. Scot. 6 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi in CHRISTO cancellario et procuratoribus universitatis Oxoniæ, salutem.

Ad nostrum pervenisse noveritis intellectum, quod vos, prætendentes scolares, de partibus Scotiæ, in universitate prædictâ studentes, contra sanctissimum patrem nostrum Urbanum, universalis ecclesiæ Summum Pontificem, Roberto antipapæ dampnabiliter adhærere, diversa gravamina et impedimenta eisdem scolaribus, tanquam scismaticis, eâ occasione fecistis, et contra ipsos, velud hujusmodi scismatis reos, procedere intenditis cum rigore:

Nos advertentes quod, secundum formam treugarum, inter nos et ipsos de Scotia dudùm initarum, subditi dictarum partium Scotiæ, in quibuscumque partibus regni nostri Angliæ, durantibus treugis illis, morari possunt et liberè conversari, nolentesque treugas illas ex parte nostrâ aliqualiter violari, vobis, districtè injungendo, mandamus quod quoscumque scolares dictarum partium Scotiæ, in universitate prædictâ jam studentes, morantes, seu conversantes, et quos in universitate illâ exnunc studere, conversari, seu morari contigerit, in universitate prædictâ studere, morari, et conversari, durantibus treugis prædictis, permittatis liberè et impunè;

Dumtamen iidem scolares Scotiæ, quamdiu in universitate prædictâ steterint, actibus scolasticis vacent, et quicquam contra statum dicti domini Summi Pontificis modo scismatico non attemptent ullo modo; et, si eorum aliquis secus fecerit, undè legitimè convinci poterit in eventu, tunc quemlibet eorum taliter deviantem, cum omni juris in hâc parte rigore castigetis et puniatis, prout ligei nostri Angliæ forent in casu consimili puniendi.

Teste Rege, apud Westm', v. die Decembris.

Per magnum concilium.

[*Et erat patens.*]

Pro episcopo Norwicensi, supra cruciatâ, ad dictum Antipapam debellandum, proclamandâ.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus suis, ad quos, &c. salutem.

Cum sanctissimus in CHRISTO pater et dominus, dominus Urbanus, Divinâ providentiâ, Papa Sextus, per bullas suas apostolicas, more Romanæ curiæ bullatas, et in aliquâ parte suâ non suspectas, in virtute obedientiæ mandaverit venerabili in CHRISTO patri et dilecto filio suo Henrico episcopo Norwici quod ipse quandam cruciatam, et quædam alia in dictis bullis contenta, et hujusmodi cruciatam summè concernentia, contra Robertum, olim cardinalem Basilicæ duodecim Apostolorum, vulgariter dictum, Gebeuensem antipapam scismaticum et apostatam, ejusque complices et fautores, receptores atque credentes, manu forti, et aliis viis et modis ex hujusmodi auctoritate sibi commissâ, prosequatur, prout in bullis prædictis pleniùs continetur;

Nos, ad laudem DEI, et ob defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac expeditionem guerrarum nostrarum, de assensu concilii nostri, concessimus et licentiam dedimus tam præfato episcopo quam quibuscumque ligeis nostris et regnicolis, laicis et clericis, secularibus et regularibus, cujuscumque statûs, ordinis, seu conditionis fuerint, qui cum præfato episcopo transire voluerint, quod ipsi ad dictam cruciatam, contra dictum antipapam, et sibi adhærentes et credentes, effectui debito demandandam, in quibuscumque portubus maris transfretare, et ad superbiam et pertinaciam dicti antipapæ et sibi adhærentium debellandas, modo guerrino et manu forti, transire possint; illis tamen, qui nobiscum et cum cæteris magnatibus regni nostri pro guerrâ retenti sunt, duntaxat exceptis:

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm injungimus et mandamus quod omnia et singula præmissa, in locis ubi meliùs expedire videritis, tam infra libertates quam extra, publicè proclamari faciatis.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro burgensibus villæ Calesii.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 18. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi majori et aldermannis villæ nostræ Calesii, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Sciatis quod, ad supplicationem burgensium villæ prædictæ, et pro majori securitate ejusdem villæ, volumus et concedimus, quod omnes homines infra villam prædictam continuè commorantes, qui terras et tenementa ibidem in feodo et hæreditate optinent, sint jurati burgenses ejusdem villæ; et quod nullus alius quam burgensis juratus, pro periculis evitandis, decætero teneat hospitia, sive herbergagia, in eâdem villâ.

Et ideò vobis mandamus quod omnes hujusmodi homines, in dictâ villâ sic hæreditatos, et in eâdem continuè commorantes, consimile sacramentum, sicut cæteri comburgenses vestri ibidem in hâc parte hactenus facere consueverunt, facere compellatis; et quod nullum alium quam burgensem juratum hospitia, sive herbergagia, in villâ prædictâ decætero tenere permittatis quovismodo.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Decembris.

Per petitionem in parliamento.

De non mittendo ad parliamentum.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 26. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod, de gratiâ nostrâ speciali, concessimus, dilectis nobis, burgensibus villæ nostræ Colcestriæ, in auxilium expensarum, quas ipsi super clausurâ dictæ villæ muro de petrâ et calce, in resistentiam inimicorum, si qui villam illam forsan invadere vellent, apponere intendunt, ad quod opus implendum firmum propositum jam sumpserunt, sicut dicunt, quod ipsi, per quinque annos, proximò sequentes, plenariè completos, penitùs sint exonerati ad mittendum seu inveniendum aliquos comburgenses suos dictæ villæ ad parliamenta nostra, infra idem tempus tenenda; ita semper quod iidem burgenses dictum opus, infra prædictos quinque annos, perficiant juxta posse suum, ut prædictum est.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Decembris.

Per breve de privato sigillo.

De navibus arestandis, pro passagio Regis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m 15. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Waltero Fitz Wauter, admirallo flotæ navium versus partes boreales, salutem.

Advertentes qualiter Carolus, adversarius noster Franciæ principalis, subjugatâ sibi maximâ parte Flandriæ, quæ de amicitiâ nostrâ existebat, jam ad obsidendum villam nostram Calesii, cum omni posse suo, prout certitudinaliter intelleximus, se festinat, de avisamento et assensu magni concilii nostri, ad resistendum malitiæ dicti adversarii nostri, et ad hujusmodi obsidionem, si quæ ibidem, quod absit, facta fuerit, favente DOMINO, removendum, necnon ob recuperationem juris nostri quod ad coronam et regnum Franciæ notoriè optinemus, ac defensionem regni nostri Angliæ et ecclesiæ Anglicanæ meliorem, cepimus firmum propositum et voluntatem perfectam versus partes transmarinas, cum comitivâ procerum, magnatum, et nobilium plurimorum, manu forti, cum omni festinatione possibili, volente DOMINO, personaliter proficisci;

Et ideò vobis, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, et prout salvationem regni nostri Angliæ, ecclesiæ et villæ prædictorum diligitis, firmiter injungendo, mandamus, quod statim, visis præsentibus, ac

omnibus aliis prætermissis, et excusatione quâcumque cessante, ac periculis, quæ ex negligentiâ in hâc parte evenire possent, debitè consideratis, universas et singulas naves et alia vasa quæcumque portagii viginti doliorum et ultra, tam de regno nostro Angliæ quam de aliis partibus quibuscumque, infra admiratum vestrum jam existentia, et exnunc futura, de tempore in tempus, faciatis arestari;

Ita quod omnia naves et vasa hujusmodi habeatis prompta et parata, apud Sandwicum, in festo Sancti Hillarii proximò futuro, ad ultimum, ad deserviendum nobis pro passagio nostro et aliorum fidelium nostrorum, qui ex causis prædictis, versus partes transmarinas, in comitivâ nostrâ, ut præmittitur, transfretabunt.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimile breve dirigitur Johanni Roches, admirallo flotæ navium versus partes occidentales, sub eâdem datâ.

De nunciis versus ducem Hollandiæ mittendis.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis amicis et benivolis suis, in partibus transmarinis constitutis, necnon admirallis, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilectos nostros, Thomam Cheyne armigerum cameræ nostræ, Willielmum Brampton et Thomam Wyght cives civitatis nostræ Londoniæ, ac Willielmum Leaute et Hugonem Wythum cives civitatis nostræ Lincolniæ, penes nobilem et potentem virum Albrightum ducem Holandiæ et Selandiæ, consanguineum nostrum carissimum, ac certas civitates et villas ipsius ducis, pro quibusdam negotiis nos et statum regni nostri Angliæ, ac mercatorum ejusdem et aliorum mercatorum quorumcumque, de amicitiâ nostrâ existentium, intimè concernentibus, favente DOMINO, feliciter expediendos, jam, de avisamento concilii nostri, duxerimus transmittendos;

Vos, amicos et benivolos nostros, specialiter requirimus et rogamus, vobis ligeis et fidelibus nostris, firmiter injungendo, mandantes quod, cum præfati, Thomas, Willielmus, Thomas, Willielmus, et Hugo, seu eorum aliquis, per loca, portus, passus, seu districtus vestros, ex hâc causâ, transierint seu transierit, ipsos et eorum quemlibet, nostri intuitu, benignè pertractetis, manuteneatis, protegatis, et defendatis, ac eis consilium, auxilium, et favorem impendatis, prout vos amici et benivoli nostri velletis nuncios seu homines vestros, infra potestatem nostram, in casu consimili, pertractari; non inferentes eis, seu eorum alicui, in personis, bonis, aut rebus suis aliquibus, versus partes prædictas eundo, ibidem morando, et exindè redeundo, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, arestum, impedimentum aliquod, seu gravamen;

Et si quid eis, vel eorum alicui, forisfactum sive injuriatum, seu contra ipsos, seu eorum aliquem, minus debitè attemptatum fuerit, id eis, et eorum cuilibet, sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c.

Dat' apud palatium Regis Westm', xiv. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium.

De arcubus et sagittis emendis et providendis, pro expeditione Regis in Franciam.

A. D. 1382. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Kantiæ, salutem. Quia, pro expeditione guerræ nostræ Franciæ, ac necessariâ defensione regni nostri Angliæ, et ecclesiæ Anglicanæ, aliisque arduis negotiis, nos et regnum nostrum prædictum intimè concernentibus, cepimus firmum propositum versus partes Franciæ, cum comitivâ procerum et nobilium plurimorum manu forti, cum omni festinatione possibili, favente DOMINO, personaliter proficisci, propter quod quidem propositum melius exequendum, arcubus et sagittis plurimum indigemus;

Tibi igitur præcipimus, firmiter injungentes, quod, cum omni celeritate quâ fieri poterit, quadringentos arcus bonos et competentes, et ducentas garbas sagittarum, quarum capita omninò sint dura et benè acerata, in ballivâ tuâ, de exitibus ejusdem ballivæ, emi et provideri, seu fieri; et eosdem arcus et sagittas, cum sic provisi seu facti fuerint, usque Turrim nostram London' duci et cariari faciatis, dilecto clerico nostro Ranulpho de Hatton, custodi privatæ garderobæ nostræ in Turri prædictâ, per indenturam indè inter te et ipsum, tam numerum arcuum per se et garbarum per se, quam pretium eorumdem continentem, faciendam, ibidem liberandum; ita quod dicti arcus et garbæ sint ibidem in Crastino Sancti Hillarii proximò futuro ad ultimum.

Et hoc sub forisfacturâ omnium, quæ nobis forisfacere poteris, nullatenus omittas. Et nos custus, quos in hâc parte apposueris, tibi in compoto tuo ad scaccarium nostrum allocari faciemus.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Decembris.

Per ipsum Regem et concilium.

Consimilia brevia diriguntur vicecomitibus subscriptis, pro arcubus et sagittis subscriptis, in ballivis suis emendis et providendis, sub eâdem datâ; videlicet,

Vic' Surr' et Sussex', pro trescentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Suthť, pro trescentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Wiltes', pro quadringentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Somers' et Dors', pro quingentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Devon', pro quadringentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Cornub', pro ducentis arcubus et centum garbis sagittarum.
Vic' Glouc', pro quadringentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Hereford', pro trescentis arcubus et centum et quinquaginta garbis sagittarum.
Vic' Salop', pro quingentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Staff', pro quingentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Wygorn', pro trescentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Oxon' et Berk', pro trescentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Bed' et Buk', pro trescentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Essex' et Hertf', pro quadringentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Cantebr' et Hunt', pro quingentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.
Vic' Norff' et Suff', pro sexcentis arcubus et quadringentis garbis sagittarum.
Vic' Lincoln', pro octingentis arcubus et quingentis garbis sagittarum.
Vic' Northť, pro trescentis arcubus et ducentis garbis sagittarum.
Vic' Rotel', pro ducentis arcubus et centum garbis sagittarum.
Vic' Notyngh' et Derb', pro sexcentis arcubus et quadringentis garbis sagittarum.
Vic' Ebor', pro octingentis arcubus et quingentis garbis sagittarum.
Vic' Bristoll', pro quingentis arcubus et trescentis garbis sagittarum.

De conductu pro navibus Flandriæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 15. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, capitaneis, castellanis, et eorum loca tenentibus, custodibus portuum maris, et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis ligeis et fidelibus suis, per terram et mare constitutis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilecti nobis admirallus flotæ navium Flandriæ, et quamplures alii Flandrenses, qui cum flotâ prædictâ in certis portubus versus partes occidentales regni nostri Angliæ, pro aurâ prosperâ expectandâ, nuper applicabant, à portubus illis versus partes transmarinas, pro eorum negotiis exequendis, jam discedere, et per partes dicti regni nostri iteratò redire intendant, negotiis illis feliciter expeditis;

Nos desiderantes, pro securo transitu et reditu ipsorum admiralli et Flandrensium, ac navium prædictarum, amicabiliter providere, suscepimus ipsum admirallum, ac universos et singulos Flandrenses in flotâ prædictâ existentes, à portubus prædictis versus partes transmarinas, cum navibus et bonis suis quibuscumque, transeundo, et exindè cum navibus illis, ac bonis omnibus in eisdem ponendis, licet fortè aliqua bonorum illorum inimicorum nostrorum fuerint, ad quascumque partes regni nostri prædicti sibi placuerit, redeundo, ibidem morando, et exindè versus partes Flandriæ, pro eorum libito, declinando, ac naves et bona prædicta, quorumcumque fuerint;

Necnon tot personas Flandrensium prædictorum, quot ipsi Flandrenses, postquam ad regnum nostrum prædictum revenerint, pro ipsorum voluntate, intentione seu negotiis nobis declarandis, ad nostram præsentiam destinare voluerint, penes nos, vel concilium nostrum, tam per terram quam per mare, veniendo, ibidem morando, et exindè ad flotam prædictam, sive partes suas proprias, redeundo, necnon hernesia, bona et res hujusmodi personarum, in salvum et securum conductum nostrum, ac protectionem, tuitionem, et defensionem nostras speciales; nolentes quod

aliquis Flandrensium prædictorum, aut naves seu bona prædicta, vel aliqua eorumdem, quorumcumque fuerint, per vos seu aliquem vestrûm, ullo colore arestentur.

Et ideò vobis mandamus quod ipsum admirallum, ac universos et singulos Flandrenses in flotâ prædictâ existentes, in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, necnon naves, bona, res, et hernesia prædicta, manuteneatis, protegatis, defendatis et amicabiliter pertractetis, non inferentes eis, seu eorum alicui, in personis, navibus, rebus, bonis, seu hernesiis suis prædictis, injuriam, molestiam, arestum, dampnum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen.

Et si quid eis, seu eorum alicui, in personâ, seu bonis, contra tenorem præsentium forisfactum seu injuriatum fuerit, id eis et eorum cuilibet sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c. per tres menses proximò futuras, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu pro nunciis comitis Flandriæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 13. in Turr. Lond.

REX, universis, &c. salutem. Sciatis quod, cum Johannes de Villeyen miles, cum duobus aliis militibus, et uno clerico, ac certis aliis personis de eorum familiâ et comitivâ, ex parte comitis Flandriæ, pro ipsius comitis negotiis et voluntate super certis materiis, nobis et concilio nostro expressè declarandis, ad nostram præsentiam, ut intelleximus, in proximo sit venturus;

Nos, pro ipsorum adventu, morâ, et recessu securis et quietis volentes, ut convenit, providere, suscepimus ipsum Johannem, necnon prædictos duos milites, ac unum clericum, veniendo in regnum nostrum Angliæ, per dominium et potestatem nostra, tam per terram quam per mare, ad præsentiam nostram, ex causâ prædictâ, unà cum viginti aliis personis equitibus de eorum familiâ seu comitivâ, ibidem morando, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. usque ad festum Paschæ proximò futurum, duraturas.

Dat' in palatio nostro Westm', xvi. die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

De conductu pro Rege Navarræ.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 14. in Turr. Lond.

LE Roy, a touz ceux qui ces lettres verront, salutz. Come le puissant prince le Roy de Navarre, nostre trescher et tresame cosyn, soit a venir par devers nous en nostre roialme d'Engleterre, a ce que nous esperons, par aucunes causes qui a ce li moevont;

Savoir vous faisons que nous a nostre dit cousyn, et a touz ses gens queux serront en sa compaignie tanque a nombre de centz persones a chival, ovec touz leur biens quelconqes, q' ils soient venantz par devers nous, passantz, demurrantz, et retournantz, par meer et par terre, armez et desarmez, avons done et ottroie, donons et ottroions, par ces presentes, bon, loial, seur, et sauf conduit;

Et les asseurons et promettons, loialment et sur tout nostre' honour, q'ils n'auront, durant le terme de ces presentes lettres, male, vilaine, damage, ne empechement aucunes, en persones ne en biens, pur dette, ne pur marque, ne pur reprisaill, ou pur obligacion aucune, ne par quelconque autre cause ou occasion avenu devant ces heures;

Et que, toutz et quantes foitz plerra a nostre dit cousyn retournir ovec ses ditz gentz et biens entreiement, il le puisse faire franchement et liberalment, sanz ce q' es havens, portz, ou passages de noz seignuries, ne en la meer, il eit aucune delaye, perturbacion, empechement, ne areste aucune pur aucune cause come dit est;

Si mandons, per ces presentes bien acertes, a touz admiralx, capitains, chastelleins, conestables, mareschaulx, jugges, viscontz, mairs, baillifs, provostz, et leurs lieutenantz, gentz d'armes, archers, et autres quelconques officers, ministres, lieges et subgitz, sibien par terre come par meer, en toutes noz seignuries et poairs, qui nostre present sauf conduit et seure promesse, en la manere que desuz est dit, et meultz, si meultz poent, ils gardent et accomplissent, bien et loialment, de poynt en poynt, sanz y rien enfreindre;

Et que nostre dit cousyn ils receivent chescun en leurs lieux, jurisdictions et destroitz bien et honourablement, et treitent luy et ses gentz bien graciousement et amiablement, come ils feroient nostre persone;

Et ne facent, en aucune manere, ne consentent estre fait le contraire, sur peine de forfaiture en corps et en biens, et d'encourre nostre indignacion a touz jours;

Mes qu'ils, sur toute foialte, amour, et obeissance q'ils nous devent, nostre dit cousyn et ses gentz eident et confortent es toutes choses q'ils purront; par ensy le veullions estre fait sanz point de defaulte ou difficulte.

En tesmoignance de quele chose nous avons fait faire cestes noz lettres patentes a durer par un an comenceant le jour de Pasque proschein venant.

Don' a nostre palays de Westm', le xvi. jour de Januer.

Par le Roi et son conseil.

Pro Rege Navarræ, de navigio præstando.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, majoribus, juratis, cæterisque probis hominibus et habitatoribus civitatum suarum Burdegaliæ et Baioniæ, salutem.

Cum magnificus princeps, consanguineus noster carissimus, Rex Navarræ, pro quibusdam causis, ipsum ad hoc moventibus, in regnum nostrum Angliæ, ad nostram præsentiam, proponat, ducente DOMINO, celeriter se transferre;

Nos omnia, quæ pro ipsius consanguinei nostri ac ejus comitivæ adventu fuerint oportuna, fieri et parari volentes, vobis et cuilibet vestrûm, requirendo mandamus quod, si præfatus consanguineus noster, pro transfretatione suâ ac hominum et gentium suorum, ex hac causâ, navibus seu marinariis aliquibus, in partibus dominii nostri Aquitaniæ, indiguerit, eidem consanguineo nostro navigium, sibi in hac parte competens et necessarium, necnon marinarios sufficientes, cum ex parte ipsius consanguinei nostri super hoc requisiti fueritis, suis sumptibus, parari et habere faciatis indilatè;

Et hoc, sicut nos et honorem nostrum diligitis, nullatenus omittatis.

Dat' in palatio nostro Westm', xvi. die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro Jacobo de Lyndesey.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Scot. 6 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, per literas suas patentes, per unum annum duraturas, suscepit in salvum et securum conductum suum, ac in protectionem et defensionem suas speciales, nobilem virum, Jacobum de Lyndeseye de Scotia, militem, ac centum personas equites in comitivâ suâ, veniendo in regnum Regis Angliæ, pro diversis peregrinationibus ibidem, versus Sanctum Thomam Cantuariensem, Walsyngham, et alibi ubi eis placuerit, faciendis, in eodem regno Regis morando, et exindè declinando, necnon hernesia, monetam, jocalia, equos, res, et bona sua quæcumque.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Januarii.

Per billam de privato sigillo.

Bulla Urbani VI. Papæ, de provisione.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II. Ex Orig. in Turr. Lond.

URBANUS episcopus, servus servorum DEI, carissimo in CHRISTO filio, Ricardo Regi Angliæ illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratiæ Divinæ præmium et humanæ laudis præconium acquiritur, si per seculares principes prælatis, præsertim ecclesiarum cathedralium regimini præsidentibus, oportuni favoris præsidium et honor debitus impendatur.

Dudùm siquidem, bonæ memoriæ, Rogero episcopo Landavensi, regimini Landavensis ecclesiæ præsidente, nos, cupientes eidem ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, per operationis nostræ ministerium, utilem et ydoneam præsidere personam, provisionem ipsius ecclesiæ ordinationi et dispositioni nostræ eâ vice duximus specialiter reservandam; decernendo extunc irritum et inane si secùs, super hiis, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari.

Postmodùm verò, præfatâ ecclesiâ, per obitum ejusdem Rogeri episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destitutâ, nos, vacatione hujusmodi fidedignis relatibus intellectâ, ad provisionem ipsius ecclesiæ celerem et fœlicem, de quâ nullus præter nos eâ vice se intromittere potuerat neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, nè ipsa ecclesia prolixæ vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demùm ad dilectum filium Thomam Russchok, electum Landavensem, ordinis fratrum prædicatorum, professorem in sacrâ theologiâ, magistrum in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, literarum scientiâ, vitæ munditiâ, honestate morum, spiritualium providentiâ, et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis;

Quibus omnibus debitâ meditatione pensatis, de personâ dicti Thomæ electi, nobis et eisdem fratribus nostris, ob dictorum suorum exigentiam meritorum, acceptâ, ipsi Landavensi ecclesiæ, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolicâ providimus, ipsumque illi præfecimus in episcopum et pastorem; curam et administrationem ipsius ecclesiæ eidem Thomæ electo in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo;

In Illo, qui impertitur gratias et largitur præmia, confidentes, quod eadem ecclesia, per ipsius Thomæ electi circumspectionem providam et providentiam circumspectam, sub ejus felici regimine, dexterâ DOMINI sibi assistente propitiâ, salubriter et prosperè dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus DEI ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus, pro Regis æterni gloriâ, venerari, serenitatem regiam rogamus et hortamur attentè, quatinus eundem electum, et præfatam ecclesiam Landavensem suæ curæ commissam, habens pro nostrâ et apostolicæ sedis reverentiâ, propensiùs commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris; ita quod idem electus, tuæ celsitudinis fultus præsidio, in commisso sibi curæ pastoralis officio possit, DEO propitio, prosperari, ac tibi exindè à DEO perennis vitæ præmium et à nobis condigna proveniant actio gratiarum.

Dat' Romæ apud Sanctum Petrum, xviii. kal. Februarii, pontificatûs nostri anno quinto.

De clero Eborum provinciæ convocando; et subsidio concedendo.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II. Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 3. in Turr. Lond.

REX, venerabili in CHRISTO patri A. eâdem gratiâ, archiepiscopo Eborum, Angliæ primati, salutem.

Clarâ memoriâ recordantes qualiter, vicesimo quarto die Septembris, ultimò præterito, exponentes vobis, per breve nostrum regium, mala quamplurima, et intollerabilia nobis et ligeis nostris, per hostium nostrorum invasionem sæpiùs illata, qui nos, regnum nostrum Angliæ, ac ecclesiam Anglicanam, omnino destruere, absque intermissione, solicitè machinantur;

Undè nos, in salvationem statûs ecclesiæ prædictæ, ac regni et populi nostrorum defensionem necessariam, ac propter resistentiam hostium nostrorum prædictorum, census et expensas inestimabiles effundere oporteret;

Quas quidem expensas perficere, absque fidelium nostrorum juvamine, non valemus;

Vobis, rogando, mandavimus quod, convocatis prælatis et clero vestræ provinciæ, et negotiis prædictis eis expositis et declaratis, ipsos ad subsidium competens in hoc casu, nobis, in supportationem expensarum prædictarum, concedendum induceretis, et ad hoc efficaciter apponeretis partes vestras;

Vobis jam significamus quod venerabilis pater Willielmus archiepiscopus Cantuariensis, cui pro hujusmodi convocatione, in provinciâ suâ faciendâ, per breve nostrum similiter mandavimus, aliique prælati ac clerus dictæ provinciæ suæ unam decimam, de eorum beneficiis ecclesiasticis ejusdem Cantuariensis provinciæ, nobis certis terminis solvendam, ad captandam nostram regiam benivolentiam, gratuitè concesserunt;

Vobis, de quo summè confidimus, in fide et dilectione, quibus nobis tenemini, iterùm rogando, mandantes quatinus gravibus periculis, quæ ecclesiæ et regno prædictis patulo intuitu iminere conspicitis, attentis debitèque propensis, ac factâ sine dilatione convocatione prælatorum et cleri vestræ provinciæ in ecclesiâ beati Petri Eborum, ut est moris, eisque tam dictis negotiis et periculis quam concessione nobis per clerum dictæ Cantuariensis provinciæ de unâ decimâ, ut præmittitur, factâ, declaratis, ipsos ad hujusmodi decimam, seu aliud subsidium competens et æquivalens, in supportationem expensarum prædictarum, et defensionem ecclesiæ et regni prædictorum, nobis concedendum, et ad festum Paschæ, seu alium diem brevem et propinquum, cum omni solicitudine quâ poteritis, et eo specialius quo maxima habetur necessitas, inducatis et procuretis, et circa hoc corditer et fideliter laboretis;

Pro quo vobis, cæterisque prælatis, ac clero dictæ provinciæ vestræ magis teneri volumus in futurum;

Nos de quantitate dicti subsidii, cum concessum fuerit, ac de termino seu terminis solutionis ejusdem, certificantes indilatè:

Et hoc, sicut nos, et honorem nostrum, ac salvationem et defensionem ecclesiæ et regni prædictorum, diligitis, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Januarii.

Per ipsum Regem et concilium.

De pretio vinorum proclamando.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II. Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 10. d. in Turr. Lond.

REX, majori et vicecomitibus Londoniæ, salutem.

Cum in parliamento nostro apud Westmonasterium, in Crastino Animarum, anno regni nostri quinto, tento, inter cæteras ordinationes et concordias factas, contineatur quod, si aliquis Anglicus extunc versus partes transmarinas, pro vinis Vasconiæ, de Rupella, Oseye, et de Ispania, ac vinis de Rino, proficisci vellet, ad ea ad aliquas partes infra idem regnum Angliæ adducenda, illa non venderet, nec vendere posset, infra idem regnum, sub pœnâ forisfacturæ eorumdem, ultra pretium inferius limitatum: videlicet,

Unum dolium de meliori vino Vasconiæ, de Oseye, vel de Ispania, pro centum solidis;

Et alia dolia de communi vino, de eisdem patriis, pro minori precio, juxta valorem vini prædicti, videlicet, pro septem marcis, sex marcis et dimidiâ, vel sex marcis;

Ac unum dolium de meliori vino de Rupella, pro sex marcis, et dolium de alio tali vino, de minori precio, juxta valorem ejusdem vini, videlicet, pro quinque marcis et dimidiâ, quinque marcis, quatuor marcis et dimidiâ, vel quatuor marcis;

Ac pipæ, et alia vasa de minori quantitate, eorumdem vinorum vendantur ad eadem precia, juxta ratam doliorum et bonitatem vini prædicti;

Et quoad retalliam, de prædictis novis vinis de Vasconia, Oseye, et Ispania, infra idem regnum, per Anglicos adductis seu adducendis, quod lagena de meliori tali vino, infra regnum nostrum prædictum, sub pœnâ forisfacturæ totius vasis et vini erga nos, ultra sex denarios non vendatur, set infra, juxta valorem ejusdem; et lagena de meliori vino de Rupella, pro quatuor denariis, et infra, secundum valorem ejusdem:

Et quod vinum de Rino, infra dictum regnum adducendum, pro eo quod vasa nec amuæ vini de Rino non continent mensuram de certo, ordinatum et concordatum extitit quod lagena melioris vini de Rino in grosso, nec ad retalliam, alicubi infra regnum prædictum, per prædictos Anglicos, ultra sex denarios, sub pœnâ prædictâ, non vendatur;

Et etiam siquis Anglicus recusaverit et noluerit vina sua, venditioni exposita, pro pretio supra limitato, in grosso vendere, set ea tantùm ad retalliam seu alio modo vendere voluerit ultra pretium superiùs limitatum, in fraudem et contra formam ordinationis prædictæ, habeat et habeant majores, ballivi, et alii gubernatores civitatis, burgi, villæ, aut alterius loci, in quorum potestate seu jurisdictione dicta vina reperientur, sive fuerit infra libertates sive extra, potestatem, per ordinationem prædictam, postquam emptor rationabiliter monetam pro eisdem vinis semel vel bis venditori eorumdem vinorum optulerit, liberationem eorumdem vinorum in barganiâ existentium dictis emptoribus faciendi, et ea, quamcito inde requisiti fuerint, liberandi pro pretio superiùs ordinato;

Et si quis dictorum majoris, ballivorum, seu aliorum gubernatorum, postquam indè debitè requisitus fuerit, liberationem prædictam facere recusaverit, et super hoc debitè convincatur, forisfaciat erga nos valorem vinorum prædictorum sic emendorum;

Intentionis tamen nostræ non existit quod tabernarii et alii venditores vinorum, ea in patriam per carectam cariantes et alio modo, per dictam ordinationem, pretium eorumdem vinorum, pro sumptibus cariagii, per eos rationabiliter faciendis, exaltare valeant, prout ante hæc tempora extitit ordinatum;

Et specialiter non exaltetur super lagenam vini pro cariagio quinquaginta miliarium nisi tantum unum obolum, et similiter, pro minori seu majori cariagio quam quinquaginta miliaribus, exaltetur super lagenam

vini juxta ratam, et non ultra, sub pœnâ forisfacturæ eorumdem vinorum;

Et, licet nuper, in parliamento prædicto, ordinatum fuisset, quod aliqua vina dulcia in regno nostro prædicto nullatenus, sub forisfacturâ eorumdem, post festum Sancti Johannis Baptistæ proximò præteritum, ad retalliam venderentur, de assensu tamen prælatorum, ducum, comitum, baronum, et communitatum regni prædicti, in parliamento nostro apud Westmonasterium ultimò tento, ordinatum fuit et concordatum quod eadem vina dulcia ubique in regno prædicto, ad pretium quo vina de Vasconia et Rinensia vendi contigerit, et non ultra, sub pœnâ forisfacturæ eorumdem, ad retalliam vendi poterunt; dictâ priori ordinatione non obstante:

Nos, volentes dictas concordias et ordinationes in omnibus suis articulis inviolabiliter observari, vobis præcipimus, firmiter injungentes, quod prædictas ordinationes et concordias, in dictâ civitate nostrâ Londoniæ, et suburbiis ejusdem, ubi necesse fuerit, publicè proclamari et teneri faciatis, juxta formam ordinationum et concordiarum prædictarum; et hoc, sub gravi forisfacturâ nostrâ, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', primo die Januarii.

Consimilia brevia diriguntur personis subscriptis, de hujusmodi proclamatione in villis subscriptis faciendâ; videlicet,

Majori et ballivis villæ Novi Castri subtus Linam. Teste ut supra.
Justiciario suo Cestriæ vel ejus locumtenenti ibidem ac camerario suo Cestriæ. Teste Rege, apud Westm', iii. die Februarii.

De proclamando, quod vina non vendantur antequam gaugeantur.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 2. m. 15. d. in Turr. Lond.

REX, majori et ballivis suis villæ de Novo Castro super Tynam, salutem.

Præcipimus vobis, firmiter injungentes, quod statim, visis præsentibus, in singulis locis villæ prædictæ, ubi expediens fuerit et necesse, proclamari et ex parte nostrâ firmiter inhiberi faciatis, ne quis mercator, aut vinetarius, indigena vel alienigena, sive alius, cujuscumque statûs seu conditionis fuerit, aliqua dolia, pipas, vel alia vasa vini, seu alterius liquoris quæ gaugeari debent, alicui vendere præsumat antequam per gaugeatorem nostrum in portu villæ prædictæ constitutum, seu ejus deputatum, fuerint juxta formam statutorum indè editorum debitè gaugeata, sub pœnâ forisfacturæ in statutis illis plenius declaratæ:

Et hoc, sub incumbenti periculo, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xii. die Februarii.

Consimilia brevia diriguntur subscriptis, sub eâdem datâ; videlicet,

Ballivis villæ de Sancto Botulpho.
Ballivis villæ de Lenn'.
Majori et ballivis villæ Magnæ Jernemuth.
Majori et ballivis villæ de Gippewico.
Ballivis villæ Colcestr'.
Majori et ballivis villæ de Sandewico.
Ballivis villæ de Wynchelse.
Ballivis villæ de Rye.
Ballivis villæ de Melcombe.
Ballivis villæ de Weymuth.
Majori et ballivis Exon'.
Ballivis villæ de Dertemuth.
Ballivis villæ de Plymmuth.
Ballivis villæ de Fowy.
Ballivis villæ de Falemuth.

Pro mercatoribus Januæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 1 m. 2. in Turr. Lond.

REX, carissimo avunculo suo Johanni Regi Castellæ et Legionis duci Lancastriæ, vel ejus cancellario in ducatu prædicto, salutem.

Ex gravi conquestione, dilectorum nobis, Danielis de Mare, Cosmati Dorya, Humfredi Pynell, et Johannis de Garle, mercatorum civitatis Januæ, in civitate nostrâ Londoniæ commorantium, pro certo didicimus quod quædam grossa navis, vocata Carrak de Janua, diversis bonis et mercandisis suis, et aliorum mercatorum, concivium suorum, civitatis Januæ, magni pretii et valoris, carcata, velando supra mare versus regnum nostrum Angliæ, extra rectum cursum suum, per procellam oceani magni maris, ac horribilem tempestatem ejusdem, propulsa hinc indè et diu fatigata, tandemque super sabulonem, non longè a terrâ, prope abbatiam Beatæ Mariæ de Fourneux, in eodem ducatu, agitata fuit, et ibidem adhuc existit;

Quodque bona et mercandisæ illa, undè magna pars, gravibus laboribus eorumdem mercatorum et marinariorum atque aliorum mediantibus, salvata est et ad terram ibidem reducta, per nonnullos homines partium earumdem, quamquam Lodewicus Jambons de Janua patronus, ac mercatores, et marinarii ejusdem navis, favente Dei clementiâ, vivi evaserunt, per quod wreccum indè minimè dici posset, multipliciter elonguntur, distrahuntur, atque dissipantur, nèc illa præfatis patrono et mercatoribus, quamquam ipsi pro omni labore, circa salvationem dictorum bonorum per homines patriæ illius apposito, satisfacere rationabiliter sint parati, restituere hucusque curaverunt, aut etiam voluerunt, in nostri contemptum et ipsorum patroni et mercatorum dampnum non modicum et gravamen;

Undè nobis supplicârunt sibi per nos de remedio providere:

Et quia per alligantias, inter nos et illos de Janua, diu est, initas et factas, prout scitis, Januenses illos de nostrâ amicitiâ fore et benivolentiâ pro certo reputamus:

Ac insuper præfatis Daniele, Cosmato, Humfrido, et Johanne, ac quodam alio Januensi, filio, videlicet, præfati Lodewici patroni, qui ad nos et concilium nostrum, pro parte patroni et mercatorum ejusdem navis, jam venit, coram concilio nostro super præmissis examinatis diligenter atque juratis, ipsi ibidem asseruerunt expressè dictam navem ac omnia bona in eâdem fuisse propria bona ipsorum et aliorum Januensium, ut prædictum est, prout ipsi, modis omnibus quibus convenit et debuerint, probare sunt parati;

Vobis mandamus quod certis discretis officiariis vestris, vel aliis subditis vestris ducatûs prædicti, de quibus confiditis, ac dilecto nobis Johanni de Orwell, servienti nostro ad arma, conjunctim et divisim, ad informandum se, viis et modis omnibus quibus meliùs et celeriùs poterunt, vel eorum aliquis poterit, tam, videlicet, per inquisitiones indè ritè capiendas, ac per examinationes faciendas, quam alio modo possibili quocumque, super plenâ veritate præmissorum, ac specialiter de navi et omnibus bonis et mercandisis ipsorum mercatorum in partibus illis, et de pretio seu valore eorumdem, ac de nominibus omnium et singulorum qui partem aliquam bonorum eorumdem abstulerunt, et ad cujus vel quorum manus bona illa postmodum devenerunt, et ubi adhuc existunt, quo titulo, qualiter, et quo modo, ac de omnibus aliis circumstantiis, circa præmissa necessariis vel oportunis;

Et ad navem illam ac omnia alia bona et mercimonia prædicta, si bona Januensium fuerint, ut prædictum est, ubicumque et in quorumcumque manibus inventa fuerint, tam infra libertates quam extra, si extent, vel si non extent, valorem seu pretium eorumdem, arestetis in manibus illorum qui ea distraxerunt vel habuerunt, ac bona illa vel valorem prædictum, satisfacto priùs hominibus partium earumdem pro labore et expensis suis, si quos forsan circa salvationem dictorum bonorum et mercandisarum apposuerint, Juliano Cybo mercatori Januæ, pro præfato Lodewico, liberandum et de facto integrè liberari faciendum, per literas vestras, committatis vices vestras;

Dantes insuper, tenore literarum vestrarum, vicecomiti vestro Lancastriæ, cæterisque ministris, officiariis, et subditis vestris ejusdem ducatûs, firmiter in mandatis quatinus dictis vestris commissariis et eorum cuilibet, in præmissis omnibus et singulis faciendis et explendis, pareant, obediant, ac efficaciter intendant, quodque consulentes sint eisdem et auxilliantes quotiens et prout indè fuerint requisiti, ac etiam prædictos patronum, mercatores et marinarios, tanquam amicos et benivolos regni nostri, dum ibidem fuerint, benè et honestè pertractent, et ipsos, quo voluerint, expedito negotio, cum navi et bonis suis prædictis, liberè transire permittant.

Teste Rege, apud Westm', xiv. die Februarii.

Per concilium.

Pro cardinali dicto Neapolitano, super præbendâ suâ et archidiaconatu.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 11. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, ob affectionem et benivolentiam, quas, venerabilis pater Perinus tituli Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, dictus Neapolitanus, erga nos et regnum nostrum gerit, prout veraciter sumus informati, concessimus eidem cardinali, quantum in nobis est, quod ipse possessionem præbendæ de Sutton in ecclesiâ cathedrali Lincolniensi, ac archidiaconatûs Tanton in ecclesiâ Wellensi, de quibus sibi per dominum Summum Pontificem debitè providetur, ut dicitur, per procuratores ipsius cardinalis adipisci adeptamque continuare, necnon fructus, *&c. prout in similibus de licentiâ literis.*

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Februarii.

Per ipsum Regem.

Pro episcopo Fernensi in Hibernia.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod licentiam dedimus venerabili patri Thomæ episcopo Fernensi, in terrâ nostrâ Hiberniæ, quod ipse in regnum nostrum Angliæ venire, et ibidem morari, et diversas peregrinationes suas facere possit:

Nolentes quod ipse propter absentiam suam extra terram nostram prædictam, per locum nostrum tenentem, seu justiciarium nostrum terræ prædictæ, pro tempore existentem, seu per aliquos alios ministros nostros ejusdem terræ impetatur aut aliqualiter molestetur; et quod, occasione dictæ absentiæ suæ, temporalia aut spiritualia sua in parte vel in toto, virtute alicujus statuti seu ordinationis ante hæc tempora facti seu factæ, in manum nostram seisiantur.

In cujus, &c. usque ad festum Sancti Michaelis proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxviii. die Februarii.

Per billam de privato sigillo.

Pro domino de Campfere.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, capitaneis, castellanis, et eorum loca tenentibus, custodibus portuum maris et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, ac ligeis et fidelibus suis quibuscumque, tam per terram quam per mare, constitutis, ad quos, &c. salutem.

Volentes cum nobili viro, domino de Campfere, qui olim per adversarios nostros Franciæ, occasione benevolentiæ quam iidem adversarii nostri ipsum penes nos et regnum nostrum Angliæ asserebant habuisse, captus fuit, et jam, ut intelleximus, ad redemptionem est positus excessivam, ob gratam affectionem, quam erga nos et regnum nostrum prædictum optinet, et ut idem dominus dictis adversariis nostris et suis, pro dampnis sibi per eosdem illatis, favente DOMINO, super ipsos recuperandis, gravius dampnificare et nocere possit, agere graciosè;

Concessimus, et licentiam dedimus eidem domino, tenore præsentium, specialem, quod ipse ac gentes de retinentiâ et familiâ suâ, quoscumque adversarios nostros prædictos ac eis adhærentes, necnon eorum bona, quæ idem dominus seu gentes suæ prædictæ supra mare vel alibi capere vel conquestari poterunt, ad quoscumque portus et loca dicti regni nostri eis placuerit, ducere, ac personas hujusmodi adversariorum nostrorum et eis adhærentium, ac bona illa in eisdem portubus et locis quamdiu voluerint, detinere, et commodum suum indè facere, seu cum personis et bonis hujusmodi abindè, cum voluerint, ad propria redire, et hinc indè revenire valeant liberè et absque impedimento, seu contradictione aliquali.

Et insuper præfatum dominum ac gentes suas prædictas, necnon eorum naves, bona, res, et hernesia quæcumque, in præmissis omnibus et singulis faciendis et exequendis, suscepimus in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensionem nostras speciales.

Et ideò vobis mandamus quod ipsum dominum, ac gentes suas prædictas, in executione præmissorum debitè et honestè pertractetis, et ipsos, ac naves, bona, res, et hernesia sua prædicta, ex causâ prædictâ, manuteneatis, protegatis et defendatis, ipsosque infra districtus, portus et loca vestra, amicabiliter receptetis: non inferentes eis, seu eorum alicui, vel, quantum in vobis est, ab aliis inferri permittentes, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen.

Et si quid eis, seu eorum alicui, contra tenorem præsentium forisfactum vel injuriatum fuerit, id eis et eorum cuilibet sine dilatione debitè corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', v. die Marcii.

Per ipsum Regem et concilium.

Pro archiepiscopo Armachano.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 9. in Turr. Lond.

REX, locum nostrum tenenti sive custodi terræ nostræ Hiberniæ, vel eorum loca tenentibus, sive cancellario terræ nostræ prædictæ, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, vacante nuper ecclesiâ cathedrali Armachanensi, per mortem, bonæ memoriæ, Milonis ultimi archiepiscopi loci prædicti, eidem ecclesiæ de venerabili viro Johanne electo Armachanensi, tunc decano ecclesiæ Dubliniæ, decretorum doctore, in presbiteratûs ordine constituto, providerit, et ipsum in archiepiscopum loci prædicti præfecerit et pastorem, sicut per literas bullatas ipsius domini Summi Pontificis, nobis indè directas, nobis constat;

Nos, pro eo quod idem archiepiscopus omnibus et singulis verbis, nobis et coronæ nostræ præjudicialibus, in dictis literis bullatis contentis, spontè, palam, et expressè renunciavit, et gratiæ nostræ humiliter se submisit, in hâc parte præfectionem illam acceptantes, cepimus fidelitatem ipsius archiepiscopi, et temporalia archiepiscopatûs illius, cum pertinentiis, prout moris est, restituimus eidem;

Et ideò vobis mandamus quod eidem archiepiscopo temporalia prædicta, cum pertinentiis, unâ cum exitibus indè a datâ præsentium, liberari demandetis, habenda in formâ prædictâ; salvo jure cujuslibet.

Teste Rege, apud Westm', ix. die Martii.

REX, dilecto et fideli suo Thomæ de Clifford escaetori suo in terrâ Regis Hiberniæ, salutem.

Cum dominus Summus Pontifex, *&c. ut supra usque ibi*, prout moris est; *et tunc sic* restituimus;

Et ideò tibi præcipimus quod eidem archiepiscopo temporalia prædicta cum pertinentiis, unâ cum exitibus indè à datâ præsentium, liberes;

Habenda in formâ prædictâ; salvo jure cujuslibet.

Teste ut supra.

Et mandatum est militibus, liberis hominibus, et omnibus aliis tenentibus de archiepiscopatu Armachan', quod eidem electo tanquam archiepiscopo et domino suo in omnibus quæ ad archiepiscopatum prædictum pertinent, intendentes sint et respondentes. In cujus, &c.

Teste ut supra.

De liberatione magni sigilli.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Claus. 6 Ric. II. p. 2. m. 12. d. in Turr. Lond.

MEMORANDUM quod, die Martis proximò post diem Dominicam in Passione, videlicet, decimo die Martii, anno præsenti, venerabilis pater Robertus episcopus Londoniæ, nuper cancellarius domini nostri Regis, desiderans cum magnâ instantiâ de officio cancellarii exonerari, magnum sigillum dicti domini nostri Regis, in quâdam bagâ, sigillo ipsius episcopi signatâ, inclusum, prædicto domino nostro Regi, apud Westmonasterium, in quâdam camerâ vocatâ la Redechambre, infra privatum palatium suum, in præsentiâ venerabilis patris Willielmi archiepiscopi Cantuariensis, totius Angliæ primatis, et aliorum prælatorum et magnatum, sibi tunc ibidem assistentium, liberavit:

Idemque dominus Rex illud manibus suis propriis receperat ab eodem, ac prædictus Rex sigillum prædictum, in bagâ prædictâ, sigillo prædicti episcopi signatâ, inclusum, in præsentiâ prælatorum et magnatum prædictorum, tradidit Johanni de Waltham custodi rotulorum cancellariæ ipsius domini Regis, quousque de alio cancellario fuerit provisus custodiendum:

Ac postmodum, die Veneris tunc proximò sequente, idem Johannes, prætextu quarumdam literarum dicti domini Regis, de signeto sibi directarum, in filaciis cancellariæ ejusdem Regis, inter brevia Regis, residentium, quarum etiam tenor præsens memorandum subsequitur in scripturâ, bagam prædictam, in præsentiâ Hugonis de Segrave thesaurarii Angliæ, Johannis de Montague senescalli hospitii, et magistri Walteri Skirlawe custodis privati sigilli ipsius domini Regis, apud Westmonasterium, in camerâ prædictâ, circa horam primam, aperiri, et dictum magnum sigillum extrahi, et brevia pro expensis militum et burgensium regni Angliæ venientium ad parliamentum tantum sigillari; et, brevibus prædictis sigillatis, sigillum prædictum in bagam prædictam imponi, et eam sub sigillis eorumdem, thesaurarii, senescalli, et custodis privati sigilli sigillari, et prædictum magnum sigillum, in bagâ prædictâ sic inclusum, ad domum suam secum deferri fecit:

Et eodem die circa horam vesperarum, Johannes de Waltham prædictum magnum sigillum, in bagâ prædictâ, sub sigillis eorumdem, thesaurarii, senescalli, et custodis privati sigilli, sic inclusum, usque Westmonasterium, ad præsentiam dicti domini Regis, secum deferens, illud eidem domino Regi, in prædictâ camerâ, liberavit:

Qui quidem dominus Rex, prædictum magnum sigillum, manibus suis propriis, à præfato Johanne de Waltham recipiens, illud Michaeli de la Pole chivaler, cujus sacramentum de officio cancellarii benè et fideliter faciendo idem dominus Rex ibidem recepit, liberavit;

Et die crastinâ idem Michael cancellarius in magnâ aulâ Westmonasteriensi, in loco cancellariæ, circa horam primam, bagam prædictam aperiri, et sigillum prædictum extrahi, et diversa cartas, literas patentes, et brevia, prout moris est, in præsentiâ clericorum cancellariæ prædictæ, sigillari, et sigillum illud, in bagâ prædictâ, sigillo suo signatâ, inclusum, secum ad domum suam deferri fecit.

Littera de signeto domini Regis, directa Johanni de Waltham custodi rotulorum cancellariæ Regis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Claus. 6 Ric. II. p. 2. m. 12. d. in Turr. Lond.

Depar le Roy.

CHIER et bien ame. Nous vous mandoms que, tost apres la vewe de cestes, en presence de noz treschers et foialx, noz tresorier, seneschal de nostre privie houstiel, et gardein de nostre prive seal, facez overer nostre grand seal, pur ensealler les briefs, pur deliverer les chivalers des countees, citees, et burghs, et les autres, qui sont venuz pur le fait du parlement; et que, tantost apres ce, vous facez nostre dit grand seal estre closez, et enseałez souz les sealx de noz tresorier, senescall, et gardein de nostre prive seal avantditz.

Donn' souz nostre signet, a nostre manoir de Eltham, le xii. jour de Marcz.

De ligis et confœderationibus cum Rege Romanorum et Bohemiæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, notum facimus, tenore præsentium, universis quod, ob sinceri amoris dulcedinem, et intimæ dilectionis constantiam, quæ inter serenissimum principem dominum Wenceslaum Regem Romanorum semper Augustum et Regem Boemiæ, fratrem nostrum carissimum, et nos Regem Angliæ et Franciæ prædictum, longis retroactis temporibus, ac etiam ex novâ pridem affinitate contractâ, dulciter et sincerè mutuæ caritatis vicissitudine, vigere ac etiam viguisse noscuntur, ad honorem Dei, necnon regnorum, principatuum, et dominiorum nostrorum utrorumque, ac etiam subditorum nobis fidelium consolationem, pacem, tranquillitatem, commodum, et profectum, non per errorem aut improvidè, sed sano principum et fidelium nostrorum accedente consilio, pro nobis, hæredibus, et successoribus nostris, necnon regnis, terris, et dominiis nostris quibuscumque, cum eodem fratre nostro carissimo, Romanorum et Boemiæ Rege, hæredibus et successoribus suis, necnon regnis, dominiis, et principatibus eorumdem, quasdam ligas, confœderationes, sive pacta duximus inienda;

Promittentes præsentibus, de certâ nostrâ scientiâ, firmiter et spondentes, in verbo et legalitate regiis, ac etiam in virtute super eo præstiti sacramenti, quod exnunc et in antea, temporibus perpetuis affuturis, veri, legales, ac perfecti fratres erimus et amici;

Quodque nostri fratris ejusdem honorem, statum, profectum, et commodum procurabimus omnibus viis, modis, adjutoriis, et ingeniis possibilibus, et quibus melius sciverimus aut poterimus, sicut nobis optaremus in casu simili procurari, dolo et fraude cessantibus quibuscumque;

Universa quoque dampna, quæ dicto fratri nostro, hæredibus et successoribus suis, in personis, honore, vel rebus irrogari possent seu quomodolibet evenire, cum ad nostram vel hæredum nostrorum pervenerint notitiam, toto posse et conamine nostris impediemus et avertemus fideliter;

Ipsum quoque fratrem nostrum, hæredes et successores suos, ad resistendum eorum inimicis, adversariis, vel hostibus universis, Regibus, principibus, ducibus, et aliis quibuscumque, sive ecclesiasticis seu secularibus, cujuscumque statûs, conditionis existant, vel dignitatis, eorumque hærentibus, valitoribus, et fautoribus, qui aliqua dampna, jacturas, vel inimicitias contra ipsum fratrem nostrum, hæredes et successores suos, in eorum vel aliquorum suorum statûs, honoris, vel conditionis præjudicium, molirentur aliqualiter seu quomodolibet attemptarent, totâ nostrâ potentiâ juvabimus fideliter auxilio, consilio, et favore, cæterisque modis quibus melius et efficacius sciemus et poterimus, dolo et fraude quibuslibet procul motis;

Præterea promittimus, sub juramento præmisso, quod universis et singulis Regibus, principibus, ducibus, ac aliis omnibus et singulis, tam ecclesiasticis quam secularibus, cujuscumque conditionis, statûs, vel dignitatis fuerint, ut præfertur, qui præfati fratris nostri, hæredum vel successorum suorum, dispendium, jacturam, seu verecundiam procurarent quomodolibet, pro eisdem nos effectualiter opponemus, et realem resistentiam faciemus, adeò quod inimicus seu inimici dicti fratris nostri, hæredum aut successorum suorum, noster seu nostri inimici censebuntur, et qui dicto fratri nostro, ipsius vel hæredibus aut successoribus, seu eorum alicui inimicatur vel inimicabitur, in regnis, terris, seu dominiis nostris receptari vel aliquem habere favorem non debebit vel poterit, immò potius arrestabitur, capietur, et punietur ut noster publicus inimicus, dolo et fraude cessantibus quibuscumque;

Insuper promittimus pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, quod procurabimus quantum in nobis est et possibile fuerit faciemus ut omnes amici, colligati, et confœderati nostri sint prædicti fratris nostri carissimi, hæredum et successorum suorum, veri et perfecti amici, confœderati, ac etiam colligati, dolo et fraudibus procul motis;

Et præmissa nos, hæredes et successores nostri, tanquam prædictorum Romanorum et Boemiæ Regis, hæredum et successorum suorum, veri fratres et colligati, juxta possibilitatem nostram, procurabimus et faciemus, si et in quantum regnorum et dominiorum nostrorum occurrentia permiserint negotia; dissimulatione, dolo, et fraude cessantibus quibuscumque.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, anno Domini millesimo trescentesimo octogesimo secundo, mensis Martii die decimâ, regni nostri anno sexto.

Super cruciatâ episcopi Norwycensis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 7. d. in Turr. Lond.

REX, dilecto sibi Thomæ Savylle, servienti suo ad arma, Benedicto magistro domûs hospitalis de Hautpaiis, et Willielmo de Kele, salutem.

Sciatis quod, cum quamplures, advocantes se procuratores et attornatos venerabilis in Christo patris, Henrici episcopi Norwici, super potestate, sibi commissâ, hiis, qui super cruciatâ, sibi à sede apostolicâ concessâ, de bonis suis contribuere voluerint, diversas literas procuratorias, sub nomine et sigillo ipsius episcopi, in hâc parte falso controfactas, consignari, et, earum virtute, diversas pecuniarum summas, nomine ipsius episcopi, à diversis regni nostri Christicolis colligi fecerint, et in usus suos proprios converti, in animarum suarum grave periculum et retardationis negotii ipsius episcopi cruciatæ suæ prædictæ manifestum;

Et nos, nolentes ipsum episcopum taliter defraudari in hâc parte, assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad inquirendum, et aliis viis et modis quibus meliùs et celeriùs expedire videritis, vos debitè informandum de quibuscumque summis denariorum et aliis bonis, per hujusmodi advocantes se procuratores ipsius episcopi, cum non sint, in auxilium cruciatæ prædictæ, datis, collectis, et receptis, et per quos vel quem, ubi, quando, qualiter, et quomodo, et ad receptores eorumdem capiendum, et prisonæ nostræ, quousque satisfactionem eorumdem eidem episcopo aut suis veris et legitimis procuratoribus fecerint in hâc parte, committendum, et in eisdem prisonis custodiri faciendum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis in formâ prædictâ:

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et fidelibus nostris, infra libertates et extra, tenore præsentium, in mandatis quod vobis et cuilibet vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, pareant et intendant, prout decet.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xv. die Martii.

Per concilium.

Pro Thoma de Monte Acuto, contra cardinalem de Ursinis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.
Pat. 6 Ric. II. p. 2. m. 6. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Quia accepimus quod quidam cardinalis de Malapell, aliàs de Ursinis, alienigena, à sanctissimo patre nostro Urbano Papa sexto decanatum ecclesiæ cathedralis Sarum, dignitatem electivam, et majorem post episcopalem, contra concordiam, inter sacræ memoriæ, dominum Gregorium Papam undecimum, et, claræ memoriæ, dominum Edwardum avum nostrum, factam, et per dominum Urbanum Papam sextum confirmatam; licet quidam Thomas de Monte Acuto, consanguineus noster, et licentiatus in legibus, dictum decanatum sive dignitatem, per electionem capituli, et per confirmationem diœcesiani, legitimè sit assecutus; impetravit;

Quæ quidem impetratio, vigore statuti indè editi, absque speciali et expressâ licentiâ nostrâ, per avisamentum concilii nostri, non potest nec debet sortiri effectum;

Volumus quod aliquæ literæ nostræ de licentiâ, pro præfato cardinali de Malepell, aliàs de Ursinis, ad possessionem ejusdem decanatûs seu dignitatis per ipsum vel procuratores suos capiendam, non fiant, nec concedantur;

Nolumus enim quod incumbens in dicto decanatu seu dignitate, ut prædictum est, à possessione suâ ejusdem decanatûs seu dignitatis, per impetrationem hujusmodi, sit expulsus.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud manerium de Eltham, xvi. die Martii.

Per literam de signetto.

Pro archiepiscopo Axitanensi, contra adhærentes Roberto antipapæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 9. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, locum suum tenenti sive senescallo suo Aquitaniæ, universisque et singulis magnatibus, ac aliis subditis ligeis, fidelibus, officiariis, et ministris suis dominii sui Aquitaniæ, Landarum, Bigorræ, et Agenni, pro tempore existentibus, et eorum cuilibet, salutem.

Majestati nostræ regiæ, venerabilis pater, frater Petrus de Anglada, sacræ paginæ professor, archiepiscopus Axitanensis, in dominio nostro Aquitaniæ, cui, per dominum Urbanum Papam sextum, universalis ecclesiæ Summum Pontificem, de archiepiscopatu prædicto ritè et canonicè est provisum, per quandam suam supplicationem, nobis exhibitam, conquerendo significavit humiliter et devotè, quod civitas, et diœcesis sua, ac major pars provinciæ suæ Axitanensis, dicto domino Summo Pontifici et sedi apostolicæ inobedientes et rebelles, antipapæ Roberto dampnabiliter et scismaticè obediunt et adhærent, quodque quidam adversarius suus archiepiscopatum illum, et provisione sinistrâ ipsius antipapæ, impetravit, et se in eundem archiepiscopatum, per favorem scismaticorum ibidem, subdolè intrusit, et dictum archiepiscopatum occupare nititur perperàm et iniquè, tam in prædictæ Romanæ ecclesiæ et dicti domini Summi Pontificis quam in nostri præjudicium maximum et contemptum, undè eidem majestati nostræ præfatus archiepiscopus instantiùs supplicaverit, ut, contra hujusmodi rebellium et scismaticorum propositum et malitiam salubriter restringendum, et remedio in hâc parte providendo dignaremur extendere brachium regiæ potestatis.

Nos, ut idem archiepiscopus civitatem, diœcesim, et provinciam suas prædictas faciliùs valeat optinere, et ipsarum possessionem pacificam adipisci, quo majori fuerit auctoritate regiâ communitus, et, ut subditi civitatis, diœcesis, et provinciæ prædictarum ad veram obedientiam dicti domini Summi Pontificis eo meliùs et citiùs inclinentur, quo se prospexerint utroque gladio puniendos, si in eorum obduraverint pertinaciter scismate et errore, volentes meritoriè providere, vobis et cuilibet vestrûm, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, firmiter injungimus et mandamus quod contra prædictum antipapam, et scismaticos ei faventes, præfatum archiepiscopum juvetis consilio, auxilio, et favore, verbo, et opere, et, si necesse fuerit, manu armatâ in possessione adipiscendâ civitatis, diœcesis, castrorum, locorum, jurisdictionis, et provinciæ suorum, et ad repellendum et capiendum adversarium suum intrusum, et quoscumque ei faventes, et ad eos compellendum dicto domino Urbano Papæ sexto, tanquam vero Papæ, obedire, et ad contradicendum dicto antipapæ, per captionem et detentionem personarum, et per occupationem et confiscationem locorum, castrorum, terrarum, et bonorum suorum quorumcumque, et per executionem de eis faciendam, juxta processus et sententias apostolicas, et mandata nostra regia super hiis aliàs publicata.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, xvi. die Martii.

Per breve de privato sigillo.

De marinariis capiendis et arestandis, pro passagio episcopi Norwicensis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 11. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Willielmo Houlot clerico, et Thomæ Savylle, servienti suo ad arma, salutem.

Sciatis quod, assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad omnia naves et vasa portagii sexdecim doliorum et ultra, usque ad portagium centum doliorum et eodem portagio, et ad tot marinarios, de melioribus et fortioribus marinariis, quot pro eskippamento navium et vasorum prædictorum sufficere poterunt, in portu villæ Bristoll', et in singulis portubus et locis, tam infra libertates quam extra, abindè usque Plymmuth et ibidem, naves, vasa et marinarios inveniri poterunt pro passagio venerabilis patris episcopi Norwicensis, ac dominorum et aliorum fidelium nostrorum in comitivâ suâ, in obsequium nostrum, ad partes transmarinas profecturorum, sine dilatione arestandum et capiendum: et naves, vasa et marinarios hujusmodi, usque portum villæ de Sandewico, ad vadia nostra, eisdem marinariis per vos promptè solvenda, cum omni festinatione duci et venire faciendum, ita quod sint ibidem citra octavum diem Aprilis proximò futurum ad ultimum, prompta et parata ad deserviendum nobis pro passagio præfati episcopi et aliorum fidelium nostrorum prædictorum, ad vadia nostra, prout eis ex parte nostrâ injungetur ibidem.

Et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios inveneritis seu rebelles, arestandum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos, quousque pro eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et alteri vestrûm mandamus, quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, ac aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm, in executione præmissorum, intendentes sint, consulentes, obedientes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos, seu alterum vestrûm, super hoc fuerint præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xvi. die Martii.

Per concilium.

Consimiles litteræ diriguntur subscriptis de hujusmodi navibus, in portubus et locis subscriptis, arestandis et capiendis, sub eâdem datâ, &c.

Thomæ Durant clerico, Roberto Beherton servienti Regis ad arma, et Thomæ Wrenche, in singulis portubus et locis, tam infra libertates quam extra, usque portum de Lenn et ibidem.

Johanni Thorp clerico, et Thomæ Hore servienti Regis ad arma, in singulis portubus et locis, tam infra libertates quam extra, à portu villæ de Plymmuth usque portum villæ Suth' et ibidem.

Adæ Yerdeley clerico, et Ricardo Hembrigg servienti Regis ad arma, in singulis portubus et locis, tam infra libertates quam extra, à portu villæ Suth' usque portum civitatis Regis London' et ibidem.

Willielmo Howelot clerico, et Thomæ Seyvill servienti nostro ad arma, in singulis portubus et locis, tam infra libertates quam extra, à portu villæ de Lenn usque portum villæ Kyngeston' super Hull et ibidem.

Super viagio cruciatæ ante memoratæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus 6 Ric. II. p. 2. m. 12. in Turr. Lond.

REX, vicecomitibus Londoniæ, salutem. Quia licentiam dedimus universis et singulis ligeis nostris, qui cum venerabili in CHRISTO patre, Henrico episcopo Norwicensi, in viagium cruciatæ, in defensionem sacrosanctæ ecclesiæ et regni nostri Angliæ, versus partes transmarinas transire voluerint, quod ipsi, cum præfato episcopo, in viagium prædictum, licitè versus partes prædictas transire valeant, carissimis avunculis nostris duntaxat exceptis, vobis præcipimus quod præmissa, infra civitatem prædictam et suburbia ejusdem, in locis ubi melius expedire videritis, ex parte nostrâ, publicè proclamari faciatis;

Et insuper quod omnes et singuli ligei nostri prædicti, qui cum præfato episcopo sunt profecturi, versus præfatum episcopum cum omni festinatione se trahant, prompti et parati ad proficiscendum in viagium prædictum:

Damus autem vobis, tenore præsentium, in mandatis quod procuratoribus et attornatis, per ipsum episcopum, ad aliquam collectam, pro negotio cruciatæ prædictæ, expediendam, faciendam, assignatis et deputatis, in omnibus, quæ negotium illud melius expedire poterint, auxilium, consilium, et favorem impendatis.

Teste Rege, apud Westm', xvii. die Martii.

Per concilium.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam.

De protectione, pro episcopo Aquensi.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, senescallo Landarum, vel ejus locum tenenti, &c. ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dominus Summus Pontifex nuper Johannem Guttery ad episcopatum Aquensem, cui assensum nostrum regium adhibuimus, per literas suas apostolicas providisset, ipseque, virtute illius provisionis et nostri assensûs, in pacificâ possessione episcopatûs prædicti, fructus, redditus, proventus, et alia emolumenta, eidem episcopatui pertinentia, percipiendo, a diu extitisset, jamque, ex quibusdam causis emergentibus, metuat sibi, circa statum suum et possessionem suam episcopatûs prædicti, dampnum et jacturam, per Johannem Baffe, et alios æmulos suos, verisimiliter de facili posse evenire;

Nos, securitati et quieti ipsius episcopi, contra malitiam ipsius Johannis, et æmulorum suorum prædictorum, providere volentes, suscepimus ipsum episcopum in protectionem et salvam gardiam nostras speciales;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm, firmiter injungendo, mandamus quod prædictum episcopum, ac homines, familiares, et servientes suos, in colligendo, levando, et percipiendo fructus, redditus, proventus, et alia emolumenta eidem episcopatui pertinentia, manuteneatis, protegatis, et defendatis, non inferentes eis, vel ab aliis inferri permittentes, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen;

Et, si quid eis forisfactum vel injuriatum fuerit, id eis, sine dilatione, modo debito, manu potenti, si necesse fuerit, justitiâ suadente, corrigi et reformari faciatis.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xviii. die Martii.

Super viagio episcopi Norwicensis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 2. m. 12. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi, Johanni Polymond de Suthamptonia, Johanni Thorp clerico, et Thomæ Hore servienti nostro ad arma, salutem.

Mandamus vobis, et cuilibet vestrûm, quod, captâ a magistris sex vasorum, cum equis, victualibus, auro, et argento, usque castrum et villam de Chirburgh, pro garnisturâ eorumdem, ducendis, carcatorum, per vos præfati, Johannes Thorp et Thoma, pro passagio venerabilis patris Henrici episcopi Norwicensis, nuper arestatorum, sufficienti securitate quod ipsa vasa prædicta parata habebunt, apud portum de Sandewico, citra octavum diem Aprilis proximò futurum, vel postmodum ad citius quo commodè poterunt, ad deserviendum eidem episcopo pro passagio suo prædicto, vasa prædicta, cum equis, victualibus, auro, et argento prædictis, unà cum marinariis eorumdem dearestetis, et ea versus castrum et villam prædicta liberè et absque impedimento aliquo transire permittatis; aliquo mandato nostro vobis prius in contrarium directo non obstante.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Martii.

Pro episcopo Norwicensi, de herbergagiis et victualibus.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, tam infra libertates quam extra, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod assignavimus dilectos et fideles nostros, Thomam Gerberg chivaler, Ricardum Hembrig servientem nostrum ad arma, Johannem Morwell servientem nostrum ad arma, Johannem Maskall, Thomam Makell et Galfridum Everard, conjunctim et divisim, ad hospitia et herbergagia, honesta et competentia, in comitatu Kantiæ, ubi sibi meliùs videbitur expedire, pro venerabili patre Henrico episcopo Norwicensi, ac aliis magnatibus et fidelibus nostris, et pro certis hominibus ad arma et sagittariis, in comitivis suis, in obsequium nostrum, versus partes transmarinas profecturis, extra feodum ecclesiæ capienda et providenda;

Necnon ad victualia, pro eisdem episcopo, magnatibus, et fidelibus nostris, ac hominibus ad arma et sagittariis prædictis, pro denariis suis indè rationabiliter solvendis, infra comitatum prædictum, feodo ecclesiæ ac bonis ecclesiasticis dumtaxat exceptis, emenda et providenda:

Et ideò vobis mandamus quod eisdem, Thomæ, Ricardo, Johanni, Johanni, Thomæ, et Galfrido, et eorum cuilibet, in executione præmissorum, intendentes sitis, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per ipsos, seu eorum aliquem, fueritis requisiti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Martii.

Per concilium.

De tractando, cum Johanne filio Henrici, pro Rege Castellæ et Legionis se gerente.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, tenore præsentium notum facimus universis, quod nos, ob Omnipotentis DEI reverentiam et honorem, et pro bono pacis quam idem DEUS undique multiplicare dignetur, volentes hiis, quæ pacis sunt, ut pacis filius, consentire, de assensu et concilio prælatorum, nobilium, procerum, et aliorum peritorum regni nostri Angliæ, facimus, constituimus, creamus, ac etiam ordinamus, venerabilem patrem Johannem Gutterii episcopum Aquensem, dilectos et fideles nostros, Florimundum de la Sparra et Robertum Rous milites, magistros, Raymundum Gullielmi decretorum, et fratrem Robertum Waldeby sacræ theologiæ, doctores, de quorum discretione, legalitate, circumspectione, et industriâ plene confidimus, indubiè tenentes quod ea, quæ eis committimus, curabunt laudabiliter et fideliter adimplere, ipsos, quatuor, tres, et duos eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, nostros veros, certos, legitimos, sufficientes, et indubitatos procuratores, actores, negotiorum gestores, et nuncios speciales;

Dantes eis, quatuor, tribus, et duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, plenam, tenore præsentium, potestatem et mandatum speciale et generale ad conveniendum, tractandum, componendum, transigendum, pacificandum, et plenarie concordandum super omnimodis debatis, contentionibus, quæstionibus, guerris, rixis, et discordiis, ante hæc tempora motis et habitis inter nos, avunculos nostros, et alias personas de sanguine nostro, conjunctim vel divisim, ac subditos, amicos, alligatos, auxiliantes, et adhærentes nostros quoscumque, tam citra quam ultra mare, ex unâ, et Johannem filium Henrici, pro Rege Castellæ et Legionis se gerentem, ac alias personas de ejus sanguine, subditos, amicos, alligatos, auxiliantes, et adhærentes suos quoscumque, generales seu speciales, ac procuratores et nuncios suos, pro quibuscumque regnis, terris, et dominiis sibi subjectis, ex alterâ parte;

Et ad capiendum, concordandum, et consentiendum, nomine nostro, omnimodas treugas et guerrarum abstinentias inter nos, avunculos, personas de sanguine nostro, conjunctim vel divisim, ac subditos, amicos, alligatos, auxiliantes, et adhærentes nostros prædictos, tam per terram quam per mare, et præfatum Johannem, se pro Rege Castellæ et Legionis, ut præmittitur, gerentem, et alias personas de sanguine suo, subditos, amicos, alligatos, auxiliantes, et adhærentes suos quoscumque, per modum, formam, et conditionem, et per tanti temporis spatium, quantum indiguerit, et eis videbitur expedire;

Necnon ad tractandum, ordinandum, disponendum, conveniendum, concedendum, ineundum, faciendum, contrahendum, comprobandum, firmandum, et roborandum, perpetuò vel ad tempus, nostro nomine, pro nobis, hæredibus et successoribus, regnis, dominiis, terris, ligeis, subditis, et vassallis nostris quibuscumque, cum præfato Johanne, pro Rege, ut præmittitur, se gerente, pro se, hæredibus et successoribus, regnis, dominiis, et terris per ipsum occupatis, eisdem regnis Castellæ et Legionis subjectis, ac eorum subditis et vassallis quibuscumque, necnon cum suis procuratore seu procuratoribus, nunciisque specialibus, ab eo habentibus ad infrascripta meram, plenam, et liberam potestatem, mandatumque sufficiens et speciale, quæcumque pacis seu amicitiæ fœdera, pacta, tractatus, confœderationes, ligas, et conventiones, necnon amicabiles compositiones quascumque, oportunas, licitas, et honestas, ac alia ligamina quæcumque, realia vel personalia, temporalia vel perpetua, per quæ inter nos et dictum adversarium possit et debeat verisimiliter bona pax et concordia procurari;

Ac omnia alia et singula quæ in præmissis et circa præmissa necessaria fuerint seu etiam oportuna, prout ipsis procuratoribus nostris, quatuor, tribus, vel duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, visum fuerit expedire:

Damus insuper et concedimus præfatis procuratoribus nostris, quatuor, tribus, et duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, plenam, meram, et liberam, tenore præsentium, potestatem, et speciale mandatum, præmissa omnia et singula, cum eorum dependentibus, emergentibus, incidentibus, et connexis, quibuscumque; stipulationibus, penalibus et solempnibus, pœnarumque adjectionibus, juramentorum etiam in animam nostram fiendorum præstationibus, necnon ecclesiæ Romanæ fiendis submissionibus, ac aliis obligationibus, et

vinculis quibuscumque faciendis, firmandi, roborandi, et vallandi, consimilesque stipulationes, pœnarum adjectiones, juramentorum præstationes, submissiones, et obligationes, à parte adversâ petendi, requirendi, recipiendi, et approbandi, prout eisdem procuratoribus nostris, quatuor, tribus, vel duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, videbitur expedire;

Quæ omnia et singula supradicta, per præfatos procuratores nostros, quatuor, tres, et duos eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, tractata vel tractanda, firmata vel firmanda, roborata vel roboranda, vallata vel vallanda, seu aliàs facienda, juranda, et obliganda in præmissis, et circa præmissa, ac præmissorum quodlibet, ut præfertur, nos, de certâ scientiâ, exnunc prout tunc, laudamus, concedimus, firmamus, roboramus, comprobamus, atque ratificamus, ac etiam promittimus pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, sub bonâ fide, præmissa omnia et singula perpetuò tenere, non contrafacere vel venire per nos, vel alium, seu alios, set ea firmiter et inviolabiliter observare, ac si ea per nos præsentialiter et personaliter facta, tractata, ordinata, et roborata fuissent, ac etiam vinculo juramenti seu quavis aliâ firmitate fulcita, etiam si expressatis superius nominatis fortiora seu graviora existant, vel etiam talia quæ de jure sive consuetudine mandatum exigant speciale;

Quicquid autem per dictos procuratores nostros aut speciales nuncios, quatuor, tres, et duos eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, gestum, actum, procuratum, initum, compositum, ordinatum fuerit, seu quomodolibet attemptatum, promittimus, ratum, gratum, et firmum nos perpetuò habituros, ac etiam inviolabiliter observare, sub ypothecâ et obligatione omnium bonorum nostrorum:

Damus insuper, ex habundanti, eisdem procuratoribus nostris, quatuor, tribus, et duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, plenam ac liberam potestatem, ac mandatum speciale, renunciandi, pro nobis, et nomine nostro, privilegio minoris ætatis, et omnibus et singulis tam juris quam facti remediis, auxiliis, exceptionibus, et cavelationibus quibuscumque, per quæ contra tractata, concordata, vallata, et approbata per ipsos procuratores et nuncios nostros, quatuor, tres, et duos eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, possemus nos, seu possent hæredes et successores nostri, quomodolibet se tueri, et specialiter juri dicenti renunciationem generalem non valere:

Relevamus etiam eosdem procuratores nostros, in præmissis et præmissorum singulis, et in hiis, quæ, sub dictâ formâ mandati, possint concludi verisimiliter, vel aliàs quomodolibet contineri, ab omni onere satisdandi.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, primo die mensis Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo tertio, anno verò regni nostri sexto.

Per ipsum Regem.

Eodem modo constituuntur prædicti episcopus, Robertus Rous, magister Reymundus, et frater Robertus Waldeby, tres et duo eorum, quorum præfatus Robertus Rous sit unus, ad tractandum in formâ prædictâ.

Dat' ut supra.

Per ipsum Regem.

De tractando, cum Petro Rege Arragonum.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate et industriâ venerabilis patris Johannis Gutterii episcopi Aquensis, ac dilectorum et fidelium nostrorum Roberti Rous militis, magistrorum, Raymundi Guillielmi decretorum, et fratris Roberti Waldeby sacræ theologiæ, doctorum, ac Geraldi de Meuta, sacristæ ecclesiæ Aquensis, pleniùs confidentes, de avisamento et assensu concilii nostri, ipsos, et eorum quemlibet, conjunctim et divisim, nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales, ordinamus, creamus, facimus, et constituimus per præsentes;

Ad tractandum et concordandum cum magnifico et potente principe domino Petro Rege Arragonum illustri, consanguineo nostro carissimo, seu ejus in hâc parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso Rege habentibus, de et super quibuscumque amicitiis, alligantiis, confœderationibus, et mutuis auxiliis inter nos et hæredes nostros, pro nobis, regnis, terris, et dominiis, ac subditis et vassallis nostris quibuscumque, ex unâ, et ipsum Regem, et hæredes suos, pro se, regnis, terris, et dominiis suis, ac eorum subditis et vassallis quibuscumque, ineundis et contrahendis, temporaliter vel perpetuò duraturis, ex parte alterâ;

Necnon ad concludendum, finiendum, et terminandum quosdam articulos, nuper inter nostros et ipsius Regis nuncios, tractatos, et per eosdem nuncios, salvis nostris et ipsius Regis deliberationibus, approbationibus, et voluntatibus, quodammodo concordatos cum certis tamen modificationibus, quas præfatis nunciis nostris fecimus jam exponi;

Ac ad omnia, sic tractata, conclusa, seu concordata, per quascumque obligationes, stipulationes, ac juramentorum etiam in animam nostram præstationes, nos specialiter et effectualiter obligandum;

Consimilesque obligationes, stipulationes, juramentorum præstationes ab ipso Rege petendum et recipiendum;

Necnon ad omnia alia et singula facienda, tractanda, terminanda, et concludenda, quæ circa præmissa vel eorum aliqua, cum suis incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis, necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant speciale, et majora fuerint superius expressatis;

Promittentes pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, nos ratum, firmum, et gratum perpetuò habituros quicquid per dictos nuncios procuratores nostros, tres aut duos eorumdem, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, actum, gestum, conclusum, seu concordatum fuerit in præmissis, et quolibet præmissorum;

Et hoc, sub ypotecâ et obligatione omnium bonorum nostrorum, promittimus per præsentes.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, apud Westm', primo die Aprilis, anno Domini millesimo trescentesimo octogesimo tertio, anno verò regni nostri sexto.

Per ipsum Regem.

De tractando, cum Karolo Rege Navarræ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 10. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectâ fidelitate et industriâ venerabilis patris Johannis Gutterii episcopi Aquensis, ac dilectorum et fidelium nostrorum, Roberti Rous militis, magistrorum, Raymundi Gullielmi decretorum, et fratris Roberti Waldeby sacræ theologiæ, doctorum, pleniùs confidentes, de consensu et avisamento concilii nostri, ipsos, tres, et duos eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, nostros veros et legitimos procuratores, negotiorum gestores, ac nuncios speciales ordinamus, creamus, facimus, et constituimus per præsentes;

Ad tractandum et concordandum cum magnifico et potente principe domino Karolo Rege Navarræ illustri, consanguineo nostro carissimo, seu ejus in hâc parte procuratoribus, nunciis, seu deputatis, plenariam potestatem ab ipso Rege habentibus, de et super quibuscumque amicitiis, alligantiis, confœderationibus, et mutuis auxiliis, inter nos et hæredes nostros, pro nobis, regnis, terris, et dominiis, ac subditis, et vassallis nostris quibuscumque, ex unâ, et ipsum Regem, et hæredes suos, pro se, regnis, terris, et dominiis suis, ac eorum subditis, et vassallis quibuscumque, ineundis et contrahendis, temporaliter vel perpetuò duraturis, ex parte alterâ;

Necnon super omnibus reprisaliis, arestis, debatis, dissensionibus, quæstionibus, rixis, et discordiis, inter nos et subditos nostros ac ipsum Regem et subditos suos, motis et habitis, ac etiam de plenâ reformatione et restitutione eorumdem;

Necnon de modo et formâ custodiæ vel liberationis castri et villæ de Chirburgh, nobis per ipsum Regem Navarræ nuper, sub certis conditionibus, liberatorum, ac de securitate eorumdem, prout dictis procuratoribus nostris meliùs videbitur expedire;

Dantes etiam et concedentes eisdem, episcopo, Roberto Rous, Raymundo, et fratri Roberto, tribus et duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, potestatem et auctoritatem speciales, ac mandatum generale et speciale, pro nobis, hæredibus, regnis, terris, dominiis, subditis, et vassallis nostris quibuscumque, præmissa omnia et singula tractandi, concordandi, faciendi, et expediendi;

Ac omnia, sic tractata, concordata, et expedita, quibuscumque obligationibus et vinculis, honestis et licitis, firmandi et vallandi;

Et omnia alia excercendi, quæ circa ea necessaria fuerint vel oportuna, etiam si mandatum exigant speciale;

Ratum, gratum, et firmum habituri quicquid iidem, episcopus, Robertus Rous, Raymundus, et frater Robertus, tres vel duo eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, nomine nostro, fecerint in præmissis, seu aliquo præmissorum.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, in palatio nostro Westm', primo die mensis Aprilis, anno Domini millesimo trescentesimo octogesimo tertio, anno verò regni nostri sexto.

Per ipsum Regem.

De tractando, cum Johanne comite Armeniaci.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de circumspectione, fidelitate, et industriâ venerabilis patris Johannis Gutterii episcopi Aquensis, ac dilectorum et fidelium nostrorum, Roberti Rous militis cameræ nostræ, Johannis de Stratton domini de Landiras, constabularii nostri Burdegal', et magistri Roberti Waldeby sacræ theologiæ professoris, plenius confidentes, de consensu et avisamento concilii nostri, ipsos, episcopum, Robertum, Johannem, et Robertum, ac tres et duos eorumdem, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, nostros veros, legitimos, et indubitatos procuratores, negotiorum gestores, et nuncios speciales, facimus, creamus, et constituimus per præsentes;

Dantes eis, tribus et duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, plenam et liberam potestatem, mandatumque generale et speciale, Johannem comitem Armeniaci, ligeum nostrum, pro nobis et ex parte nostrâ, quibuscumque viis et modis rationabilibus et honestis, monendi, inducendi, et requirendi ut ad fidem et obedientiam nostras, sicuti de jure et ratione tenetur, veniat, et in eisdem fideliter et perpetuò perseveret, ex eo quod vassallus noster existit, ac comitatum Armeniaci, et alias terras quamplurimas, infra dominium nostrum Aquitaniæ, de nobis teneat, et pro tanto nos pro domino suo ligeo recognoscere, nobisque servire et subici teneatur;

Necnon quoscumque tractatus honestos, ac confœderationes, pacta, conventiones, promissiones, et fœdera, nuperrimè inter nos et concilium nostrum ex unâ, et quosdam amicos ac benivolos ipsius comitis ex parte alterâ, tacta, agitata, et prælocuta, firmandi, vallandi, et concludendi, seu aliâs cum eodem, vel procuratoribus, aut nunciis suis, ad hoc cum sufficienti potestate specialiter deputatis, super eisdem materiis de novo communicandi, tractandi, et concordandi;

Et ea, quæ sic tractata et concordata fuerint, concludendi et firmandi, et quibuscumque stipulationibus, juramentorum etiam in animam nostram præstationibus, ac aliis pœnis et obligationibus, licitis et honestis, vallandi, roborandi, et muniendi;

Consimilesque obligationes, stipulationes, submissiones, pœnarum adjectiones à præfato comite pro se, hæredibus et successoribus suis, nomine nostro, petendi et recipiendi;

Cæteraque omnia et singula faciendi, excercendi, et expediendi quæ circa præmissa et eorum quodlibet, etiam cum omnibus incidentibus, dependentibus, emergentibus, et connexis, necessaria fuerint vel oportuna, ac etiam si mandatum requirant quantumcumque speciale, et majora fuerint superiùs expressatis;

Promittentes pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, nos ratum, firmum, et gratum perpetuo habituros quicquid per dictos nuncios et procuratores nostros, tres aut duos eorumdem, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, actum, gestum, conclusum, seu concordatum fuerit in præmissis et quolibet præmissorum;

Et hoc, sub ypotecâ et obligatione omnium bonorum nostrorum, promittimus per præsentes.

Dat' sub magni sigilli nostri testimonio, apud Westm', primo die mensis Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo tertio, anno verò regni nostri sexto.

Per ipsum Regem.

De ordinando pro passagio nunciorum Regis, versus partes transmarinas.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 7. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis amicis, benivolis, admirallis, capitaneis, castellanis et eorum loca tenentibus, custodibus portuum maris, et aliorum locorum maritimorum, vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, ac aliis subditis, ligeis, et fidelibus suis, tam in cismarinis quam transmarinis partibus, constitutis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum nos venerabilem patrem Johannem Gutterii episcopum Aquen', ac dilectos et fideles nostros, Florimundum de Lesparra, Robertum Rous militem cameræ nostræ, Johannem Stratton dominum de Landiras, constabularium nostrum Burdegaliæ, magistros, Reymundum Gullielmi decretorum, et fratrem Robertum Waldeby sacræ theologiæ, doctores, pro expeditione diversorum negotiorum nostrorum, nos et regnum nostrum multipliciter concernentium, undè ipsos per diversas commissiones nostras oneravimus, ad partes transmarinas destinemus;

Nos, desiderantes proindè pro nunciorum nostrorum prædictorum fœlici et securo transitu et conductu, ut convenit, providere, et omnia, quæ eis in hâc parte necessaria fuerint, nostrî consideratione provideri, fieri, et parari, et pro ipsorum indempnitate et majori securitate, circumspicere, prout decet, vos, amicos et benivolos nostros requirimus et rogamus, quod prædictos nuncios nostros et eorum quemlibet, per loca, passus, dominia et districtus nostros veniendo, morando et transeundo, favorabiliter et benignè pertractetis, manuteneatis, protegatis, et defendatis, ac eis consilium, auxilium et favorem, nostri intuitu, et vicissitudinis optentu, impendere curetis;

Vobis admirallis, cæterisque fidelibus ligeis et subditis nostris prædictis, et cuilibet vestrûm, prout ad vos pertinuerit, firmiter injungendo, mandantes quod navigium, sive eskippamentum, victualia et omnia alia præfatis nunciis nostris, et pro eorum securitate, tam per terram quam per mare, necessaria et oportuna, suis sumptibus, parari et provideri faciatis: et eis, ac eorum cuilibet, in omnibus, quæ expeditionem negotiorum prædictorum concernere poterunt, intendentes sitis, consulentes et auxiliantes quotiens et prout per ipsos, seu eorum aliquem, vos, vel aliquis vestrûm, ex parte nostrâ fueritis præmuniti, seu fuerit præmunitus.

In cujus, &c.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, primo die Aprilis.

De potestate concedendi salvos conductus.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quod nos, de fidelitate, circumspectione, et industriâ venerabilis patris Johannis Gutterii episcopi Aquen', ac dilectorum et fidelium nostrorum, Florimundi de Lesparra, Roberti Rous militis cameræ nostræ, magistrorum, Reymundi Guillielmi decretorum, et fratris Roberti Waldeby sacræ theologiæ, doctorum, quos per alias litteras nostras patentes, ad tractandum et concordandum pro nobis, regnis, dominiis et subditis nostris cum Johanne filio Henrici, pro Rege Castellæ et Legionis se gerente, pro se, subditisque suis, ac regnis et dominiis sibi subjectis, seu ipsius procuratoribus et nunciis, super ligis, amicitiis, confœderationibus, et aliis in eisdem litteris nostris expressis, declaratis et contentis, nostros veros et legitimos procuratores et nuncios speciales fecimus, creavimus et constituimus, plenariè confidentes, et, ut negotium tractatûs et concordiæ prædictorum fœliciorem consequatur effectum;

Damus et committimus eisdem procuratoribus et nunciis nostris, necnon quatuor, tribus et duobus eorum, quorum præfatum Robertum Rous unum esse volumus, auctoritatem et potestatem specialem dandi, faciendi et concedendi, nomine nostro, tot, tales et tam sufficientes litteras salvi et securi conductûs ac salvæ gardiæ, et per tanti temporis spatium duraturas, sub sigillis suis, quatuor, trium, vel duorum eorum, quorum, &c. procuratoribus et nunciis præfati Johannis, se pro Rege Castellæ et Legionis, ut præmittitur, gerentis, et quibuslibet aliis personis ex parte suâ, seu alicujus alterius, ratione expeditionis tractatûs seu concordiæ hujusmodi, seu aliâ causâ quâcumque, penes præfatos procuratores et nuncios nostros venturis seu venire volentibus, per dominia et potestatem nostra, tam per terram quam per mare, absque merkâ, seu reprisaliâ, aut alio gravamine vel impedimento quocumque, prout eisdem procuratoribus et nunciis nostris, quatuor, &c. quorum, &c. videbitur melius expedire: promittentes fideliter pro nobis et hæredibus nostris, quod nos ratum, gratum et acceptum habebimus quicquid per præfatos procuratores et nuncios nostros, quatuor, &c. quorum, &c. actum fuerit in præmissis.

Dat' in palatio nostro Westm', sub magni sigilli nostri testimonio, primo die mensis Aprilis, anno Domini millesimo trescentesimo octogesimo tertio, anno verò regni nostri sexto.

De observandis confœderationibus Scotiæ, juramentum Regis Franciæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Bibl. Cotton. Titus. A. III.

CHARLES, par la grace de DIEU, Roy de France, a touz ceulx qui ces lettres verront, salut.

Comme nôtre treschier et tresame cousin le Roy d'Escoce nous ait fait prier et requerir, par nôtre bien ame l'evesque de Glasco, et autres ses messagiers, que certaines amities et aliances entre nôtre treschier seigneur et pere, que DIEU absoille, et nôtre dit cousin, por eulx, leurs sucesseurs, et royaulmes, faictes et acordees, vousissons et promettre et jurer selon le contenu d'icelles, et que par nôtre dit seigneur et pere et le dit Roy d'Escoce ont este jurees et promises:

Savoir faisons que nous, considerans de tout nôtre ceur les dictes aliances et amities tenir et garder, nous icelles aliances, apres ce que

les avons fait lire, de mot a mot, en le presence de noz conseilliers, et auxi du dit evesque de Glasco, et autres messagez de nôtre dit cousin, aujourdui, en nôtre chapelle de nôtre chastell du bois de Vincennes;

Par nôtre treschier et feal cousin, le seigneur de Coucy, nostre procureur a ce par nous establi, avons fait promettre et jurer en nôtre ame, et sur les sainctes Euvangilles, pour ce corporellement touchees, tant comme nous et nôtre royaulme touche et peult touchier, et selon la fourme et teneur des aliances dessus dictes.

En tesmoing des quelles choses nous avons fait mettre nostre seel ordonne, en l'absence du grant, a ces presentes lettres.

Donne en nôtre chastell du boys de Vincennes, le viii. jour d'Apuril, l'an de Grace Mil CCC. IV^xx. et III. et le tiers de nôtre regne.

Ainsi signe par le Roy, a la relation de monsieur le duc de Bourgoine.

De navibus et marinariis, pro passagio episcopi Norwicensis, capiendis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 12. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Johanni Philipot chivaler, et Johanni Haytfeld clerico, ac Waltero Leycestre, et Johanni Orewell, servientibus suis ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad omnia naves et vasa, portagii sexdecim doliorum et ultra, usque ad portagium centum doliorum, et de eodem portagio, et ad tot marinarios, de melioribus et fortioribus marinariis, quot pro eskippamento navium et vasorum prædictorum sufficere poterunt, in singulis portubus et locis ubicumque infra regnum nostrum Angliæ, infra libertates et extra, inveniri poterunt, pro passagio venerabilis patris episcopi Norwicensis, ac dominorum et aliorum fidelium nostrorum, in comitivâ suâ, in obsequium nostrum, ad partes transmarinas profecturorum, sine dilatione arestandum et capiendum;

Et naves, vasa, et marinarios hujusmodi usque portum villæ de Sandewico, ad vadia nostra, eisdem marinariis per nos promptè solvenda, cum omni festinatione duci et venire faciendum, ita quod sint ibidem, adcitius quo commodè fieri poterit, prompta et parata ad deserviendum nobis, pro passagio præfati episcopi, et aliorum fidelium nostrorum prædictorum, ad vadia nostra, prout eis ex parte nostrâ injungetur ibidem;

Et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios inveneritis seu rebelles, arestandum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque pro eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum;

Et ideò vobis, et cuilibet vestrûm, mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem constabulario nostro Dovorriæ, et custodi Quinque Portuum nostrorum, ac universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris, et marinariis navium, ac aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis quod vobis, et cuilibet vestrûm, in executione præmissorum intendentes sint, consulentes, obedientes, et auxiliantes quotiens et prout per vos, seu aliquem vestrûm, super hoc, fuerint præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Aprilis.

Per concilium.

De denariis, dicto episcopo solvendis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 3. m. 15. in Turr. Lond.

REX, collectoribus denariorum, venerabili patri Henrico episcopo Norwicensi, consanguineo nostro, in subventionem et expeditionem cruciatæ, datorum et concessorum, in comitatu Eborum, salutem.

Quia præfatus episcopus ad partes transmarinas, in viagium cruciatæ prædictæ, et in obsequium nostrum, infra breve profecturus existit;

Vobis, districtiùs quo possumus, injungimus et mandamus quod omnes denarios, qui levandi existunt, et qui in manibus subcollectorum vestrorum et quorumcumque curatorum habentur, sine dilatione levari, et vos unà cum denariis, jam in manu vestrâ promptè habitis, venire faciatis apud Sandewicum infra decem dies à datâ præsentium, ad eosdem denarios præfato episcopo, seu ejus deputatis, pro necessariis expensis, viagium prædictum concernentibus, liberandos;

Et hoc, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poteritis, et sicut gravem offensam nostram volueritis evitare, nullatenus omittatis;

Nos de nominibus omnium et singulorum, qui hujusmodi denarios solvere tenentur, et eos vobis liberare noluerint, contra quos cum omni rigore justitiæ procedere intendimus, in cancellariâ nostrâ sub sigillis vestris, distinctè et apertè, sine dilatione reddentes certiores.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Aprilis.

Consimilia brevia diriguntur singulis hujusmodi collectoribus in quibuscumque comitatibus Angliæ.

De venire faciendo certas personas coram concilio.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, dilecto et fideli suo Thomæ de Percy, capitaneo castri nostri de Brest, vel ejus locum tenenti ibidem, salutem.

Supplicavit nobis Gerardus de la Roke, mercator de Lumbardia, quod cum ipse nuper sub speciali protectione nostrâ extiterit, et quandam navem de Bristoll' diversis bonis et mercandisis ipsius Gerardi, ad valentiam ducentarum marcarum, in partibus de Portyngale carcasset, et ea usque villam Bristoll' ducere voluisset, quidam Willielmus Wilton et Johannes Gloucestre, soldarii castri prædicti, ac quidam alii malefactores et pacis nostræ perturbatores, protectionem nostram prædictam parvipendentes, navem prædictam supra mare velando, vi et armis intraverunt, et bona et mercandisas prædicta extra navem prædictam ceperunt et asportaverunt, ac ipsum Gerardum ibidem tanquam prisonarium ceperunt et abduxerunt, et alia mala quamplurima ibidem perpetrarunt, in nostrî contemptum et prejudicium, et ipsius Gerardi dampnum gravissimum, velimus sibi de remedio in hâc parte providere oportuno.

Nos quod justum fuerit fieri volentes in hâc parte, vobis mandamus, firmiter injungentes, quod ipsos Willielmum et Johannem coram nobis et concilio nostro apud Westm', in octabis Sancti Michaelis proximò futuris, venire faciatis, ad respondendum ibidem super præmissis, et aliis, quæ sibi tunc exponentur ex parte nostrâ; et ad faciendum ulterius et recipiendum quod de eis tunc contigerit ordinari ibidem. Et habeatis ibi hoc breve.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Aprilis.

Bulla Urbani VI. Papæ ad Imperatorem, contra ligas cum hæreticis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 1. m. 29. in Turr. Lond.

URBANUS episcopus, servus servorum DEI, carissimo in CHRISTO filio Wenceslao Romanorum et Boemiæ Regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuper, cum ad nostrum pervenisset auditum quod, olim, tam tua serenitas quam etiam, claræ memoriæ, Carolus Romanorum Imperator et genitor tuus, simul vel successivè, nonnullas confœderationes vel colligationes, seu ligas aut conventiones, cum diversis Regibus, principibus, ducibus, comitibus, ac magnatibus, nobilibus, et certis aliis inieratis seu feceratis;

Et quod aliqui ex hujusmodi Regibus, principibus, ducibus, comitibus, magnatibus, seu nobilibus, aut aliis, tunc erant, seu postea sunt effecti,

scismatici seu hæretici manifesti, et ab unitate sanctæ Romanæ et universalis ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non essent;

Nos, attendentes quod hujusmodi confœderationes, colligationes, et ligæ seu conventiones, factæ cum hujusmodi hæreticis aut scismaticis, postquam tales effecti fuerant, erant temerariæ, illicitæ, et ipso jure nullæ;

Et si forsan ante ipsorum lapsum in scisma seu hæresim initæ seu factæ fuissent, etiamsi forent juramento vel fide datâ firmatæ, aut confirmatione apostolicâ vel quâcumque firmitate aliâ roboratæ, postquam tales, ut præmittitur, fuerant effecti;

Eo ipso tam tu quam alii, qui forsan, unà tecum, hujusmodi confœderationes, colligationes, ligas, seu conventiones cum talibus inierant seu fecerant, et ad quos hujusmodi confœderationes, colligationes, ligæ, seu conventiones quomodolibet extendi poterant, et quorum interest vel interesse poterat, ab earum observatione absoluti eratis, illasque ipsis servare non debebatis, quinimò tu hujusmodi scismaticos et hæreticos, ratione imperii, ad quod electus et per nos approbatus existebas, prout existis, in favorem sanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ, cujus es advocatus, pro posse prosequi tenebaris ac teneris, quodque omnis communio cum talibus hæreticis seu scismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut CHRISTI ad Belial;

Et cupientes super hiis tuæ et aliorum animarum saluti et honori ac statui tuo et aliorum, quorum interest, ut præfertur, salubriter providere, ac periculis et scandalis, quæ tibi et ipsis exindè provenire poterant, ùtiliter præcavere;

Et te, et alios omnes, quorum interest et interesse poterat, auctoritate apostolicâ, per nostras literas, declaravimus fuisse et esse ab earumdem confœderationum, colligationum, ligarum, et conventionum observatione penitùs absolutos, et ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerant, cassamus, irritamus, et nullius esse decrevimus firmitatis:

Et insuper, cupientes animarum periculis obviare, tam tibi quam omnibus etiam hujusmodi aliis, quorum interest seu interesse poterat, districtius inhibuimus nè confœderationes, colligationes, ligas, aut conventiones hujusmodi aliquatenus observaretis, seu ab aliis servari quomodolibet permitteretis;

Decernentes extunc irritum et inane quicquid, in contrarium, à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari;

Ideoque magnificentiæ tuæ paterno suademus affectu, ut præmissa prudenter consideres, et hujusmodi declarationem et inhibitionem nostras diligenter studeas observare, et facere ab aliis observari.

Dat' Romæ, apud Sanctum Petrum, xii. kal' Maii, pontificatûs nostri anno quinto.

Bulla Urbani VI. Papæ, super matrimonio Regis, gratulatoria.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Ex Orig. in Thesaur. Cur. Recept. Scacc.

URBANUS episcopus, servus servorum DEI, carissimo, &c. salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras tuæ serenitatis, coronationem, et solemnizationem matrimonii, inter te et carissimam in CHRISTO filiam nostram Annam Reginam Angliæ illustrem, contracti continentes, gratanter, et animo valdè læto recepimus, et exindè gaudio magno fuimus repleti; sperantes firmiter, quod Ille qui dat gratias, et præmia elargitur, cujusque nutu tu et eadem Regina in flore gratissimæ juventutis estis matrimoniali fœdere copulati, ex eodem matrimonio concedet vobis inclitam prolem, et, post longa temporum, cum pacis amœnitate, decursa curricula in senectute bonâ, utrique vestrûm regnum æternæ beatitudinis largietur.

De bonâ verò intentione nostrâ erga te, et ipsam Reginam, dilecti filii Walterus Skirlawe, decanus ecclesiæ Sancti Martini Londoniæ, et nobilis vir Nicholaus Dagworth miles, ambaxiatores tui, latores præsentium, sunt à nobis plenariè informati; quibus in hiis, quæ tuæ magnificentiæ ex parte nostrâ referent, plenam per te fidem volumus adhiberi.

Dat' Romæ, apud Sanctum Petrum, xi. kal' Maii, pontificatûs nostri anno quinto.

Denracasa.

Dors.—Carissimo in CHRISTO filio Ricardo Regi Angliæ illustri.

Pro episcopo Norwicensi, de indulgentiis concessis, et subsidiis colligendis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Pat. 6 Ric. II. p. 3. m. 15. d. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Thomæ Seyvill et Johanni de Allerton, servientibus nostris ad arma, ac Willielmo Kele, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad publicandum, exponendum, et declarandum, in singulis partibus regni nostri Angliæ, tam infra libertates quam extra, privilegia, remissiones, et indulgentias, à sede apostolicâ, subsidia, ad expeditionem cruciatæ venerabili in CHRISTO patri Henrico episcopo Norwicensi ab eâdem sede commissæ, conferentibus concessa;

Ac etiam ad colligendum et recipiendum, nomine ipsius episcopi, quæcumque caritativa subsidia, per devotos et CHRISTI fideles, ad dictam cruciatam contributa;

Assignavimus etiam vos, et duos vestrûm, ad inquirendum, per sacramentum proborum et legalium hominum, de quibuscumque comitatibus regni nostri Angliæ, tam infra libertates quam extra, per quos rei veritas meliùs sciri poterit, de quibuscumque collectoribus omnes et quascumque pecuniarum summas, per ipsos, auctoritate ipsius episcopi, collectas;

Ab eisdem exigendum et recipiendum, et ad opus ipsius episcopi custodiendum;

Et ideò vobis et cuilibet vestrûm mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ;

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et aliis fidelibus nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis, et cuilibet vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, intendentes sint, consulentes, et auxiliantes, quotiens et prout per vos, vel aliquem vestrûm, fuerint super hoc præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c. quamdiu ejusdem episcopi placuerit voluntati duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxiii. die Aprilis.

Pro dicto episcopo, de proclamatione.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 2. m. 5. d. in Turr. Lond.

REX, majori et vicecomitibus Londoniæ, salutem.

Significamus vobis quod omnia pacta, conventiones, et conditiones, in indenturis, inter nos et venerabilem patrem Henricum episcopum Norwicensem, pro præsenti viagio, in quod ipse in obsequium nostrum ad partes transmarinas in proximò, annuente DOMINO, profecturus existit, factis, specificata et contenta, sunt, ex parte nostrâ et concilii nostri, prout tenebamur, bene et fideliter in omnibus adimpleta;

Vobis igitur firmiter injungentes quod statim, visis præsentibus, et omni dilatione postpositâ, præmissa, vobis per nos significata, in singulis locis civitatis nostræ Londoniæ et suburbiorum ejusdem, ubi expediens fuerit, et major advenerit populi multitudo, ex parte nostrâ publicè proclamari et pronunciari faciatis, ut certitudo præmissorum ad populi nostri notitiam undique valeat pervenire;

Vobis insuper mandantes quod, in singulis locis civitatis et suburbiorum prædictorum, similiter ex parte nostrâ proclamari faciatis quod omnes et singuli homines ad arma et sagittarii, de retinentiâ præfati episcopi, et qui in obsequium nostrum prædictum in primo viagio profecturi existunt, versus eundem episcopum ad mare, citra diem

Veneris proximò futurum ad ultimum, se trahant sub pœnâ imprisonamenti, sic quod nullus eorum in civitate seu suburbiis prædictis diutius remaneat ullo modo:

Et omnes hujusmodi homines ad arma seu sagittarios, quos, post prædictum diem Veneris, infra civitatem prædictam seu suburbia ejusdem, invenire poteritis, sine dilatione capi et arestari, ac prisonæ nostræ committi faciatis, ibidem moraturos quousque aliud vobis, pro eorum deliberatione, duxerimus demandandum;

Et hoc, sub periculo incumbenti, nullatenus omittatis.

Teste Rege, apud Westm', xxvii. die Aprilis.

Per ipsum Regem et concilium.

De custodiâ maris, à portu de Wynchelse usque villam Berewici super Twedam.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, et mercatoribus, tam indigenis quam alienigenis, ac aliis fidelibus et subditis suis quibuscumque, tam infra libertates quam extra, constitutis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilecti nobis Gilbertus Manfeld et Robertus Parys, mercatores, ac Johannes Hankyn et Thomas Horsman, marinarii, manuceperint custodiendi mare pro posse suo contra inimicos nostros, regali potestate exceptâ, à portu villæ de Wynchelse usque villam Berewici super Twedam, à vicesimo quarto die præsentis mensis Maii usque festum Sancti Michaelis proximò futurum, et extunc usque ad festum Sancti Michaelis tunc proximò sequens, prout in quâdam indenturâ sub privato sigillo nostro, inter nos et præfatos Gilbertum, Robertum, Johannem et Thomam indè confectâ, plenius continetur.

Nos, ex causâ prædictâ, inter alia, volumus et concessimus quod iidem Gilbertus, Robertus, Johannes et Thomas, occasione prædictâ, omnimodam summam sex denariorum de librâ, et duorum solidorum de dolio vini, nobis nuper in parliamento nostro concessorum, quæ jam in manibus existit, super salvâ custodiâ maris non expendita, et eosdem sex denarios de librâ et duos solidos de dolio, exnunc apud dictam villam de Wynchelse, et abindè usque prædictam villam Berewici, usque dictum festum Sancti Michaelis proximò futurum, et extunc in unum annum; exceptis denariis, qui indè pro tempore præterito per dilectum et fidelem nostrum Robertum de Assheton, constabularium castri nostri Dovorr', sunt recepti; percipiant.

Et quod ipsi tales collectores eorumdem sex denariorum de librâ, et duorum solidorum de dolio, quales eis placuerit, pro toto tempore prædicto faciant et assignent: ac quod ipsi, qui nunc per nos sunt assignati collectores subsidii prædicti, artentur ad computandum eisdem Gilberto, Roberto Parys, Johanni et Thomæ, de omnibus denariis de dicto subsidio provenientibus jam in manibus suis existentibus non expenditis super salvâ custodiâ maris; et ad illud, quod inde aretrò est, eisdem Gilberto, Roberto Parys, Johanni et Thomæ, eo quod indè per præfatum Robertum de Assheton debetur, dumtaxat excepto, solvendum.

Et ideò vobis mandamus quod eisdem Gilberto, Roberto Parys, Johanni et Thomæ, et eorum cuilibet, in executione præmissorum intendentes sitis, consulentes, obedientes, et auxiliantes, quotiens et prout per ipsos Gilbertum, Robertum Parys, Johannem et Thomam, seu eorum aliquem, fuerint præmuniti ex parte nostrâ.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', vi. die Maii.

Per concilium.

Et mandatum est Roberto Selby et Thomæ Waplynton collectoribus subsidii prædicti in portu villæ de Kyngeston' super Hull' quod cum eisdem Gilberto, Roberto Parys, Johanne et Thoma de omnibus denariis de eodem subsidio in portu prædicto provenientibus, et in manibus suis existentibus, non expenditis super salvâ custodiâ maris, computent, et illud quod inde aretro est, eisdem Gilberto, Roberto Parys, Johanni et Thomæ solvant, habendum juxta tenorem litterarum Regis prædictarum, ipsos de levatione et collectione subsidii prædicti ulterius in aliquo non intromittentes. Rex vult enim eos inde erga ipsum exonerari.

Teste ut supra.

Consimilia mandata diriguntur collectoribus ejusdem subsidii in portubus subscriptis, sub eâdem datâ; videlicet,

Johanni Bulkham et Sampsoni Hardyng, in portu villæ Novi Castri super Tynam.
Willielmo Spayne et Willielmo Thymelby, in portu villæ de Boston'.
Thomæ Drewe et Johanni Grantham, in portu villæ de Lenn'.
Johanni Elys et Alexandro Fastolf, in portu villæ Magnæ Jernemuth.
Galfrido Sterlyng et Roberto Waleys, in portu villæ Gippewici.
Johanni Organ et Waltero Rauf, in portu civitatis London'.
Johanni Roper et Thomæ Elys in portu villæ Sandewici.

Pro episcopo Norwycensi, de monstro hominum ad arma supervidendo.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 6. in Turr. Lond.

REX, dilectis et fidelibus suis, Johanni Devereux, capitaneo villæ, Johanni de Burlee juniori, capitaneo castri, Calesii, Briano de Stapelton, capitaneo castri de Guynes, ac dilecto clerico suo Willielmo Ermyn, thesaurario villæ prædictæ, salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate et circumspectione vestris pleniùs confidentes, assignavimus vos, tres et duos vestrûm, ad monstrum, tam capitaneorum quam aliorum hominum ad arma et sagittariorum quorumcumque, in obsequium nostrum, ad partes transmarinas, in comitivâ venerabilis patris Henrici episcopi Norwicensis, profecturorum, in loco prope Calesium, per vos, tres vel duos vestrûm, ad hoc assignandos, supervidendum;

Et ad nos, in cancellariam nostram, de numero hujusmodi capitaneorum, hominum ad arma, et sagittariorum, ac de defectibus, si quos in monstro prædicto inveneritis, et qui, et quales, et quorum hujusmodi defectus fuerint, statim, post supervisum monstri prædicti, sub sigillis vestris, trium vel duorum vestrûm, distinctè et apertè certificandum;

Et ideò vobis mandamus quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ:

Damus autem tam præfato episcopo quam universis et singulis capitaneis, militibus, armigeris, hominibus ad arma, et sagittariis, in obsequium nostrum prædictum profecturis, quod vobis, tribus vel duobus vestrûm, in præmissis faciendis et exequendis, pareant et intendant, et prout ipsi, seu ipsorum aliquis, per vos, tres vel duos vestrûm, super hoc, ex parte nostrâ, fuerint præmuniti, seu fuerit præmunitus.

In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', viii. die Maii.

Per concilium.

De pardonatione proclamandâ pro rebellibus.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Claus. 6 Ric. II. p. 2. m. 3. d. in Turr. Lond.

REX, vicecomiti Eborum, salutem. Quia de gratiâ nostrâ speciali, et de avisamento concilii nostri, quibusdam certis de causis nos moventibus, volumus singulis ligeis nostris regni nostri Angliæ cartas nostras separatim exnunc usque ad festum Natalis Domini proximò futurum, prosequi volentibus, pardonare sectam pacis nostræ, quæ ad nos pertinet, pro omnimodis feloniis per ipsos ante quartum decimum diem Decembris anno regni nostri quinto perpetratis, undè indictati, rectati vel occasionati existunt, proditionibus, murdris, et raptibus mulierum exceptis, ac etiam utlagariis, si quæ in ipsos hiis occasionibus fuerint promulgatæ, et firmam pacem nostram eis indè concedere.

Dumtamen non judicentur quod sunt communes latrones, sive communes homicidæ, et etiam quod non sint probatores, vel appellati de latrocinio, et quod non sint appellati de morte hominis, undè appellum pendet ad sectam partis, nec à prisonâ evaserint seu recesserint, et ad eandem se non reddiderint, et quod dicto quartodecimo die Decembris in prisonâ pro latrocinio tantum detenti non fuerint;

Et insuper volumus pardonare et remittere singulis ligeis nostris prædictis, cartas nostras per idem tempus petere volentibus, quicquid ad nos pertinet, versus ipsos pro quibuscumque transgressionibus et mesprisionibus per ipsos ante prædictum quartum decimum diem Decembris factis, sive perpetratis, pro quibus fines vel redemptiones nobis, aut hæredibus nostris, fieri debeant; debitis nostris ac recognitionibus et

obligationibus, pro quibuscumque securitatibus pacis, seu alio modo nobis aut progenitoribus nostris factis, ac etiam finibus tangentibus terras vel tenementa nobis reservatis, prosecutione etiam partis semper salvâ.

Tibi præcipimus, firmiter injungentes, quod diebus feriarum et mercati per diversas vices, in singulis civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et aliis locis in comitatu prædicto, infra libertates et extra, ubi expediens fuerit et necesse, voluntatem nostram in præmissis publicè proclamari facias, et quod omnes et singuli, qui hujusmodi pardonationem habere voluerint, ad cancellariam nostram citra dictum festum Natalis accedant, cartas super præmissis separatim prosecuturi, si eis videbitur expedire.

Et hoc nullatenus omittas.

Teste Rege, apud Westm', xiii. die Maii.

Consimilia brevia diriguntur singulis vicecomitibus per Angliam, exceptis vicecomitibus London' et Bristoll'.

REX, vicecomitibus London', salutem. Quia, de gratiâ, &c. *ut supra, usque ibi* semper salvâ, *et tunc sic*, vobis præcipimus firmiter injungentes quod per diversas vices in singulis locis civitatis prædictæ et suburbiorum ejusdem, ubi expediens fuerit et necesse, &c. *ut supra.*

Teste ut supra.

Consimile breve dirigitur vic' Bristoll', mutatis mutandis

De tractando cum comite Flandriæ.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 4. in Turr. Lond.

RICHARD, par la grace de DIEU, Roy d'Engleterre et de France et seignur d'Irland, a touz ceulx qui cestes lettres verront ou oront, salutz.

Savoir vous faisons que nous, confiantz a plein de sens, lealte et avisamentz de nos chers et foialx Johan Devereux, capitaigne de notre ville de Caleys, Brian de Stapilton, capitaigne de notre chastel de Guynes, William Ermyn, notre tresorier de la dite ville de Caleys, et Johan de Burley le filz, capitaigne de notre chastell de Caleys, leur avons donez et commys, commettons et donons, a eux, trois ou deux de eux, d'ont le dit capitaigne de Caleys soit un, auctorite, poissance et mandement especial et general, tant pour nous come pour toutz noz subgitz, terres, paies et lieux de cea la meer et de dela, de assembler, traiter, et parler ovesque le counte de Flandres, et les gentz de bones villes en Flandres, et ceux de Frye, ou ovesque leur messages deputez procureurs et commis especialx, jointement et severalement, sur toutz les contentions, riotes, discordes et debatz, meuz et demenez, ou a movoir et demener, parentre nous et noz subgiez d'une part, et le dit counte, les gentz de bones villes et ceulx de Frye, et les autres de paiis de Flandres, d'autre part, jointement ou severalement, en commun ou en especial;

Et les ditz debatz, descortz et contentions refourmer, redrescer et appaiser, et sur eux et chescun diceulx transiger, composer, accorder et demander, et receivoir redresce, restor et amendement de touz les damages, outrage et mesprises que le dit counte, ou ceux de dite paiis de Flandres, jointement ou severalment, en general ou en especial, ont fait, attempte ou mespris encontre nous et noz subgiez quielconqes, par meer ou par terre, et tout defaut, mesprision, damage, ou mesfait, contre ceux de Flandres, qui a nous, ou a noz subgitz, purra estre lealment surmys, de bailler et faire pour lieu et temps restitution, restor, et amende tiel come il appartiendra affaire pour notre partie, de prendre, accorder, et recevoir triewes et seoffrances de guerre pour nous, noz subgitz et notre partie ovesque le counte ou la paiis de Flandres, jointement ou severalment, a terme que bon leur semblera.

Et sur quantque serra traite, parle, transige, compose, pacifiee et accordee pour nous et notre partie, de ottroier et doner cautions, obligations, seurtees et promesses, les meilleures que l'en saura ou purra deviser, les quiels nous voillons avoir tiel effect, vigour, et fermete, come si nous les eussions donez et faitz en notre propre persone; et de faire, et prendre et accorder tout bon paix et accorde, et auxi toutes maners de liges, alliances, amistes, et confederacies honestes et resonables ovesque le counte et les gentz de Flandres suisditz, jointement ou severalment, perpetuels ou temporels, a meux que purra estre fait, ordeine, et devise en celle partie, et de faire executer, expedier, et accomplier pour nous et notre partie tout quantque affaire et mestre serra en tieu cas, ove les dependences, incidentz, emergentes et connexes; suppose que pluis especial mandement ent serroit requis;

Et promettons, loialment et en bon foi, avoir et tenir touz jours ferme et aggreable attendre, accomplir et parfaire quantque tretee, parlee, accorde, pacifie, compose, ordenee, divise ou fait serra, par noz ditz messages et procureurs, trois ou deux de eux, d'ont le dit capitaigne de Caleys voillons estre un, sur toutes les choses avantdites et chescun dicelles, et lour dependences, sur caution et obligation de toutz noz biens, presentz ou a venir, sanz jammys faire ou venir, ou soeffrer estre fait ou venu, en aucun temps a l'encontre.

Don' par tesmoignance de notre grand seal a notre paloys de Westm', le xvi. jour de May.

Per ipsum Regem.

De conductu, pro hominibus de Gandavo.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 5. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod, cum dilecti nobis Willielmus de Pitte, et magister Willielmus de Caudenberghe de Gandavo, Jacobus Bruwere de Bruges, et Jacobus Moenen de Ypre, in Flandriâ, unà cum aliis probis hominibus earumdem villarum, ex parte comitatûs Flandriæ, ad tractandum nobiscum, et cum concilio nostro, super certis negotiis, nos bonumque publicum regni nostri Angliæ et comitatum prædictum mutuò concernentibus, penes præsentiam nostram, in regnum nostrum prædictum advenissent, præfatique probi homines versus partes Flandriæ, jam certis de causis, de nostrâ licentiâ recesserint; prædictis Willielmo, Willielmo, Jacobo et Jacobo in regno nostro prædicto, de mandato nostro speciali, remanentibus.

Nos, volentes pro securitate prædictorum Willielmi, Willielmi, Jacobi et Jacobi providere, suscepimus ipsos et eorum quemlibet in civitate London' morando, et abindè versus quascumque partes regni nostri prædicti, ubi ipsis, seu cuilibet ipsorum, placuerit, se divertendo, ac versus civitatem nostram prædictam redeundo, necnon eorum homines, servientes, equos, res, hernesia, et bona sua quæcumque, in salvum et securum conductum nostrum, necnon in protectionem, tuitionem, defensionem, et salvam gardiam nostras speciales.

Et ideò vobis, et cuilibet vestrûm, in fide et ligeantiâ quibus nobis tenemini, firmiter injungendo, mandamus, quod eisdem Willielmo, Willielmo, Jacobo et Jacobo in civitate prædictâ morando, et abindè versus quascumque partes regni nostri prædicti eis, seu cuilibet ipsorum, placuerit, se divertendo, et versus civitatem nostram prædictam redeundo, aut hominibus vel servientibus suis, in personis, equis, rebus, hernesiis, aut bonis suis prædictis, non inferatis, nec, quantum in vobis est, ab aliis inferri permittatis, injuriam, molestiam, dampnum, violentiam, impedimentum aliquod, seu gravamen; sed potius ipsos et eorum quemlibet, ex causis præmissis, manutenentes et auxiliantes, omnia eis necessaria, suis sumptibus et expensis, cum super hoc requisiti fueritis, eis favorabiliter faciatis ministrari.

Et si quid eis, vel eorum alicui, forisfactum vel injuriatum fuerit, id eis et eorum cuilibet, sine dilatione, debitè corrigi et emendari faciatis.

In cujus, &c. per unum annum duraturas.

Teste Rege, apud Westm', xxvi. die Maii.

Per concilium.

Pro W. Lescrop milite, senescallo Aquitaniæ constituto.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis prælatis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, militibus et liberè tenentibus, senescallis, majoribus, juratis, consulibus, universitatibus, collegiis, communitatibus, constabulariis, castellanis, præpositis, et receptoribus exituum, ac ballivis et fidelibus suis ducatûs Aquitaniæ, et aliis, ad quos, &c. salutem.

Sciatis quod nos, de fidelitate, circumspectione et industriâ dilecti et fidelis nostri Willielmi Lescrope militis, plurimum confidentes, commisimus ei officium et regimen senescalciæ prædicti ducatûs, cum omnibus ad dictum officium pertinentibus, quamdiu nobis placuerit.

Et ideò vobis mandamus quod eidem Willielmo, quamdiu eum tenuerimus in dicto officio, in omnibus, tanquam senescallo, pareatis, respondeatis, et fideliter intendatis.

In cujus, &c.

Dat', apud Westm', xxviii. die Maii.

Per ipsum Regem et concilium.

De navibus et marinariis arestandis, pro passagio Willielmi Lescrop militis.

A. D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Vascon. 6 Ric. II. m. 8. in Turr. Lond.

REX, dilectis sibi Waltero Hauley et Thomæ Credy, servientibus suis ad arma, salutem.

Sciatis quod assignavimus vos, conjunctim et divisim, ad tot naves et vasa, ac marinarios magis sufficientes pro eisdem, quot pro passagio dilecti et fidelis nostri Willielmi Lescrop, senescalli nostri Aquitaniæ, ac aliorum fidelium nostrorum in comitivâ suâ, sufficere poterunt, ubicumque naves, vasa et marinarios prædicta infra admiratum de West, infra libertates vel extra, invenire poteritis, per vos et deputatos vestros arestandum et capiendum, et eosdem marinarios, naves et vasa usque portum de Plymmouth, pro rationabilibus vadiis eis promptè solvendis, cum omni festinatione duci et venire faciendum, ita quod sint ibidem citra quintum decimum diem Julii proximò futurum ad ultimum, prompta et parata ad deserviendum nobis, pro passagio præfati Willielmi, et aliorum fidelium nostrorum prædictorum, versus partes Aquitaniæ prout eis injungetur ex parte nostrâ tunc ibidem;

Et ad omnes illos, quos in hâc parte contrarios inveneritis seu rebelles, arestandum et capiendum, et prisonis nostris mancipandum, in eisdem moraturos quousque pro eorum deliberatione aliter duxerimus ordinandum.

Et ideò vobis et alteri vestrûm mandamus, quod circa præmissa diligenter intendatis, et ea faciatis et exequamini in formâ prædictâ.

Damus autem universis et singulis vicecomitibus, majoribus, ballivis, ministris, dominis, magistris et marinariis navium, ac aliis fidelibus et subditis nostris, tam infra libertates quam extra, tenore præsentium, in mandatis, quod vobis et alteri vestrûm, in executione præmissorum, intendentes sint, consulentes, obedientes et auxiliantes, quotiens et prout per vos, vel alterum vestrûm, super hoc fuerint præmuniti ex parte nostrâ. In cujus, &c.

Teste Rege, apud Westm', xxx. die Maii.

Per concilium.

Eodem modo assignatur Johannes Elyngeham, serviens Regis ad arma, ad hujusmodi naves et vasa ac marinarios infra admiratum de West arestandum et capiendum in formâ prædictâ.

Teste ut supra.

De tractando cum comite et probis hominibus villarum Flandriæ, et de Franco.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

LE Roy, a touz ceux qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Savoir vous fasons que nous, confiantz a plein de sens, lealte, et avisementz de l'onurable piere en DIEU, nostre trescher cosyn Henry evesque Norwyz, et noz chers et foialx, Johan Devereux, captein de Caleys, Hugh de Calvyle, Brien de Stapelton, capitain de Guynes, William Elmham, Thomas Trevet, Johan Philippot, mestre Johan Shepeye, dean de l'esglise de Nicole, et meistre Thomas de Stafford, doctour en loys, leur avons donez et comys, commettons et donons a eux, oit, sept, sys, cynk, quatre, ou trois de eux, des queux le dit evesque soit un, auctorite, poissance, et mandement especial et general, tant pur nous come pur toutz noz subgiez, terres, paiis, et lieux, decea la meer et de dela, de assembler, traitier, et parler ovesque le counte de Flandres, et les gentz de bones villes en Flandres, et ceux de Frye, ou ovesque leur messages, deputez, procureurs, et comys especialx, joyntement et severalment, sur toutz les contentions, riotes, discordes, et debatz, meuz et demenez, ou a movoir et demener, parentre nous et noz subgiez d'une part, et le dit counte, les gentz de bones villes et ceux de Frye et les autres de paiis de Flandres, d'autre part, jointement et severalment, en comun ou en especialx;

Et les ditz debatz, descortes, et contentions refourmer, redrescer, et appaiser;

Et sur eux et chescun d'iceulx transiger, composer, accorder, et demander et recevoir redresce, restor, et amendement de toutz les damages, outrages, et mesprises qui le dit counte, ou ceux de dit paiis de Flandres, joyntement ou severalment, en general ou en especial, ont fait, attempte, ou mespris encontre nous et noz subgiez quielconques, par meer ou par terre;

Et tout defaut, mesprision, damage, ou meffait contre ceux de Flandres, qui a nous ou a noz subgiez purra estre lealment surmis, de baillir et faire, pur lieu et temps, restitution, restor, et amende, tiel come il appartiendra a faire pur nostre partie;

De prendre, accorder, et recevoir trieues et soeffrances de guerre pur nous, noz subgiez et nostre partie, ovesque le counte ou la paiis de Flandres, joyntement ou severalment, a terme qui bon leur semblera;

Et sur quantque serra treite, parle, transige, compose, pacifiee, et accorde pur nous et nostre partie, de ottroier et doner caucions, obligacions, seurtees, et promesses les meilleurs qui l'en saura ou purra deviser, les quiels nous voillons avoir tiel effect, vigour, ou fermetee come si nous les eussions donez et faitz en nostre propre parsone;

Et de faire, prendre, et accorder toute bone paix et accorde, et auxi toutz maneres de liges, alliances, amistes, et confederacies, honestes et resonables, ovesque le counte et les gentz de Flandres suisditz, joyntement ou severalment, perpetuels ou temporels, a meux qui purra estre fait, ordene, et devise en celle partie;

Et de faire, executer, expedier, et accompler, pur nous et nostre partie, tout quantque a faire et mestre serra en tieu cas, ove les dependences, incidentz, emergences, et connexes, suppose qui pluis especial mandement en serroit requis;

Et promettons, loialment et en bone foi, avoir et tenir, touz jours, ferme et agreable, attendre, accomploir, et parfaire quantque traitie, parle, accorde, pacifiee, compose, ordenee, devise, ou fait serra par noz ditz messages et procureurs, oyt, sept, sys, cynk, quatre, ou trois de eux, des queux le dit evesque soit un, sur toutes les choses avantdites, et chescun d'icelles, et lour dependences, sur caucion et obligacion de toutz noz biens, presentz ou a venir, saunz jammes faire ou venir, ou soeffre estre fait ou venu, en ascun temps, a l'encontre.

Don' par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le primer jour de Juyn, l'an de Grace mille troicentz oytant et tierce, et de nostre regne sysme.

Per ipsum Regem.

Pro nuncio Regis Portugaliæ.

A. D. 1383 An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 3. in Turr. Lond.

REX, universis et singulis admirallis, &c. salutem.

Sciatis quod, cum Alfonsus Ruys de Cordua, chivaler, nuncius potentis principis Regis Portugaliæ, infra regnum nostrum Angliæ, pro quibusdam negotiis dicti Regis expediendis, penes nos nuper venisset, et jam versus dictas partes Portugaliæ de licentiâ nostrâ sit rediturus;

Suscepimus ipsum Alfonsum, homines, servientes, equos, hernesia, bona, et res sua quæcumque, ac quandam navem, pro passagio suo, cum magistris et marinariis in eadem navi existentibus, versus dictas partes Portugaliæ transeundo, in salvum et securum conductum nostrum, ac in protectionem et defensiones nostras speciales;

Et ideò vobis, *&c. ut in similibus de conductu literis.*

In cujus, &c. usque ad festum Sancti Michaelis proximò futurum, duraturas.

Teste Rege, apud Westm', ix. die Junii.

Super tractatu Flandriæ prædicto, et de homagio recipiendo.

A.D. 1383. An. 6 Ric. II.

Rot. Franc. 6 Ric. II. m. 1. in Turr. Lond.

LE Roi, a touz ceux qui cestes lettres verront ou orront, salutz.

Savoir vous faisons que nous, confiantz a plein de sens, lealte, et avisamentz de l'onurable piere en DIEU, nostre trescher cosyn Henry evesque de Norwiz, et noz chers et foialx Johan Devereux, capitain de Caleys, Philip Darcy, Hugh de Calvelegh, Thomas Tryvet, mestre Johan Shepeye, dean de l'esglise de Nicole, et mestre Thomas de Stafford, doctours en loys, Brian de Stapelton, capitain de Guynes, William Elmham, et Johan Philipot, leur avons donez, *&c. ut supra usque ibi,* en celle partie, *et tunc sic;*

Et de prendre et resceivoir, en noun de nous, de counte et les gentz de Flandres suisditz, et chescun de eux, jointement et severalment, homage liege, et touz autres serementz de foialte et loialte, et q'ils tendront de nous et noz heirs, come leur seigneurs lieges, perpetuelment reconoisceantz nous et noz heirs suisditz vrays Roys de France et lour soverain seigneur, de prendre sur ceo toutes caucions, obligacions et seurtees, les melieurs qui vous sauverez deviser, et de faire, executer, *&c. ut supra.*

Don', par tesmoignance de nostre grant seal, a nostre paleys de Westm', le xx. jour de Juyn, l'an, *&c. ut supra.*

Par le Roi

00108095